IV.a.41 B 51891 | B

# USUS OPII

## SALUBRIS ET NOXIUS,

## IN MORBORUM MEDELA,

SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SUPERSTRUCTUS,

A

D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL. ATQUE ACADEM. CAESAR.
NAT. CUR. ADJUNCTO.

*SECTIO TERTIA.*

VRATISLAVIÆ,
SUMPTIBUS IOANNIS ERNESTI MEYERI.
MDCCLX.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# PRÆFATIO.

Abſolviſſem lubens, dum Sectionem tertiam præſentis libri in publicum prodire facio, integrum meum de uſu & abuſu Opii in Praxi medica laborem. Increvit vero ille contra meam intentionem, ita ut niſi in Præfamine Sectionis ſecundæ ejus futuram prolixitatem jam excuſasſem, argumentis ni fallor ſat prægnantibus, veniam nunc eidem petere quam humaniſſime deberem. Addunt interim mihi animum, fore ut nihilominus Lecturis benigniter excipiatur paulo diffuſior tractatus, proſpera valde, mihique haud parum honorifica de eo judicia, quæ a Viris doctiſſimis qui Sect. I. pervolverant, & publice promulgata, & privatis literis mecum communicata legi. Hæc inter ve-

neror omnino amplam & benevolam recenſionem, Celeberrimorum Auctorum, *Actorum litterariorum Lipſienſium 1759. Menſ. Jan.* Impenſe gaudeo, de adjecto mihi eorum calculo; at dum unicum momentum offendo, in quo illi mecum haud faciunt, quo vero ſecundum meam ſententiam ſeſe non habente, pars bona veritatum rueret, quas eidem ſuperſtruxi, pace eorum firmo fundamento id niti brevibus commonſtrabo. Scilicet ex evidentibus teſtimoniis, & experientiis omni exceptione majoribus, effectus Opii in corpus humanum ſenſibiles reddentibus, omnia quæ ediſſerere meditabar, prona ſequela deducere, meum erat propoſitum. Ita a recto tramite inveniendi verum, aberrare nequibam. Has experientias omnes, mihi fundamentales, quas ſuppeditavi, admittunt libenter illi Celeberrimi Viri, excepta ſaltem quarta. Nempe largiuntur, Opium circulum citatiorem reddere; concedunt, id calorem naturalem augere; dein haud fieri poſſe aſſerunt, quin quod ego aſſerueram, effectum Opii primum & ſecundum poſitum ſequatur tertius, nempe quod Opium ſanguinem celerius motum, & calidiorem redditum rarefaciat. Verum quoad Experientiam quartam, quod nimirum Opium reſpirationem citatiorem & difficiliorem reddat,

dat, monere ipſis ſequentia placuit. *Circa hoc phœnomenon nobis exiſtit dubitatio, neque nos ab Opio juſta doſi dato, reſpirationis difficultatem ortam obſervare adhuc potuimus. Opium quidem minori etiam copia ſumtum reſpirationem paulo citatiorem facere debet, per experientiam primam, ſecundam, & tertiam, ſed hoc celeritatis augmentum in perpaucis tam magnum eſt, ut in ſenſus incurrat. Rariores vero obſervationes, de quibusdam hominibus, aut de Opio nimia quantitate ingeſto, regulam non efficiunt.* Miror ego, ut nil diſſimulem, hanc animadverſionem, poteramque fere ſecurus de veritate inconcuſſa meæ adſertionis acquieſcere, per ea, quæ partim de ipſo hoc mutatæ reſpirationis phœnomeno, non a me tantum, ſed a variis Claris Viris, quos adduxi, obſervato, Sect. I. Cap. II. p. 85., partim de ejus ætiologia, quæ ex mutua relatione reſpirationis & circuli inter ſe, rem ſole meridiano clariorem reddit, Cap. V. p. 205. protuli; maxime cum confeſſus ſim, interdum per accidens reſpirationem ab Opio non ſaltem non turbari, ſed adeo liberiorem reddi, ac antea fuerat. Ut autem nil prorſus dubii ſuperſit, cum cura noto, in omnibus effectubus ab Opio pendentibus, dari gradus, ſecundum quos illi fiunt minus & magis ſenſibiles, pro ratione doſeos, &

pro diſpoſitione Corporis. Gradus igitur difficultatis reſpirationis ab Opio, ſeſe habebit, ſecundum gradum celeritatis & raritatis ſanguinis, quem hoc pharmacum induxit. Quodſi igitur, ut ipſi profitentur Clariſſimi Viri, paulo citatior reddi debeat reſpiratio, a minori etiam copia Opii, licet hoc celeritatis augmentum non in ſenſus incurrere dicant, certum eſt eo tempore etiam celeritatem circuli, & rarefactionem ſanguinis, quam utramque minuta etiam doſis opii tamen certo ciet, non multum in ſenſus incurrere. At ſi celeritas hæc, & rarefactio ſanguinis, præcipue ſi antea utcunque jam adſit, exhibita minuta doſi Opii, aut ſi nondum adſit, data majori, in ſenſus incurrat, neceſſaria ſequela etiam citatior & difficilior reſpiratio in ſenſus debet incurrere. Datur nempe ut egregie demonſtrat BOERHAAVIUS, *in Prælect. ab Hallero editis §. 625. Tom. V. Part. I. p. 155. & 159.* definita & conſtans ratio, inter ſyſtolen & diaſtolen thoracis, atque ſyſtolen & diaſtolen cordis, ita ut ſi ſanguis decies celerius circuletur, etiam decies celerius reſpiretur, ob coacervatam per celeriorem circulum in pulmone ſanguinis copiam, & cordi ſic natam reſiſtentiam, quo in caſu laborare debent muſculi ſcaleni, ſerrati, rhomboideus, cucullaris, &c. Opium vero quod circulum au-

get,

get, & rarefacit, non ſaltem eapropter, ſed & propter ipſam pulmonis fabricam, in eo coacervat ſanguinis copiam, & cordi reſiſtentiam parit. Nimirum vaſa cerebri & pulmonum omnium in toto corpore ſunt tenerrima, minusque reſiſtentia, hinc poſito circulo aucto, & majore reſiſtentia ſanguinis, neceſſario ab Opio major naſci debet plethora cerebrina, & pulmonica, id eſt, caput internum & pulmo magis debet obrui congeſto ſanguine, quam aliæ partes corporis; ut vero in illo ſequitur gravitas & ſopor, ita in hoc eadem neceſſitate phyſica ſequitur gravitas & dyſpnoea. Neque dubito, ſi in animalibus ab Opio necatis rerum harum curioſi, æque luſtraſſent pulmonem, ac cerebrum luſtrarunt, quod illum æque in ſuis vaſis minimis diſtentum vidiſſent, ac hoc. Conficitur id ipſum, quod adeo ab opio hæmoptoë oriri queat, ut Sect. II. Cap. I. §. 6. p. 26. 27. monui, quemadmodum in cerebro Apoplexia. Hæmoptoë vero ſanguinem ita congeſtum in pulmone loquitur, ut vaſa diducat, vel & rumpat, quemadmodum apoplexia tales conditiones ponit in cerebro, & ejus vaſis. Omni tempore, ut BERGERVS, *diſſ. de difficultate reſpirandi*, ita & alii, inter cauſas difficultatis reſpirandi, ſanguinis redundantiam, turgeſcentiam, fervorem, impetumque febrilem

lem retulerunt, quidni igitur ad cauſas hujus difficultatis referrentur ea, quæ ſanguini turgorem fervoremque inducunt, eumque impetuoſius per vaſa projici faciunt, ut Opium. Datur igitur ſpecies aſthmatis quod ſanguineum vocant Medici, atque tale vere eſt aſthma ab opio enatum. Non vero opus eſt, ut prolixior ſim, video nempe & Lipſiæ degere alios Viros doctiſſimos, qui mecum faciunt prorſus. Namque *in commentariis de rebus in ſcientia naturali & medicina geſtis* nuper editis, in recenſione libri mei Experientia mea quarta neutiquam in dubium vocatur, ſed potius verba leguntur: *Hæc experientia nititur prioribus. Si enim ſanguinis circulus ab Opio intenditur, reſpirationem inde etiam difficiliorem fieri neceſſario ſequitur.* Incumbebat mihi omnino, ut hæc omnia curatius diſputarem, ne & alia quæ antea explicui, & quæ præſenti ſectione de Tuſſi & Aſthmate habentur, firmo ſuo fundamento deſtituerentur. Quantum labores mei quibus obruor permittent, eo allaborabo, ut Sectio IV. & ultima lucem videat. Scribebam Vratisl. die 20. April. MDCCLX.

Jam poſtquam hoc vitii genus, quo laborare viſa eſt Sectio I. feliciter ſuſtuli, lubens confiteor cum ſectionis tertiæ hujus editionem pararem, atque eapropter Sectionem & I. & II. pervolverem, me illico deprehendiſſe, haberi in utraque nonnulla, quæ nunc vel auctiora, vel magis emendata mallem, quare bona lecturorum pace ea ſigillatim indicabo.

Sect. I. p. 6. ad ea quæ de Opio Europæo commemoravi, addi vellem. In Helvetia *Conſtantium de* REBEQUE paraſſe ex capitibus papaveris extractum vinoſum opio paulo debilius, cujus doſis a gr. j. ad v. eſſet. *Medic. Helvet. p. 152. 153.* dein in Anglia ſola inciſione capitum perfectum Opium obtineri, confirmaſſe ALLEYNE *diſpenſatory p. 58.* tandem in Gallia BOULDUCCIUM extractum paraviſſe, quod ad gr. ij, iij, iv eundem effectum ac opium ederet.

p. 83. Autoribus qui pro rarefactione & diſſolutione ſanguinis ab Opio militant, addendus eſt Cl. SCHWENKE *Hæmatol. p. 188.*

p. 119. illis teſtimoniis, quod opium quandoque convulſiones cieat, adjicienda eſt obſervatio HOFFMANNI, qui ex crebro uſu Syr. diacod. in infante lethalem Epilepſiam vidit. *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Cap. I. p. 28.*

p. 145. ad inſolitam & raram operationem Opii, qua alvum movet, ex *Miſc. N. C. Dec. II. Anno VIII.* referenda eſt recenſio BAVTZMANNI de propria uxore, quæ quoties laudanum opiatum ad Odontalgiam ſumſit, loco ordinariæ conſtipationis alvi ſubſequæ, experta fuit numeroſam evacuationem

materiæ aquoſæ per alvum. Excretionem alvinam auctam ab opio etiam habet BAVER *A. N. C. Vol. II. obſ. 94.*

p. 176. ubi de differentia Operationis Vini & Opii, licet in multis conveniat, verba feci, allegandus eſt LORRY *Recueil periodique d' Obſervations de Medecine, Chirurgie &c. par Monſ. Vandermonde Tom. IV.* Ibi quippe analogiam valde limitandam dicit, licet forte tantam non habeat, qualis vere eſt.

p. 304. Ut omnem correctionem Opii, ita & eam quæ admiſtione caſtorei fit, vanam eſſe commonſtravi. Miror doleoque, antiquis & recentioribus præjudiciis deceptum Cl. GARNIER *Recueil periodique d' obſervations de Medecine Tom. IV. menſ. Apr. No. 10.* Opii correctionem etiam per caſtoreum quæſiviſſe ſimulque adſeruiſſe, eos qui opium ferre non poterant, ita correctum optime ferre. Optime ſcripſit Cl. VOGEL *Mat. med. p. 352.* Nos nondum certos eſſe an Opii narcoſin caſtoreum corrigat. Puto vero me clariſſime monſtraſſe, quod corrigere nequeat.

Sect. II. p. 61. damnavi Opium, ſub incurſum paroxyſmi intermittentium vel durante eo exhibendum, licet a nonnullis Autoribus, & ante paucos annos a Cl. BERRYAT laudatum fuerit. Sat certus nil boni inde poſſe ſperari, exploſo illius conſilio, nulla ægris damnoſa futura experimenta feci. Fecit tamen ea Cel. STOERCK *Anni medici p. 77.* exhibuitque laudanum liquidum hora ante horroris ingreſſum; ſed bini ſaltem ægri poſt profundum ſomnum a febre liberati ſunt, deinde vero manſerunt ſtupidi & debiles, carentesque appetitu aliis remediis opus habuerunt. Reliquis omnibus induxit temulentiam, paroxyſmos fecit longiores, atque alvum conſtipavit. Non putat tamen ideo extra uſum ponendum eſſe hoc remedium, cum ſub ipſo paroxyſmo ſubinde inordinati motus in

nervis

nervis fiant, qui eo prudenter exhibito optime domentur. Ego autem ſat diu cogitans & pericula faciens, quomodo urgentiora & extraordinaria prorſus ſymptomata, quæ nervis affectis debentur, ut rigor, frigus intenſum, Vomitus, Singultus, Convulſiones, Epilepſia, cephalalgia ingens &c. ſub ipſo paroxyſmo mitigari queant, maturam & largam exhibitionem corticis peruviani, ut novus certo fugetur, palmarium remedium reperi, etiam in vernalibus, in quibus eo ſæpe non opus eſſe certum eſt. Dira ejusmodi ſymptomata cum febre ita arcte unita ſunt, ut vix ac ne vix quidem, niſi ipſa mitigetur & tollatur, mitigari & tolli queant, opio ſymptomatibus dicato febris vim ſemper juvante. Quæ de febribus nervoſis habet Vir egregius, periodicis acceſſionibus febres intermittentes mentientibus, ut cardialgiis, doloribus colicis, vomitionibus, clavis hyſtericis, aſthmatibus, palpitationibus, ſtata hora cum horrore & pulſus agitatione revertentibus, dum hæc mala omnia dato ante paroxyſmum Opio, præſcindi dicit, lubens eidem largior. Sed & in his caſibus uſum corticis temporibus vacuis adornatum, æque & magis valentem, multoque certiorem & ſecuriorem ac Opium, MORTONI veſtigia premens, a longo tempore ſat ſæpe expertus ſum. Neque opus eſſe credo, ut de nova methodo medendi intermittentibus febribus, & morbis periodicis ſine febre ſimus ſolliciti, cum cortex vix unquam nos derelinquat, generi nervoſo amiciſſimus. Utinam multa in Arte darentur æque ſpecifica!

p. 64. oblitus ſum mentionem facere methodi medendi febribus intermittentibus, quando ingens ſordium colluvies in ventriculo & inteſtinis hæret, per vomitoria & purgantia 6. vel 8. horis ante paroxyſmum futurum exhibita, quibus ad tumultus ſopiendos duabus horis ante incurſum febrilem, ſubjungitur Opium, directe febri haud deſtinatum, ſed ſaltem operationi emetici & purgantis limites juſtos ponere juſſum. Ca-

vendum tamen, ne opii exhibitio euſque differatur ut frigus jam inſtet, tum enim illam paroxyſmum turbaſſe multum, & graviorem diuturnioremque feciſſe novi.

p. 110. Autoribus qui Opium in delirio phrenitico laudant, addendus eſt recens ſcriptor Cl. FIZES *Traité de fievres p. 145.* quem tamen ob ſatis expoſitas rationes vix ſequar.

p. 123. finivi tractationem de uſu Opii minus ſalubri & noxio ſæpe, in febribus acutis, ſatis ſecurus de dictorum veritate. Jam præter ſpem egregium Medicum Viennenſem Cl. STOERCK a quo tale quid omnium minime expectaſſem, eidem patrocinari video. *Opiata* ſcribit *in acutis prudenti manu debito tempore exhibita nocuerunt nunquam, imo ſomnum conciliando, inordinatos naturæ motus domando, ægris mentem & vires erexerunt, quod alia medicamenta nunquam præſtare poſſunt. Hinc opiatorum in acutis neceſſitas probatur. Senibus tamen & ſopore detentis opium minus convenit. Anni medici p. 71.* Pace vero doctiſſimi Viri crediderim, me & rationibus & experientiis adſtruxiſſe, opiata a febribus acutis abeſſe debere, niſi hæ jam vergant in declinationem. Quod ſomno conciliando minus apta ſint, monſtravi p. 104. ſeq. An inordinatos Naturæ motus domant? ſed hi ſunt circulus nimis auctus, aut ataxiæ ſpirituum a cerebri diatheſi phlogiſtica pendentes, quibus omnibus opium minus quadrat. An mentem erigunt & vires? ſane cerebrum vi febris ſanguine obrutum magis obruunt, hinc mentem turbant, vires animales ſemper deprimunt, erectione virium vitalium in febribus haud opus, ſed potius depreſſione, niſi in malignis, in quibus pro hoc fine obtinendo, magis convenientia eligenda ſunt, ut de febribus malignis agens evici. VSi, nitro & aceto merito laudatis a Cl. Viro p. 4. opium contrariatur in ſua actione. Si paregoricis opus eſſe videtur, præferrem ſyrupum diacodii, quem ad agrypniam

agrypniam febrilem laudat p. 17. & exhibuit, attamen nullis fere aliis malis ſymptomatibus præſentibus, & ægro cuidam vigilanti, deliranti, inquieto copioſius, qui vero inter alia ſigna optima non anxie reſpiravit, nec oculos rubros aut torvos habuit, nec valde ſitiit, pulſu non multum febrili, adeoque ut ex his patet, abſentibus ſignis inflammationis. Ipſe ſyrupus hic remedium eſt fere magis demulcens, quam ſopiens. Conficitur quippe ex capitibus papaveris ſiccatis, coctisque in aqua, donec tertia circiter pars liquoris remaneat, qui purus iterum coquitur cum ſacharo, ita ut volatile principium longam abeundi veniam adipiſcatur. Multum diſtant vires ſyrupi diacodii, etiam ultra unciam dati, a viribus opii vel ad granum dimidium exhibiti.

p. 129. in tractatione de Variolis diſcretis & benignis aſſerui, uſum paregoricorum totum morbi decurſum placidum magis reddere. Gaviſus deinde ſum, dum Clariſſimum Virum *Antonium* de HAEN ſequentia ſcripſiſſe legi: *Paregorica damus in benignis & commodis Variolis, ut facilis morbi tolerantia ad finem uſque perſeveret, cum experientia doceat vel benigniſſimas a cauſa vix detegenda in malignas mutari. Uſus paregoricorum efficere videtur, ut funeſta hæc mutatio ſi unquam rariſſime ſaltem contingat. Hinc dormiant nec ne, vix vel parum ægrotent, datur ſemper dicta de cauſa quavis 12. hora paregoricum, ſique opus eſt augetur. At vero in maligniore ac moleſtiore genere datur auctiore doſi ſyrupus diacodii, papav. alb. laudanum liquidum Syd. Rat. med. Part. II. p. 51. 52.* Optime tamen Vir eximius uſum alvum laxantium cum uſu paregoricorum conjungendum monet, licet præciſe, quod ego multis probavi, non aſſerat, alvum laxantia ad febrem ſecundam maxime in confluentibus minuendam, præ opio valere. Enemata etiam a principio morbi ad finem uſque quotidie immittenda eſſe injungit, cum laxent totum ſyſtema meſentericum, cum pro

✤ ✤ ✤ ✤ ✤

parte abſorbeantur, & cum alvum ab opio immorigeram blande ſolvant p. 52. 53. Porro purgantia antiphlogiſtica a ſiccatis puſtulis, alterno tertioque die data, idque ad 3. 4. 5. vicem, prout indicantur, optimi uſus eſſe dicit p. 57. Verum ſiccitatem puſtularum poſuerat ad diem totius morbi 10. 11. 12. quibus perſciſſionem puſtularum repetitis vicibus ſuſcipiendam validiſſimis argumentis commendat, qua utique dum puris quo totus panniculus adipoſus ſcatet copiam minuit, febris vis ſimul multum minuitur, eaque neceſſitas dandi pro hoc fine alvum laxantia non oboritur, ac obtinet neglecta perſciſſione.

p. 143. & 144. rationibus experientiisque probavi, Corticem peruvianum haud valere ad febrem ſecundam variolarum confluentium, quippe quæ magis evacuantibus quam alterantibus ſanetur. Nolim tamen eapropter corticem abeſſe a medela variolarum mali moris, gangrænoſi quippiam habentium. Bene quippe novi ea quæ docuit Cl. MONRO *Med. Eſſay VI. p. 115.* quæque in *transact. Anglicanis Vol. 44. Part. II. No. 484.* de uſu eximio cortis cum alumine in variolis, cum petechiis, purpura, maculis purpureis, lividis, & hæmorrhagiis diſſolutionem putridam humorum loquentibus expoſuit Cl. WALL, qui tamen nihilominus pro minuenda febre evacuantia cortici præfert, & conducere ſcribit, ſi etiam ſub uſu corticis alvus ſit laxior. Quando cortex a præſente gangrænoſa humorum diſpoſitione indicatur, ſæpe citius, nempe ipſa ſub eruptione, qua illa jam manifeſtatur, eo opus eſt per totum morbi decurſum, non illis demum diebus quibus ſecunda febris urget evacuantibus potiſſimum excipienda. Aliquando tamen quando ſub ſuppuratione materia minus cocta eſt, & aquoſior, demum adhibitio corticis eſt neceſſaria. Pulchros ſucceſſus hujus remedii juncto alumine, potubus vitriolaceis, vino rubro gallico etiam exponunt HUXHAM *de Morb. epid. Vol. II. p. 122.* MEAD *de Variolis c. 3.* ROSEN *diſſ. de Variolis curandis,*

*curandis*, de HAEN *Rat. Med. Part. III. de febribus malignis.*

p. 184. expoſui meam methodum medendi febribus malignis ſine opio. Dedi circa finem morbi, HVXHAMVM præcipue imitatus, ſæpe corticis peruviani decoctum, nondum ſciens methodum Cl. de HAEN quam expoſuit *Rat. Med. Part. III. p. 40-80.* & *Part. IV. c. I.* ubi mature & per totum morbi decurſum corticem laudat, tanquam antiſepticum ſummum. Dum tot pulchris ſucceſſubus hæc medicatio confirmatur, idem cortex qui & cardiacum ſummum eſt, facile ex arte exterminabit cardiacam & alexipharmacam habitam theriacam, cum diaſcordio, & opiatis aliis.

p. 202. & ſeq. in Pleuritide merito damnavi Opium. Locum vero eidem in apparatu remediorum antipleuriticorum facit, cujus utique magna autoritas eſt, Cl. de HAEN, at vero ſimul arctos uſui limites ponit, & alia adjicit. In deſperatis Pleuriticis, ſed quod bene notandum, poſt copioſas evacuationes, & in magna copia olei, cujus vim in pleuritide omnes boni Practici norunt, Opium commendat, & veſicans dolenti loco appoſitum, *Rat. med. I. p. 40.* Cel. STOERCK *Anni med. p. 35.* in pleuritide ſi a tuſſi moleſta noctes turbatæ fuerunt, veſperi hauſtum ex olei lini ℥iij cum opio, tuſſim ſedando, ſomnum conciliaſſe dicit, ſputis matutino tempore facilius & largius prodeuntibus. Puto tamen hoc intelligendum eſſe, quando agenda jam acta ſunt, & quando tuſſis inanis eſt. Sine VSe iterata, ſine attenuantibus viſcidum, ſat diu & largiter in uſum vocatis, atque anacatharſi cum levamine doloris facile ſuccedente, Opium ipſe Vir egregius non facile porriget.

p. 260. 261. ſcripſi caſum, uſum eximium Opii in paſſione iliaca commonſtrantem, cui ad latus poni optarem illum,

illum, quem habet Ill. de HAEN *Rat. Med. Part. III. p. 104. 105.*

p. 264. loco ex SYDENHAMO allegato qui miſcelæ purgantium & Opii a Practicis receptæ contrariatur, alium adhuc ex ejus *operibus* p. 655. addi vellem.

p. 266. dum Opii uſum in hernia incarcerata ſuaſi, doleo me omiſiſſe elegantiſſimum conſilium Ill. van SWIETEN. *Dum* inquit, *ab herniis incarceratis irritatæ inteſtinorum fibræ ſpaſmodice contrahuntur, & intercepta ſic materia elaſtica turgentia inteſtina reduci nequeunt, præmiſſa larga VSe, ut maxime in tali caſu metuenda inflammatio caveatur, opium datum ſæpe feliciſſime hos ſpaſmos ſolvit, & ab imminente mortis periculo liberat. Tom. II. p. 242.*

p. 267. per incuriam aliquam ſcripſi Ill. van SWIETEN colicam Pictonum potiſſimum ſaturninis halitibus, & calcibus talibus ingeſtis tribuere. Id quidem facit *Tom. III. p. 334.* & repetit *p. 357.* Addit vero ſe vidiſſe alios ægros, hoc morbo miſere excruciatos, in quibus poſt accuratiſſimum examen invenit, quod plumbum in culpa non fuerit. Laudarat in ejus medela Opium Ill. de HAEN in parvo libello de eadem Hagæ Comit. 1745. evulgato, recentiſſime autem de ea egit *Rat. Med. Part. III. cap.* 2. ex cujus lectione conſtat, ipſum optima remedia in colica hac quavis, habere emollientiſſima epithemata, & clyſmata, copioſum oleum, & Opium. Uſui hujus igitur, a me laudato valde patrocinatur.

CAPUT I.

# CAPUT I.

## *Convulſiones & Epilepſia.*

§. I.

Organa motuum in Corpore noſtro, quibus muſculorum nomen impoſitum eſt, ortumque eorum & finem monſtrant Anatomici. Docet vero Experientia unum quemvis, dari in corpore ſuo tales muſculos bene multos, qui ſæpe quieſcunt omnino, qui vero moventur illo momento, quo acceſſerit Voluntatis imperium; huicque adeo omnem eorum motum ſubjectum eſſe illico perſpicitur. Non tamen ſufficere eorum motui unam volentem Animam, ſed & præter influxum ſanguinis arterioſi, ad eum requiri, ut commercium illud, quod inter nervum qui tendit ad muſculum, & inter cerebrum medullamque ſpinalem obtinet, ſit liberum, & ſalvum, docent Phyſiologi. Namque ligato, compreſſo, vel abſciſſo nervo, perit omnis motus muſculorum illorum, ad quos nervus ablegatur. Eapropter motus muſculi animalis ab influxu tenuiſſimi liquidi, a cerebro per nervos, ex voluntate Animæ, modo inexplicabili in hunc vel illum majori copia determinati, deducitur. Scilicet dum vires *Convulſionum indoles & cauſæ.*

antea in omnibus muſculis erant æquilibrantes, hæ influxu nervoſi liquidi majore excedentes in aliquo muſculo, vincunt vires minores muſculi antagoniſtæ, priorisque tunc contractio inſequitur. Talis autem contractio animalis muſculi quando ſuccedit ex Animæ Voluntate, eſt motus ſano homini proprius; quando vero in corpore adeſt cauſa, quæ invita anima excitat influxum nervoſi liquidi illumque naturali majorem, in muſculum qualemcunque, eodemque influxu efficit muſculi contractionem involuntariam, & ſimul violentam, tunc hæc involuntaria contractio Pathologis Convulſio appellatur. Certum equidem eſt, etiam in interna compage Viſcerum in quorum motus nil poteſt Anima, dari fibras muſculares, quin & talium faſciculos, adeoque veros muſculos, in his ergo ſi fiat motus contractilis naturali major, is rectiſſime etiam appellabitur convulſio; ſed de hac locuturus ſum in ſequentibus. Jam dum de convulſione partium externarum in ſenſus incurrente tracto, licet ſæpe & interiores ſimul adficiantur, eam dico violentam & invitam ac alterne relaxatam, vel & perdurantem cum rigore, contractionem muſculorum animalium, natam ab influxu auctiore liquidi nervoſi præter Voluntatem Animæ; quæ ſi ſtricta ſine relaxatione perduret, tetanus peculiari nomine dicitur. Modus, quo poſita quadam cauſa morboſa naſci queat talis influxus auctior, ejusque effectus convulſio, nos fere latet, ſed & ignoramus modum, quo anima in ſtatu ſano influxum illum cieat, qualisque tum mutatio cerebro accidat; id vero neſciviſſe nec Ægro nocet, nec Medico, cui ſaltem incumbit noſſe ex fidelibus obſervatis exacte cauſas morboſas, earundemque diagnoſi ac remotioni ſtudere, ut decet. Illas autem licet multum inter ſe differentes, ad duas tamen ſaltem claſſes redigendas duxit HIPPOCRATES, [a]) Convulſionem fieri aut a repletione, aut ab evacuatione, elocutus. Placuit hæc diviſio etiam recentioris ævi Medicis bene multis; ratam eam habuit ipſe Medi-

a) *Sect. VI. aph. 39.*

Medicinæ Mechanicæ Stator BELLINI & explicare anniſus eſt; probata quoque fuit THOMSONO, [b]) licet Bellianam ætiologiam explodenti, tum & PITCARNIO, [c]) ita certe, ut irritationem, quam nonnulli repletioni & inanitioni, ad cauſas omnes convulſionum melius exhauriendas addendam eſſe autumarunt, omitti, & irritationem ad repletionem referri poſſe aſſeveraverint. Me ſane quod attinet, dum omnes poſſibiles cauſas convulſionum attentus adſpicio, ſubſcribendum omnino duco Cl. de GORTER, [d]) qui in Commentario ad aphoriſmum Hippocratis modo citatum, verum equidem eſſe dicit, ex nimia evacuatione & repletione generari convulſionem, ſed abſurdum eſſe ſtatuere, a duabus hisce duntaxat cauſis omnem convulſionem oriri, cum dentur ſat frequentes, quæ nullo modo ad alterutram referri queant. Sane ſi ſolus reſpiciatur muſculus convulſus, in conſideratione cauſarum poſſet etiam adeo omitti evacuatio, nam poſita hac, is non convellitur, niſi ob humorum poſt nimias profuſiones nunc juſto minori copia ſuccedentem appulſum ad cerebrum, inordinatam eorum preſſionem in vaſa encephali, fientemque eapropter inordinatum influxum liquidi nervoſi in muſculos omnes, ceſſet æquilibrium, & in convulſum major tamen hujus copia determinetur, quam in antagoniſtam, in quo ſupponenda eſt pauciſſima. His nempe ita ſeſe habentibus, & in convulſionibus ab inanitione natis, illi muſculi ſaltem convelluntur, in quibus reſpectu aliorum contranitentium repletio obtinet. At vero convulſi muſculi cauſa proxima, quæ ſemper eſt influxus major nervoſi liquidi, non reſpicienda eſt, ſed cauſæ alicubi hærentes in corpore, & influxum hunc majorem mutato cerebro & medulla ſpinali proritantes debent conſiderari, nam harum remotionem intendere debet Medicus, cui alia ratione influxum ipſum moderari haud licet. Et de his cauſis certum eſt, quod repletio & inanitio eas non complectatur omnes, ſed quod irritatio ipſis addi debeat, id quod

b) *diſſ. de Opio Propoſ. II.*

c) *Elem. Med. lib. II. c. 5.*

d) *Med. Hippocr. p. 744.*

 vel

vel exinde patet, dum homini nec evacuationibus debilitato, nec humoribus nimis repleto acre irritans, vel affectus animi, vel partis ſenſilis punctura diriſſimas convulſiones inducere poteſt. In his certe caſibus ſolus ſtimulus nervo illatus afficit cerebrum, atque in eo ejusmodi mutationem parit, quæ proritare apta eſt majorem influxum liquidi nervoſi in muſculum aliquem, cumque eo exceſſum virium motricium reſpectu antagoniſtæ, adeoque convulſionem. Eam ob rationem tres claſſes retinebo; breviſſimisque recenſebo ad ductum earum cauſas potiores, ut dein therapia earum exactius conſtet. Ad *repletionem* itaque refero Plethoram, Orgaſmum, febrem, inflammationem; ſpiſſitudinem ſanguinis, aggeſtam pituitam, ſarcinam cacochyliæ in ventriculo latentem, cacochymiam, ſerum luxurians, excretionum ſanguinearum & ſeroſarum ſuppreſſiones, ulcerum & fonticulorum conſolidationem improvidam, pus retentum &c. Ad *inanitionem* revoco hæmorrhagias enormes per varia loca, fluxiones omnes, emeſes, & alvinas excretiones nimias, ſudores, diabeten, venerem nimis cultam, labores mentis & corporis, vigilias, famem, mœrorem, febres laudabiles humores exhaurientes &c. Ad *irritationem* tandem pertinere credo Animi pathemata, dolores, ſpasmos hypochondriacos & hyſtericos, vulnera, læſiones nervorum, remedia acria & venena, effluvia acria ex aere corpus ingreſſa, varia odorifera nervis inimica ob idioſyncraſiam, acrimoniam acidam, alcalinam, muriaticam ubicunque in corpore latentem, acre arthriticum, ſcabioſum, varioloſum, morbilloſum, vermes, calculos, dentitionem &c. Ab his cauſis omnibus & pluribus, quæ forte ſuperſunt, convulſiones naſci, maxime in ſubjectis quorum ſyſtema nervoſum eſt valde irritabile, ſenſibile, mobile, millenæ obſervationes practicæ ubivis apud Auctores inveniendæ teſtantur.

§. II.

## §. II.

Jam vero cum omnes convulſiones licet a diverſiſſimis cauſis prognatæ, ſint tamen contractiones violentæ, & invitæ muſculorum animalium, Opium primo intuitu ipſis conſopiendis aptiſſimum remedium videtur. Nempe Sect. I. Cap. II. Experientia IX. conſtitit, Opium Vires motui animali famulantes debilitare. Atque quando notante Cl. SCHVLZIO [a]) jam Hippocrates Pater convulſis mandragoram exhibuit, quando AETIVS [b]) Theriacam rigore nervorum convulſis plurimum auxiliari aſſeruit, quando teſte BOERHAAVIO [c]) Opium ea gaudet virtute ſpecifica in ratione omnium motuum facultatis animalis, quali gaudet Cortex peruvianus in motibus febrilibus intermittentibus, cur non audacter aſſerere liceret, Opium eſſe ſummum omnium Convulſionum remedium? Forte nimis cito ita ſentiunt Medici non pauci cœteroquin etiam eruditi, qui ſine ambagibus Convulſis hoc remedio ſubveniendum exiſtimant. At enim vero, ut de dolore, cujus non minus ſpecificum remedium habetur Opium, in antecedentibus annotatum eſt, nil juvare ſolam obtuſionem ſenſus, qui etiam ad facultatem animalem ſpectat, ſine reſpectu habito ad cauſam, ita id etiam de motu animali morboſo ſeu convulſione dici debebit. Hæc quippe, ni tollatur cauſa, tantum abeſt ut conquieſcat, ut potius interdum magis inſurgat, dum Opium aliquibus cauſis convulſionum ut dolorum, potius fert ſuppetias, quam easdem oppugnat. Atque de hac re tanto minus dubitari poterit, quando perpenditur, non ſaltem conſtare per experientiam Opium minuere motum animalem, ſed & per eandem certiſſimum eſſe, Opium præpoſtere adhibitum etiam in ſaniſſimis hominibus, per ſe efficere poſſe auctum motum animalem, ſeu convulſiones, ut Sect. I. Cap. II. Experientia X. p. 118. evictum fuit. Utriusque phœnomeni adeo e diametro ſibi contrarii ætiologiam expoſui Sect. I. c. V. §. 9. & 13. p. 252. Recteque omnino, quem ibi

*Therapia Convulſionum, 1. a repletione.*

a) *Hiſt. Med. §. 321.*

b) *Tetrab. IIII. Serm. I. c. 96.*

c) *Prælect. §. 1154.*

d) *Mat. Med. lib. II. p. 692.* citavi Cl. GEOFFROY [d]) Opium ut ſpasmos & convulſiones quandoque ſedare, ita & quandoque excitare profeſſus eſt. Vix vero alia ratione, & directe ejusmodi mala ingenerat Opium, quam exagitando humores, eosdemque copioſius determinando ad caput. Id quidem egregie explicavit BERGERVS [e]) qui ab æſtu quem ſanguini inducit hoc remedium, atque ab impetu quo eum ad caput urget, convulſiones deducit. Easque a ſola congeſtione ſanguinis ad caput ſæpe oriri, hincque Opium quod tales congeſtiones efficit, hujus morbi reſpectu facile noxium evadere poſſe annotavit Celeb. BÜCHNER. [f]) Quodſi igitur natæ a Plethora, orgaſmo, congeſtione, aucto circulo, æſtu, inflammatione, in ſucciplenis ſubjectis, ſuetasque excretiones ſanguineas nunc ſuppreſſas habentibus Convulſiones adfuerint, quis prudens Medicus eas Opio oppugnandas decernet? Nil deterius in omnibus morbis convulſivis habet Illuſtr. HOFFMANNVS [g]) quam ea remedia exhibere, quæ humores in graviores rapiunt commotiones, utpote qui ad hasce ſubeundas tum ſunt promtiſſimi. Eapropter omnia calida, ſpirituoſa, volatilia, opiata cane pejus & angue fugienda dicit, quæ non ſolum mali acceſſiones revocent, verum etiam id reddant deterius & pertinacius. Nonne autem hæc talia quammaxime damnoſa erunt in convulſionibus a vaſis ſanguine multo & commoto plenis ſuam originem habentibus? Nonne merito Cl. YOUNG [h]) in convulſionibus a plethora & copia humorum Opium diſſuadet? Quid inconvenientius foret in arte clinica, quam Adoleſcentem ab hæmorrhagia narium ſuppreſſa nervorum diſtentione laborantem, quem VS. alvum ducentia, nitroſa, acida vegetabilia juvaſſent, per Opium exhibitum in majus periculum intruſiſſe, ac morbus in ſe periculoſus induxerat? Atque etiam hoc pharmacum quammaxime nocivum erit in Convulſionibus febrium. Peſſimos effectus vidi ipſe, cum in acceſſione febris intermittentis convulſionibus ſtipata præberetur

e) *diſſ. de Opio §. XI.*

f) *diſſ. cit. §. 50.*

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 74.*

h) *p. 80.*

beretur Opium, quod tum humoribus ad præcordia & encephalum repreſſis prodeſſe nequibat per rationes in ſuperioribus expoſitas; cum de febribus intermittentibus agerem. Multo vero minus convenit Convulſionibus febrium acutarum, ſub quibus rapido motu ad Caput truditur ſanguis, atque influxus ad ejus interiora, transfluxus per illa, & refluxus ad cor turbulento & inordinato plane itinere ſuccedit. Valde memorabilem Tetanum habet Illuſtr. van SWIETEN, [i]) eundemque cum febre adfligentem, VSibus binis, victu blando, epiſpaſticis, clyſmatibus blandis, emulſionibus, topicis emollientibus oppugnatum, & his remediis licet ad 40. diem duraret, feliciter perſanatum. Sub finem morbi demum ad vigilias ſuperandas non ad Tetanum dedit lenia anodyna. Scilicet eadem ordinarie cauſa convulſionum febrilium eſt, quæ Vigiliarum, delirii, & comatis, inflammatio nempe incipiens, increſcens, & confirmata membranarum cerebri, atque his ſymptomatibus prægreſſis demum fere exoriuntur ipſis adhuc pejores convulſiones, cum ſummo Ægrotantis periculo. Cum autem in hoc rerum ſtatu revellere omni modo, diluere, emollire, refrigerare, adeo profit, ſi aliquid prodeſſe poteſt, quam abſonum ſit, quod verum tum Venenum evadit, revulſioni humorum a capite, & refrigerationi eorum directe contrarium Opium porrigere, unicuivis ſobrie rem conſideranti facile clarum eſſe debet. Sane rectiſſime ſcripſit THOMSON: [k]) *Detur corpus ex repletione convulſum, ſi Opium exhibeas, expanduntur fluida, & repletio fit major, atque deterior morbus. Hinc febribus in ſtatu exiſtentibus, aut ad ſtatum vergentibus, ſi adſit convulſio, omnino exulare debet Opium. Imo licet affectus non adſit, tamen fluida hactenus orgaſmo febrili nimis expanſa ab Opio exhibito ulterius expanduntur, & convulſionem inde poſſe fieri patet.* Ego monitorum horum probe memor, in Convulſionibus ſanandis, quæ febribus acutis ſuperveniebant, licet eſſent vehementiſſimæ,

i) *in Comment. Tom. II. p. 357. 358. 359.*

k) *diſſ. de Opio p. 123.*

mentiſſimæ, ab Opio abſtinui prorſus, aliorum remediorum convenientium beneficio aliquando ſalutem ægrorum lucratus. Vir 30. annorum poſt horripilationes conquerebatur de gravitate capitis, nauſea, amarore oris, & ventris fluxu, pulſu ſimul celeriore. Exhibeo cremorem tartari cum nitro & ſpiritu nitri dulc. in potione, addito ſyr. rub. id. Altera die cum poſt aliquot dejectiones pulſuum ictus increbuiſſent, ſecabatur vena, pro potu dabatur decoctum hordei cum ſucco citri & ſacharo, aut nominato ſyrupo, una cum pulveribus nitratis, diarrhœa fere ceſſante. Tertia die febre non minuta repetebatur VS., eadem remedia continuabantur, & clyſma infundebatur, capiti dolenti valde, raſo, admovebatur poſca, & naribus frequenter acetum rub. id., ſuris applicabantur epiſpaſtica. Quarta agebantur eadem, inſuperque hypochondrio dextro, de cujus tenſione æger conquerebatur, illinebatur oleum amygdalarum dulcium cum camphora, deſuper poſito cataplasmate emolliente. Poſt noctem anxiam & intercurrentia deliria, quinta die mane corripitur æger convulſionibus epilepticis, iisdemque ita ferocibus, ut pene lecto excuſſus fuiſſet. Accurro, totusque perculſus triſtiſſimo ſpectaculo, faciemque rubram & turgidam valde conſpiciens, eaque propter metuens, ne in apoplexiam malum urgens ſubito abeat, etiam ſub ipſo vehementiſſimo paroxyſmo de Vena ſecanda conſilium capio. Sane monente PITCARNIO (Elem. Med. lib. II. c. V. §. 16.) *in ea convulſione quam repletio producit, ſi plethora, ebrietas, aut ſimilia*, (quibus certe addi debet febrilis impetus) *anſam morbo dederunt*, aut acceſſio diutius protrahi videatur, etiam in ipſo paroxyſmo ſanguis eſt mittendus. Id ipſum vero hic non ita facile erat executu; namque ex adſtantibus quatuor robuſti homines cum artubus totum corpus miſerrime convulſum continere nequibant; valde difficulter igitur impoſſibilitatem operationis prætendens Chirurgus, me perpetuo hortatore, ſine ſuo potie-

potiebatur. Emiſſo vero largius ſanguine ſtatim motuum impetus remittebat, atque poſt meridiem æger ad ſe redibat, de ſalute ſua temporali & æterna deſperans, vixque alicui ſolamini auſcultans. Sexta die febris perdurans, truces oculi, tremorque aliquis, atque inquies juſtum timorem incutiebant, ne malum rediret. Accedebat tum Medicus Amicus ægri, qui enixe a me flagitabat, ut emulſioni nitratæ quam præſcripſeram, laudanum adderem, ad motus enormes præcavendos. Ego autem comiter renuens ipſi exponebam, omnem ſpem pendere a revulſione humorum a capite, ibidemque impactorum liquidorum phlogiſticorum ſolutione. Igitur ex vena pedis mittebatur iterum ſanguis, clyſma applicabatur, & hirudines temporibus admovebantur, ſufficiensque potus præbebatur. Septima die pulſus remiſſior, mollior, & compoſita mentis ſerenitas aderat, ſenſimque ad plenariam ſanitatem qua hodie adhuc fruitur, æger deſperate ſane decumbens revertebatur.

Ea omnia autem quæ elocutus ſum hactenus, ſi nunc applicentur cauſis omnibus aliis Convulſionum repletionem involventibus, ſatis patebit, ad eas tollendas attenuationem humorum, & invitationem ad loca debita, ubi excerni debent, evacuationemque eorum, quam in genere morbis a plenitudine ortis mederi dicit HIPPOCRATES,[l]) unice facere, neutiquam vero Opium. Quid enim abſurdius ſuſcipi poſſet in Praxi, quam ægro a ſagina Ventris, & cruditatibus in Ventriculo & inteſtinorum arundine coacervatis, convulſo, qui vomitoriis & purgantibus curandus eſſet, exhibuiſſe Opium? In Miſcellaneis Nat. Cur. [m]) habentur Hiſtoriæ VIII. Convulſionum, quæ fomitem in primis Viis agnoſcebant. Ægri qui convaluerunt, debuerunt ſalutem ſuam unice purgantibus & clyſmatibus, ac maxime emeticis. Data equidem Ægro IV. fuit MP. de cynogl. ad gr. viij, conquievere convulſiones, at ſecutus eſt copioſus alvi fluxus tetram ſpirans mephitim, tuncque valuit optime.

l) *de intern. affect. c. 54.*

m) *Dec. III. Ao. III. obſ. 88.*

Atque hic præcipua fuit cauſa ſanationis; eumque MP. de cynogl. potius inhibere potuiſſet, niſi jam Natura ſeſe huic evacuationi accinxiſſet. In Ægra ſexta etiam Opium miteſcere fecit motuum ferociam, ſed reiterati emetici uſu, copioſe rejecta phlegmatis amaricantis copia, integre demum convaluit.

## §. III.

*t. ab inanitione.* Tranſeo autem jam miſſa repletione ad inanitionem. Certe in convulſione hujus commatis unica ſpes ponenda eſt in replentibus, nam, ut loco modo allegato pergit HIPPOCRATES, *morbis ab inanitione medetur repletio.* Imo vero magis ſæpe in ejusmodi convulſionibus juvat culina, ſuccos ſanis ſimiles reſtituendo, quam Pharmacopolium, quod ſi etiam inſtructiſſimum fuerit, omni ſuo apparatu, ſi remedia alimentoſa excipias, ne guttulam ſanguinis vel ſeri poteſt ſuppeditare. Militat equidem in his caſibus pro uſu Opii THOMSON; [a]) namque poſtquam in Repletione id damnarat, *Verum* inquit *ſi fiat Convulſio, ex nimia inanitione, quæcunque liquidorum molem augent, ſeu rarefaciendo expandunt, ita ut juſta ratione liquida per canales fluant, morbi cauſam & morbum tollunt. Hinc in Convulſionibus mulierum hyſtericis a pathemate quovis Animi ad mœrorem referendo, unde collabuntur liquida, atque in alia qualibet inanitionis ſpecie, mira ſæpe præſtat Opium, eadem omnino ſed fortiore ratione, quemadmodum caſtoreum, ſuccinum aut alia ſuppellex hyſterica.* Non minus etiam Cl. YOUNG [b]) Opium in ſpaſmis a plethora, & repletione deteſtatus, in illo eorum genere, quod a languore aut prægreſſa vaſorum inanitione provenit, multis extollit. Nolo equidem ego contrariari laudatiſſimis Viris, audeo tamen aſſerere arctioribus limitibus circumſcribenda eſſe eorum aſſerta. Quod hyſtericas convulſiones attinet, eædem oriuntur quandoque etiam a repletione, ut alibi videbimus; aut pendent ſine evacuatione prævia a ſolo motu irregulari nervoſi liquidi;

a) *diſſert. de Opio. p. 123. 124.*

b) *p. 80.*

liquidi; aut evacuationem a qua omnes turbæ hyſtericæ exacerbantur, ſubſequi obſervantur. In primo caſu Opium nocet, per jam dicta in antecedentibus; in ſecundo, quam circumſpecte illud, licet antihyſtericorum ſit ſummum, exhiberi debeat, dicam in Tractatione de malo hyſterico ſpeciatim; In tertio quomodo ſe habeat, ſtatim exponam. Mœror ſi foveat convulſiones, poſt grata analeptica ex pharmacopolio & culina, atque poſt moralia remedia, Vini generoſioris hauſtulum præferrem multis modis Opio, quo in debilibus & debilitatis lubentius careo, ſi alia ſubſtitui posſunt æque profutura. Quod vero illam intentionem attinet, quæ expandendo Volumini humorum, nunc poſt evacuationem qualemcunque collapſo, deſtinaret rarefaciens & replens Opium, illa quidem niſi omnia me fallunt non multum valet, cum miſera ſaltem ad breve tempus hac ratione palliatio obtineatur. Reſtituiſſe præſtat liquida ipſa deperdita, & pauperiei eorum vere conſuluiſſe, vaſaque inania nutrientibus impleviſſe, quam penuriam præſentem utcunque per remedium expanſiſſe, ut latera vaſorum diducta teneantur, & circulus tantisper ſuſtentetur. Nullum certe durabile bonum expectandum eſt ab hac arte, pro abolitione morbi, & pro ſervanda vita, quæ in magno periculo verſatur, ſi ab inanitione pendeat convulſio, & maxime ſi ſecundum effatum HIPPOCRATIS[c]) ſanguini multo effuſo, & purgationi immodicæ ſuperveniat. Impleta humoribus novis vaſa certius obicem ponunt ejusmodi convulſionibus, & vitam in vado locant, ſineque his, etiamſi largiter adhibeatur Opium, nil omnino ſolidi agitur. Neque etiam in talibus caſibus adeo ſecura ſemper ſunt Opiata, ſed ſi, poſthabita etiam illa conſideratione, quæ debiliſſimis hominibus eadem tanquam minus convenientia declarat, vel maxime ut cordialia & confortantia & liquidorum collapſum elaterem reſtituentia adſpiciantur, uſus eorundem non adeo bene indicatus deprehenditur, ubi rigide omnia examinantur ut decet.

c) *lib. V. aph. 3. & 4.*

decet. Sed dicet forte Amicus Opii, dum Convulſiones ab inanitione adſunt, aut jam ceſſavit inanitio, tumque forte repletione per remedia alimentoſa ſaltem opus eſſe poterit, eaque erunt ſufficientia; aut excretio corpus inaniens adhuc durat, vel ſubinde recurrit, tum vero excretio hæc omnino ſopienda erit, ſub uſu replentium, nullum vero majus remedium ad ſopiendas excretiones habetur, quàm Opium. Videtur primo intuitu, ut nil diſſimulem, hæc animadverſio haud levioris momenti; tamen nondum ſine omni reſtrictione verum eſt, locum facilem eſſe Opio, ubi excretio quædam compeſcenda adeſt. Dum de Convulſionibus ab inanitione, & ſpeciatim a jactura ſanguinis per vulnera ortis, & rite curandis agit Ill. van SWIETEN, [d]) ingerenda vult liquida ſanis facile aſſimilanda, quæ tamen nil ſtimulantis acrimoniæ in ſe contineant; deinde ea parva copia ſimul, ſed ſæpe adhibenda dicit, ut vita ſuſtineatur debilis, nec nimis ſubita impletione vaſorum, vel aucto motu lacerentur iterum vaſa, quæ jam incipiebant concreſcere. Damnat proinde cum Præceptore BOERHAAVIO [e]) decantata antiſpasmodica, ſpiritum Corn. Cerv. Tincturam ſuccini, olea deſtillata aromatica, quæ omnia augendo ſanguinis motum, pauculum id ſanguinis quod in vaſis ſupereſt, expellerent ex disſciſſis vaſis, ad mortem uſque. An ergo tum locum aptum habebit Opium his remediis parca doſi potentius, quod acre eſt, quod certo ſtimulat, & rarefacit liquida, atque ea celerius movet per ſua vaſa? anne potius contrariatur prorſus illis momentis omnibus, quæ obſervanda ſunt ex conſilio SWIETENII? Quid vero dicam de hæmorrhagiis per varia loca ab internis cauſis obortis? Monſtravi Sect. II. Cap. I. clariſſime, Opium eas omnes magis proritare quam cohibere, pauciſſimis caſibus exceptis. Sive ergo ex vero vulnere ut ſæpe in hæmoptyſi, ſive ex dilatatis ſaltem & nimis hiantibus arteriolarum oſculis ſanguis effundatur, nec in hoc caſu, nec in illo conducet Opium ſanguinem

d) *in Comment. Tom. I. p. 381.*

e) *in Commentario præter ejus voluntatem edito ad aph. 234. no. 4.*

guinem rarefaciens, & ad partem affectam cum impetu impellens. Sique Convulſio debeatur hæmorrhagiæ qualicunque adhuc perduranti, multo minus hoc remedium adhiberi debebit, quam ſi illa jam ceſſaſſet, priore enim conditione poſita, juvaretur certiſſime duratio hæmorrhagiæ, cum poſita poſteriore ſaltem metus eſſet, ne forte iterum recrudeſceret. Non poſſum non hic recordari alicujus Fœminæ hæmorrhagia Uteri dum abortiebat, affectæ, qua effuſiorem inter ſat effuſas quas vidi, obſervavi nullam; quæque id effecit, ut longe majorem credam ſanguinis copiam in corpore hominis adulti, quam ſumitur ab iis, qui eam ad libras computo inito exacte determinare ſategerunt. Aderant prægreſſa caligine oculorum, lipothymiæ & ſubſultationes tendinum perpetuæ, atque præfracte perdurans cruoris fluor exſangui pene corpori pallidæ mortis imaginem inducebat. Præter acetum autem naribus admotum, præter emulſiones, potum thée cum lacte, & juſcula carnium quæ jugiter per multas horas parca copia ſed repetitis vicibus in uſum vocabantur, donec tandem concremento polypoſo grandiore excluſo hæmorrhagia ceſſaret, adhibui nihil. Tenui vero hoc apparatu, quem aliquis rerum haud gnarus vix pro medicamentoſo haberet, cui quandoque lipothymiis urgentibus frictiones pedum & brachiorum ad vitam minimam ſuſtentandam addebam, convulſiones graves imminentes ſemper abarcui, ſineque ſopiente Opio vitam ægræ meæ, quæ mirum quantum periclitabatur, felix lucratus ſum, ut olim in ſimili Caſu alicujus Dominæ Hagæ Comitis BOERHAAVIUS,[f]) cujus ego veſtigia legebam.

Sed et reliquis fluxionibus omnibus non convenit Opium, non enim levat nimios ſudores ſed auget, non tollit diabetem ſed intendit, non refrænat venerem ſed exſtimulat, neque eapropter cohibet excretiones involuntarias ſpermatis, ſed magis ad eas diſponit. Maxime permittitur & indicatur in emeſi & dejectione alvina nimiis, quarum

f) *in Comment. in aph.* 234. *no.* 4.

utramque valide compeſcit; igitur in caſu neceſſitatis id dare expedit, ingeſtis ſimul liquidis nutrientibus idoneis, neque tum nocebit, ſi ſanguini etiam, quem actio ejus ſimul involvit, aliquis turgor & motus velocior inducatur. Ubi vero quieverit præternaturalis excretio, tum miſſo Opio ſola repletio Curationi poſſibili ſufficiet, niſi id frænum neceſſitas repetitis vicibus poſtulaverit. Vix alicubi exſtat memorabilius exemplum quod hic referri cum cura meretur, quam apud SYDENHAMUM. [g]) Recenſet Vir optimus Choleram epidemice graſſatam, in qua non ſolum abdomen ut alias in hoc malo, ſed univerſi Corporis muſculi, brachiorumque & crurum præ reliquis ſpaſmis diriſſimis tentabantur, ſimulque mentionem injicit alicujus Ægri enormi vomitione ſpaſmorumque violentia animam agentis, cum ſudore frigido & pulſu vix micante ſed auctiore doſi & repetita laudani ſui in totum reſtituti. Atque ipſe ego olim Cholera miſere laborans ut alia mala ita & adventantes convulſiones Opio devici, licet repetitum uſum vel perferre nequiverim, vel & forte plus juſto timuerim caput ab eo tentatum ſentiens.

g) *Operum p. 172.*

§. IV.

*3. ab irritatione.*

Accedo tandem ad *Irritationem*, dumque hanc meditor, licet palmarium curationis momentum in remotione cauſæ irritantis verſetur, negare tamen non poſſum, huic claſſi Convulſionum pulchre interdum convenire anodyna Opiata. Sane ubi immaterialis adeſt irritatio, veluti a pathematibus animi; atque ubi ſolum motuum vitium ſubeſt, ſenſibilitati & mobilitati ſyntaxeos nervoſæ debitum, ut apud hypochondriacos & hyſtericas quandoque, tum prudenter exhibitum Opium ſæpe pulchre prodeſt, ad motuum impetum inhibendum, licet diſpoſitionem ad motus anomalos haud tollat. Ob hunc ille Opiſthotonus & Tetanus in America cujus mentionem facit Cl. CHALMERS [a]), Carolinæ meridionalis incolis familiaris, in Europa rarior, nec hactenus

a) *vide Medical-Obſervations and In-*

hactenus ſat accurate deſcriptus ſine Opio haud perficitur, quod Ægri largis doſibus ſine ſomnolentia ferunt. Porro quando punctus vel ſemilacerus nervus irritationem ad encephalum propagat, aut quacunque de cauſa urgens dolor omne ſyſtema nervoſum in conſenſum rapiendo convulſiones ciet, egregii certe uſus Opium eſſe obſervatur: Atque in ejusmodi caſibus ab ipſo HOFFMANNO [b]) dudum laudatum eſt, quanquam alibi in morbis convulſivis cane pejus & angue fugienda eſſe narcotica & Opiata dixerit. [c]) Memoratu dignum eſt, & Illuſtrem BOERHAAVIUM, [d]) & van SWIETEN, [e]) binis locis de Convulſionibus tractantes, de diluentibus, laxantibus, lenientibus, revellentibus fuſe differere, atque ne verbulum dicere de Opio, niſi morbus ſit a læſione nervi & a dolore, quo in caſu id permittunt & laudant, quamvis & aliorum remediorum uſum ſimultaneum inculcent. Militat quoque rebus ita ſe habentibus pro uſu Opii Celeb. LAZERME, [f]) *Quæ Convulſio* inquiens *a dolore aut ſtimulo Genus nervoſum acrius afficiente producitur, anodynis, narcoticis, aliisque dolorem mitigantibus ſanatur.* Atque re ipſa curationem hac methodo ſæpe ſuccedere hiſtoriæ morborum fidæ loquuntur. Poſt alias aliorum in *Obſervationibus Medicis Londinenſibus* Cl. SYLVESTER [g]) ſiſtit affectum ſpasmodico-convulſivum maxillæ inferioris, a læſione forti tendinis alicujus digiti, (aut forte nervi tendinem ſupergreſſi) enatum, & tinctura thebaica ſanatum. Similem prorſus morbum a clavo ferreo pedi infixo eodem remedio ſat largiter exhibito curatum ſuppeditat D. CLEPHANE. Ipſe memini Fœminæ ob dolores ſummos nephriticos convulſæ me dediſſe cum emulſionibus oleoſis paulo liberalius laudanum liquidum eximio cum ſucceſſu. Præſtat porro Opium multum boni, ubi tenuiſſimæ molis, ſed cauſticæ naturæ acrimonia ſubeſt, ſi ſimul adhibeantur demulcentia & emollientia, maxime ſi ad cutis cribrum ea deponenda & per ejus poros eliminanda eſt, neque

impe-

*quiries by a Society of Phyſicians in London Vol. I. obſ. XII.*

b) *diſſ. de Corrект. Opii p. 9.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 74.*

d) *aph. 234.*

e) *in Comment. ad hunc Aph. Tom. I. p. 381.*

f) *de morbis capitis Cap. XII. p. 241.*

g) *Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London Vol. I. Obſ. 1. & 7.*

impetus febrilis quem hoc remedium intenderet, ejus adhibitionem vetet. Ita quoque Convulſiones ab acri draſticoque purgante vel emetico oriundæ, ut ab Helleboro, qui HIPPOCRATE [h]) annotante eas inducit, & a quo eodem teſte facile lethales ſunt, ſæpe Opium ſibi depoſcunt. Cavendum ſaltem, ne eodem excretio ſtimuli, quæ ipſis dejectionibus & emeſi perficitur, nimis cito inhibeatur, ſed ita omnis medela adornanda eſt, ut inter jugem diluentium & obtundentium adhibitionem, inanes ſaltem motus ejus beneficio ſopiantur. Neque aliter procedendum, ſi a vero Veneno acri & cauſtico, aut a pharmaco præter intentionem Medentis inſtar Veneni agente, motus convulſivi excitati fuerint. Bene recordor talium ſumma violentia adfligentium, & præter omnem culpam & expectationem meam enatorum, in Juvene, cui aliis fruſtra adhibitis ob collum ſtrumoſum aſperæ arteriæ compreſſione ſæpe ſuffocationem minitans, mercurium dulcem ad ptyaliſmum excitandum præbueram. Dedi pro potu lac tepidum, clyſmata infundi feci, ex ſolo lacte cum oleo amygdalarum, atque identidem exhibui laudanum liquidum eximio & præſentaneo cum emolumento.

*h) lib. IV. aph. 16. lib. V. aph. 1.*

Atque ſic tribus claſſibus ad quas commode reducuntur Convulſiones ſatisfactum autumo, quibus expenſis conſtabit, multo rarius Opium habere locum opportunum in curatione, quam aliquis obiter attendens prima fronte exiſtimaſſet.

§. V.

*Epilepſia in genere conſiderata.*

Poſtquam quantum pro ſcopo meo requirebatur, de Convulſionibus egi, videtur labor meus facile carere poſſe ſpeciali conſideratione Epilepſiæ, cum ſit convulſio; atque in therapia Epilepſiæ utilitates & noxæ ab Opio deduci & intelligi commode queant ex modo dictis. At nihilominus atrox hoc malum ſeorſim expendi meretur, neque inutilem operam opinor impendam, ſecuturus veſtigia Scriptorum

omnium

omnium Praxeos medicæ, qui id ordinarie peculiari capite exponunt. In omni Epilepſia obſervatur violenta, invita, alterne repetens contractio muſculorum voluntatis imperio ſubjectorum, eaque tanta ſæpe, ut vires voluntariæ contractionis mirum quantum ſuperet. Eſt ergo Epilepſia vere convulſio, ſed differt tamen a Convulſione ſtricte ſic dicta, nam in hac aliqui ſaltem muſculorum animalium contrahuntur, in epilepſia multi vel omnes; dein in convulſione ſenſus ſuperſunt, & æger ſibi conſcius manet, atque eorum quæ durante convulſione agebantur recordatur, in Epilepſia vero omnes ſenſus interni & externi prorſus ſunt aboliti, nec recordari poteſt eorum æger, quæ durante paroxyſmo accidebant, licet hoc animadvertente PITCARNIO [a]) non ſit prorſus perpetuum. Tandem proprium eſt Epilepſiæ, ut ſuis periodis redeat inſultus, quod vero Convulſionibus non accidere ſolet, utpote quæ aut in mortem aut in ſanitatem deſinunt. Taceo ſymptomata quædam Epilepſiæ ſingularia, quæ a convulſionibus abſunt, ſubitaneum prolapſum in terram, ſtridorem dentium, reſpirationem ſuffocativam, ſeminis, urinæ, fæcum alvinarum excretionem involuntariam, pollicum in volam incurvationem, & ſpumam ante os. Recte igitur definitur Epilepſia, quod ſit Convulſio univerſalis muſculorum Voluntati ſubjacentium, cum ſenſuum omnium externorum & internorum abolitione, per intervalla iterum invadens. Cum vero omnium motuum muſculoſorum origo ſit a cerebro, ſenſusque omnes in cerebrum tanquam in ſuum centrum tendant, facile clarum eſſe opinor, poſita Epilepſia, poni actionem cerebri naturali majorem in muſculos motores, naturali autem minorem, & nullam, in ſenſus & eorum organa. Loquor de actione cerebri, namque quae de actione motuque nimio atque ſpasmo duræ meningis tanquam cauſa Epilepſiæ diſſeruerunt poſt BAGLIVUM clari in arte Viri, ipſeque Ill. HOFFMANNUS, vix videntur admittenda, cum

a) *Elem. Med. lib. II. cap. V. §. 8.*

ex demonſtrationibus Hallerianis præcipue, dura meninx ad omnem motum in ſe ſit inhabilis, motusque omnis qui in eadem admitti poteſt, ſaltem a pulſu arteriarum pendeat. Quoniam autem Epilepſia omnis eſt univerſalis convulſio abſente ſimul ſenſu, clarum eſt cauſam proximam excluſi Paroxyſmi ſemper hærere debere in Encephalo, omnium motuum principio, ſive cauſa encephalum ad paroxyſmum excludendum diſponens in eo etiam hæreat, ſive alibi in corpore, namque poſteriore in caſu debet tamen hæc antea adficere omne encephalum, antequam naſcatur ipſe paroxyſmus. Si in encephalo cauſa excitans lateat, Epilepſiam idiopathicam, ſi alibi locorum ſympatheticam Medici appellant. Ad utramque autem molliori & ſenſibiliori compage ſenſorii communis & nervorum præditi præ aliis ſunt proclives, etiam leviori exiſtente cauſa, in firmiori corpore cauſa ſemper eſſe debet validior. Hæc in genere de omni Epilepſia valent, at numero plures hujus mali dantur ſpecies, cauſarum valde differentium intuitu, quas invenire & tollere adeo ſæpe arduum eſt. Ad has vero ſi ut decet probe attendiſſent Medici, ſimulque ingenium morbi habuisſent cognitum, non adeo abſurda exſtaret ſpecificorum ſimplicium & compoſitorum farrago, quæ aut nimis innoxia ſunt, & nil agunt, aut ſi aliqua manifeſta actione in corpus polleant, minus opportuno tempore exhibita non parum ſubinde nocent. Omnia certe quæ huic affectui dicantur in medendo molimina, prorſus vana ſunt, aut caſu ſaltem aliquid præſtant, niſi omnes poſſibiles cauſæ Epilepſiæ quæ unquam exſtiterunt, & in Auctorum monumentis annotatæ, inveniuntur, redigantur in certas claſſes, atque individualis caſus, qui ſub manibus eſt, penſitetur exacte ad quam claſſium harum pertineat; niſi tandem omnium phœnomenorum in eo evenientium inſtituatur ſolers obſervatio & examen, ut detegatur cauſa ſingularis, & ſingularis ſanatio impetretur.

§. VI.

§. VI.

Secundum hanc legem igitur, quæ religioſe tenenda eſt omnibus ſapientibus Practicis, primo loco conſideranda venit *Epilepſia hæreditaria & connata.* Hujus utriusque cauſa ſine dubio latitat in peculiari fabrica omnium ſolidorum, cum vero hanc immutare omnis ars medica nequeat, eapropter etiam, ut omnes alios morbos connatos & hæreditarios, ita & ejusmodi Epilepſiam haud ſanare valet. Incrementum corporis & ætas mutata, dum ſolidorum omnium textum mutat, aliquando opem adfert. Id ni fiat, atque ultra pubertatis & ad viriles annos progreſſo ſi morbus ſuperſit, parum ſolaminis ſperandum reſtat. At ubi nihilominus aliquibus ægris talibus artis conſilia emolumento fuerunt, id effectum fuit per ea, quæ alios morbos inducerent corpori, omneque vitæ regimen aliud redderent. Hincque eſt, quod emetica, purgantia paulo validiora, atque quædam remedia chemica, deinde etiam illa, quæ leniori & amico ſtimulo in nervos operantur, aliumque motum eorum liquido inducunt, aliquando profuiſſe viſa ſint, quorſum & aeris, victus, mentisque occupationum mutatio pertinet. Dum vero Opium magnam poteſtatem habet ad motus quosdam Corporis humani mutandos & refrænandos, dum in habitu quorundam motuum emendando multum prodeſt, mirum non eſt, & de ejus uſu ſubinde cogitatum fuiſſe in cura Epilepſiæ hæreditariæ & congenitæ, neque tamen conſtat ſcopum præfixum eodem attigiſſe Medicos. Fateri potius debent rerum gnari, ſi in genere diſpoſitio hæreditaria & connata ad morbos, ponatur in mobilitate, teneritudine, & ſenſibilitate nervorum, tali minus conferre Opium, ut Sect. I. Cap. VI. §. 3. evici. Igitur & Epilepſiæ a tali nervorum textura pendenti haud congruet, quin potius diſpoſitionem ad morbum magis juvabit, & in habitum deductum obfirmabit. Primarium levamen unice petendum ab obſervatione aſſidua juvantium & nocentium in regimine diætetico, & ab

*ejus variæ ſpecies.*

ab attentione ſedula ad omnia quæ ægro accidunt, ut ſub quibus conditionibus invitetur & acceleretur invaſio paroxyſmi, ſub quibus tempus intercalare inter duos magis elongetur, clariſſime conſtet, tum quippe diſci poteſt, qua ratione mitior pauliſper reddi queat Vita, quæ miſere ſatis transigenda eſt homini cum radicato & inexpugnabili malo epileptico ad tumulum confligari juſſo.

Sequitur alia Claſſis Epilepſiæ, cujus cauſa ſedem ſuam habet in capite externo vel interno, quæque ibidem aliquando eſt ſtabilis, & perpetua, excluſura paroxyſmum, quoties acceſſerit cauſa quædam procatarctica, vel occaſionalis. Spectant huc 1. Læſiones capitis, per vulnera & contuſiones; ſanguis extravaſatus, pus, ſanies, ichor, premens & irritans. 2. partium oſſearum malæ conformationes, & morbi, excreſcentiæ earum, intropreſſiones, fracturæ, feſtucæ, tophi, caries vel ſimplex, vel venerea. 3. partium membranoſarum indurationes & eroſiones, quorſum ſinuum calloſitas & eroſio meningum, a quovis acri perpetrata pertinet. 4. inflammatio cerebri & meningum ejusque ſequelæ. 5. repletio nimia ſinuum, vaſorumque venoſorum meningibus & cerebro propriorum, a congeſto ſanguine multo, orgaſtico, viſcido, atrabilario, polypoſo, argento vivo quomodocunque eo delato dum ſimul tonus eorum & vis motrix languet. Multiplex certe hæc eſt Epilepſiæ idiopathicæ facies, & multiplicem diverſumque ſemper apparatum remediorum cauſæ proximæ oppugnandæ parium poſtulans, ex Chirurgia, & Pharmacia. Dolendum ſaltem, quod cauſa ſubinde valde latens adeo ſæpe cognoſci nequeat, aut cognita tolli neget, quodque in ejusmodi Epilepſia cujus cauſa ſemper permanet, Ars medica ad ſummum ſuum apicem evecta ſaltem efficere queat, ut rariores eveniant paroxyſmi, dum evitare docet & præpedit cauſas ad eos diſponentes. Hæ vero conſtanti experientia redeunt ad validas commotiones generis nervoſi per pathemata Animi, iram, terro-

terrorem, metum, amorem, veneris illecebras, & ad omnia illa, quæ ſanguinis humorumque majorem copiam vel invitant vel propellunt ad cerebrum, quorſum ſtudia, meditationes abſtractæ, imaginatio vivida, circulatio motu corporis vel aliis de cauſis aucta, plethora, orgaſmus, calor ſanguinis æſtivus, commeſſatio, ebrietas pertinent. Hinc enim eſt, quod adeo ſæpe plenitudo quædam vaſorum encephalicorum, quæ gravitate capitis & doloroſa tenſione, turgore & rubore faciei, calore præternaturali ſupremi Ventris, arteriarumque temporalium actione vividiore ſe prodit, triſte de adventuro paroxyſmo præſagium edat. Jam vero quando ad cauſas proximas Epilepſiæ hujus claſſis reſpicimus, quam inepte ad eas impugnandas Opium exhiberetur, facile videre poteſt quivis, qui ordine eundo ſingulas ſigillatim contueri voluerit, quem laborem prolixitatis evitandi cauſa in me ſuſcipere nolo. Sed nec occaſionem malo naſcituro poteſt præcidere Opium, imo vero eandem ipſa ſua operandi in corpus ratione potius ſuppeditat, ita ut jure cauſarum ad paroxyſmum diſponentium catalogo debeat inſeri. Ponatur quippe paroxyſmus excludendus ab accedente ad cauſam in capite ſtabilem congeſtione ſanguinis plethorici, orgaſtici, calidi, celerius moti; an opium plethoram & orgaſmum ſanguinis ingenerans, calorem augens, circulum intendens, liquida ad caput urgens ſua natura, unquam & ulla ratione conducet ægro tali? An ſi ebrietas (quæ homini derepente obmuteſcenti, vel ſola HIPPOCRATE [a]) teſte mortiferas convulſiones inducere poteſt, niſi eum febris corripuerit,) epilepticum malum invitaverit, ut ſat ſæpe accidit, temulentiam inducens Opium tali ægro erit aptum remedium? An ſi Veneris exercitia paroxyſmum redire fecerint, vi aphrodiſiaca pollens Opium porrexiſſe conveniens erit? Quis prudens Medicus non videt, omnimodo, & tanquam a Veneno cavendum eſſe ſub his circumſtantiis ab Opio. Quis prudens negaverit, cum

a) *Sect. V. aph. 5.*

 ſola

ſola congeſtio ſanguinis ad caput, ſola ebrietas, ſola Venus ſufficiant excludendæ Epilepſiæ, per innumeras obſervationes practicas, Opium in diſpoſitis ad congeſtiones Epilepſiam potius excludere & juvare poſſe, quam præpedire & ſanare. Habent *Miſcellanea Nat. Cur.* [b]) Epilepſiam ex decocti hyoſcyami fomentatione; an ſi foris admotum narcoticum tale quid patrat, adeo mirum erit, ſi intus datum Opium juverit acceſſum morbi comitialis? De medicamentis antepilepticis dictis, ſive Galenicis, ſive chymicis, calidis, & ſale acri oleoſo fœtis dicit THOMSONVS, [c]) quod ſanguinem orgaſmo exagitent, unde rarefiat, & mole expandatur. Quare ea in affectubus nervorum a nimia repletione, omnino cauſam mali augere, & morbum reddere deteriorem dicit. Nonne ergo in ſimilibus caſibus calidum & ſale acri volatili fœtum Opium peſſimum erit antepilepticum? Plura dicam! quis rerum gnarus non capit, quando omnia evacuantia, revellentia, refrigerantia, circulumque pacatum reddentia juvant ſub memoratis rerum conditionibus, abſurdum plane eſſe, iis in curatione interponere Opium, quod his remediis directe refragatur, tonumque dilatatorum vaſorum cerebri ſimul mirifice debilitari facit. Notum habui Virum identidem Epilepſia correptum, poſtquam capitis validam contuſionem paſſus eſſet & Bacho Venerique indulſiſſet per Annos. Varia uſurpaverat ſine effectu, atque etiam ſubinde pharmaca opiata absque fructu. VS., vini parcior uſus, & abſtinentia ab amoris illecebris, eidem levamini erant, malo ſubito recurrente ex quo a ſobrietate & morum rectitudine recedebat. Quam bene autem in Epilepſia quæ ab onere ſanguinis orgaſtici aut immeabilis cerebro incumbente natales ducit, profit uſus ſat repetitus remediorum quæ evacuant, revellunt, motuique projectili & orgaſmo ſanguinis obicem ponunt, exulare juſſo omni Opio, cum voluptate didici aliquoties, dignaque habeo bina exempla notabilia, quæ hic legantur. Juvenis erat

b) *Dec. II. An. I. obſ. 138.*

c) *diſſertationum p. 114. 115.*

erat 15. annorum, ſanguineus, ingenio acuto valens, ſtudiis deditus, ad iram pronus, nariumque hæmorrhagias ſubinde experiens. Is cum aliquando rixas habuiſſet cum commilitonibus, atque æſtate fervida motu corporis incaluiſſet, ſubito Epilepſia corripitur ſæva, aliquoties per nyĉthymeron recurrente, miraque prorſus inflexorum, extenſorum, in gyrum ductorum, ſupinatorum, pronatorum motuum varietate ſtipata. Medicinam ipſi mecum faciebat doctiſſimus quidam Collega, ambo vero miſſis omnibus ſopientibus, quæ requiri videbantur ab exorbitantium motuum impetu, quæque omnino præſcribenda Medicorum etiam ſagacium multi credidiſſent, ſuaſimus repetitas VSes, purgantia antiphlogiſtica, clyſmata, pediluvia, ſinapismos, ſyrupos horæorum cum nitro, emulſiones, diætam tenuem blandamque, hocque apparatu per multas hebdomades adhibito effecimus, ut rariores ſenſim & mitiores accederent paroxyſmi, dein per aliquot menſes ſilerent prorſus. Atque cum illi poſtea ob animi affectum validum recrudeſcerent, eadem medela tollebantur penitus, juvenisque bonæ ſpei in parentum gaudia, cum ſanitate prorſus redibat in gratiam. Jungo huic Ægro Fœminam, vitæ ſedentariæ addictam, bene cibantem, potuique cereviſiæ nimis indulgentem, ſucci pleniſſimam, vaſis exilibus, pulſu debili, capite magno, collo brevi, corporis totius fabrica non bene extenſa inſtructam, abortus ſæpius, partus laborioſos bis, menſes ſemper parciores expertam. Illa ſubito paroxyſmo corripitur epileptico, adeo invaleſcente, ut in apoplexiam is vergere videretur, quæ tamen VSe cita & alvum laxantibus avertebatur. Redibat aliquoties aliquot diebus vacuis relictis priſtina ferocia malum; nil vero hyſterici hic ſubeſſe, ſed potius in capite ſenſim congeſtum, lentumque redditum ſanguinem vaſa oppilare, phœnomena omnia & antecedentium conſideratio videbatur evincere. Repetitæ ſæpius fuere VSes, alvus ad diarrhœam uſque per multas hebdomades

domades ſollicitabatur rheo, tamarindis, manna, cremore tartari, ſalibus, rob ſambuci, ebuli, ſapone, gummatibus ſolventibus; nitrum cum ſyrupis ſaponaceis largiſſima copia uſurpabatur, clyſmata & epiſpaſtica in uſum vocabantur; menſium tempore fotus abdominis adhibebantur cum leniſſimis emmenagogis, diæta tenuiſſima injungebatur, potus diluentes & attenuantes omnis generis præſcribebantur, malo omnino ceſſante, ſed ſuperſtite debilitate ſumma capitis. Ego ut nil diſſimulem, tandem ad roborantem corticem peruvianum progrediendum eſſe urgebam, ſed adhuc inſtandum putabat honoratiſſimus Collega meus uſui præcedentium, quæ minuendo onus vaſorum cerebrinorum, augere poſſe ſimul horum vires aſſerebat. Omnia igitur continuabantur ad quinti menſis finem, & ultra, magno cum fructu, donec tandem larga ſpadanarum aquarum potione ſuperaddita, prorſus convaleſceret ægra, pro conclamata habita toties ab omnibus, quæ eam inviſerant.

Tranſeo ad novam Claſſem Epilepſiæ quæ debetur evacuationibus ſolemnibus ſanguineis aut ſeroſis interceptis, ut retentis hæmorrhoidibus, menſibus, lochiis, retentæ urinæ, vel perſpirabili ſanctoriano diu ſuppreſſo; aut retentis ſordibus in tubo inteſtinorum ſtabulantibus; aut materiæ acri qualicunque, cujus excluſio perpetua pro ſanitate utcunque conſervanda neceſſaria erat, quorſum ſcabiei tineæque capitis, arthritici & rhevmatici humoris ab exterioribus repreſſio, fonticulorum ulcerumque ſubitanea exſiccatio, ſpectant. In his caſibus omnibus, humores vel copia vel acrimonia, vel ad ipſum caput determinati, vel e longinquo nervos vellicando, cerebrum irritant, atque ſic Epilepſiam ciere apti ſunt. Facile autem clarum eſt, eorum ad loca ſueta ubi excerni debent determinationem artificialem, præſtitamque evacuationem, curationi talis Epilepſiæ unice aptam eſſe, cui fini Opium raro aut nunquam reſpondet. Namque ſi hæmorrhoides & menſes tranſpirationemque & ſudorem

ſudorem promoventia deſiderantur, licet inter ea Opium referri debeat omnino, tamen alia magis congrua habet materia medica, præ quibus ad hos ſcopos obtinendos nil ſingulare Opium præſtat. Nocentiſſimum autem id merito declarari debet in Epilepſia ſtomachica, utpote quæ dum ejectione fomitis per vomitum & purgationem, periſtalſeosque in Ventriculo & inteſtinis debilitatæ reſtitutione, eorumque omnium uſu, quæ digeſtionem juvant, abigitur, & præcavetur, non poteſt non uſu Opii alvum ſiſtentis, periſtalſin debilitantis, omnemque digeſtionem vitiantis, obfirmari & deterior atque pertinacior reddi.

* * * * * *

Sed alia iterum claſſis Epilepſiæ continet illam, quæ per violentam irritationem & commotionem totius generis nervoſi producitur, ab ingentibus Animi affectubus, ab acutiſſimis doloribus quomodocunque excitatis, ac vellicatione nervorum ab omni cauſa tendente, irritante, rodente, quæ naſci poteſt ex cibo & potu acribus vel degenerantibus in acre, ex medicamentis acribus & venenis, ex acri ſpecifico morboſo, ut morbilloſo, varioloſo, arthritico, ex humoribus inquilinis contracta acrimonia laborantibus, ex rebus toto genere præternaturalibus, calculis, vermibus; tandem a ſenſibilitate & mobilitate ſumma ſyntaxeos nervoſæ, qualis ſæpe hypochondriacorum & hyſtericarum eſt. Ut Veritati ſuus detur locus, fateri debeo, licet rarius in aliis claſſibus Epilepſiæ, in hac tamen certe quandoque multum boni præſtare Opium prudenter adhibitum. Ac primo quidem ab immateriali cauſa ſi natum fuerit hoc malum, ſolumque adeo vitium motuum ſubſit, nulla prorſus cauſa proxima materiali præſente, quæ remediis oppugnari poſſet, (namque pathemata Animi guttulis & pulvillis non obediunt,) inducto per moralia pharmaca affectu, qui dominanti eſt contrarius, quieteque corporis injuncta, princeps

certe remedium ſæpe habetur opium. Id nempe & pacatam menti tranquillitatem cum felici ærumnarum oblivione infert, & corporis intuitu animales motus auctos refrænat. Atque ſub his rerum conditionibus, modo ſuperari poſſit qui ſanitatem peſſundedit affectus tyrannus, modo omnes occaſiones, quæ ejus reſuſcitationi inſervirent, omnino præſcindi queant, Opium ſæpe uno ictu profligare poteſt minax malum, quod tamen ſi redierit, & degenerare in habitum inceperit, corroborantibus ſyntaxin nervoſam tractari debet, quibus interim & tum, Opium ſi opus interpolari poteſt. Enim vero etiam eo tempore, quando corporea cauſa Epilepſiæ alicubi latet, & affectus animi eam agere facit, & excludere paroxyſmum, qui nondum adveniſſet, Opiatis uti cum ægri fructu licebit. Hæc quidem, ut verba Illuſtr. van SWIETEN [d]) mea faciam, non proſunt adeo, quod tollant vel minuant cauſam materialem morbi, cerebrum in integumentis ſuis, ſuperficie, ſubſtantia, aut ventriculis male afficientem, ſed quatenus validos affectus animi ſopiunt, ſubitasque illas generis nervoſi turbas compeſcunt, & pacant, quæ cauſas illas ſtabiles in encephalo juvant, & in actum deducunt. Porro quando dolor immanis prægreſſus eſt, vel comitatur a ſe prognatam Epilepſiam, Opium etiam adhibere non raro expediet. Iterum hic mihi provocare liceat ad Ill. van SWIETEN. [e]) *Inter effectus doloris* inquit *etiam convulſio numeratur*, *quia itaque per narcotica poteſt obtineri*, *ut ſenſorium commune non ſentiat dolorem*, *ubi epilepſia a dolore naſcitur*, *a narcoticis*, *dum ſedant dolorem*, *multum boni expectari poterit.* Saltem in hiſce caſibus ſedulo obſervanda erunt illa omnia, quæ ego de doloribus per opium ſedandis Sect. II. ediſſerui. Scilicet quammaxime cauſa tendens, premens, rodens nervos, reſpicienda eſt, videndumque ut hæc infringatur vel auferatur penitus, in quo momento radicalis medela verſatur. Dum cauſa manet, ſaltem palliatio obtinetur ab opio, nervos ita

d) *Tom. III.* §. 1081. p. 444.

e) *Tom. III. aph.* 1082. p. 445.

cum

cum ſenſorio communi mutante, ut ad tempus irritamenta non ſentiant, ejus tamen adhibitio valde requiritur, ubi motus nimis enormes ſunt, metumque lethalitatis incuterent antea, quam cauſa eliminari poſſet. Sed multa prudentia practica hic opus! Reſtat ſenſibilitas & mobilitas nimia Syſtematis nervoſi cui torporem & ignaviam infert Opium, quod negari nequit. Ipſa autem ſenſibilitas & mobilitas quæ a fabricæ teneritudine & a laxa elementorum cohæſione pendet, dum prorſus eadem manet, neque opio firmior redditur, licet id facere poſſit ad mitigandum paroxyſmum, manet etiam ad Epilepſiam perennis diſpoſitio. Multum ergo prærogativæ tribuendum erit remediis corroborantibus. Atque hæc eſt illa Epilepſia de qua Illuſtr. WERLHOFIVS [f]) dicit quod per ſufficientem Corticis peruviani uſum ſæpe ſit curabilis, qui eapropter Electuarium epilepticum Fulleri in Pharmacopœia extemporanea deſcriptum laudat. Sine dubio etiam illæ binæ Matronæ quas Cl. de PRESSEUX [g]) ope fontis Geronſterinii Spadæ ex hoc affectu convaluiſſe vidit, nervorum laxa compage donatæ fuerunt.

Supereſt ultima Epilepſiæ Claſſis, cujus cauſa hæret in externis corporis partibus v. g. in manu, pede, quæque alicujus auræ, fumi, aut formicationis & puncturæ ſenſu ſeſe manifeſtare incipit, adſcendensque verſus caput ibidem paroxyſmum proritat. Memorabilia talia exempla apud Auctores leguntur. [h]) Ad hanc ſpeciem nil prorſus valet Opium, ſed Obſervationes omnes docent, ligaturas fortes ſupra locum illum, in quo fomes hæret, applicatas ſubito, quando paroxyſmus imminet, eundem ſæpe præpedire, communicationem fomitis cum cerebro intercipiendo. Dum vero vigili ſolertia hic perpetuo opus eſt, ut prævenire melius ſit quam præveniri, neque tamen ſemper inſidioſum malum antevertere licet, multo majores fructus ſemper edidit artificialis loci exulceratio, cauſticis actualibus vel poten-

f) *Obſervat. de febribus p. 16. in notis.*

g) *vide ejus Obſervationes Zaffii ſynopſi obſervationum ſubjunctas no. XV.*

h) *vide M. N. C. Cent. I. & II. obſ. 80. Borellum Cent. II. obſ. 95. Rhodium Cent. I. obſ. 57. Ridlinum lin. med. ao. 1695. menſe Aug. obſ. 24. Tulpium lib. IV. cap. 2.*

*Cheſneau obſervat. med. lib. I. p. 99.* potentialibus perpetrata, eademque ſat profunda & diu ſuſtentata, per ea quæ pus movent, & affluxum perennem humorum huc invitant. Quandoque & ſcarifatio profunda loci ſæpe repetita, quin & fonticulus in eodem, aut in vicinia excitatus deſideratum attulit levamen. Inſuper cum ejusmodi ægris Genus nervoſum ſit valde mobile, illa omnia ex diæta & pharmacia quæ robur ejus fulciunt, profuiſſe deprehenſa ſunt.

Supereſſet Epilepſia ab inanitione, qualem habent A. N. C. Dec. III. Anno V. & VI. obſ. 263., quæ vero de ejus medela, & uſu Opii in eadem mihi dicenda eſſent, jam attuli cum de convulſionibus ab inanitione antecedenti capite agerem.

§. VII.

*Opiata nec conducunt ante paroxyſmum epilepticum, nec ſub eodem, nec eo vergente ad finem.*

Nunc quando directo obtutu conjunctim adſpicimus omnes illas facies Epilepſiarum, quas levi penicillo adumbravi hactenus, atque memores conſtanter ſumus actionis Opii in corpus humanum, omniumque phœnomenorum inde evenientium, nil nos movebunt elogia Auctorum ipſi tributa, in præcavenda & ſananda hac ægritudine, quæ multa opera congerere nolo. PARACELSVM qui narcotica mirabilem virtutem contra morbum caducum habere edixerat, ſi cum volatilibus miſceantur, ſecutus WEDELIVS [a]) non immerito ea laudari reputat, ſive credatur ea acrimoniam humorum vellicantium ſiſtere, ſive eorundem viſciditatem incidere, ſive ligare in centro, & partem roborare, adeoque vapores & ſpiritus morbificos congelare, diſſipare, & confortatis viſceribus propellere, & epilepticum ſpasmum inhibere. Bone DEUS! quis ea imaginationis luxuriantis virtute pollet, ut tot verboſos effectus, quæ re ipſa nulli ſunt, mente concipiat. Vanus quoque eſt, licet a WEDELIO laudatus, bonus noſter SENNERTVS, [b]) quando in genere, & nulla ſpeciali cauſa determinata, ſtatim vbi inſtantis paroxyſmi ſigna præſentit æger, capere eum jubet

a) *Opiol. lib. II. ſect. II. cap. II. p. 107.*

b) *Med. Pract. lib. I. p. 594.*

jubet pilulam laudani cum camphora. Verum quotusquisque non capit, paroxyſmum imminentem vere præpeditu-rum remedium qualecunque, aut impugnare & enervare in inſtanti debere cauſam proximam morbi, aut cauſam, quæ proximam diſponit ut agat, & paroxyſmum excludat. Sed nullam cauſam proximam vere impugnat Opium niſi dolorem & irritationem fibrarum nervearum a materia acri, aut motus excitatos a pathemate Animi, ergo nulli alii cauſæ proximæ Epilepſiæ impugnandæ Opium par eſt. Cauſæ vero quæ proximam ad actionem diſponunt maximam partem fundantur in congeſtione humorum verſus caput & coacervatione eorum in encephalo, vaſorumque hujus debilitate; adeoque opium potius erit referendum inter ipſas cauſas diſponentes, tantum abeſt ut eas impediat ac removetur, & recte inter eas refertur ab Ill. HOFFMANNO. [c]) Quam male ergo Opium ſine diſcrimine porrigeretur epilepticis quibuscunque, verſus tempus paroxyſmi liquido conſpicitur.

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. cap. I. p. 15.*

Sed & in ipſo Paroxyſmo medicamenta quædam quæ peculiari vi Epilepſiæ adverſantur, ejusque cauſam diſſipant & diſcutiunt, & inter ea Opiatam Theriacam ac Mithridatium ſoluta in aqua conveniente exhibenda ægro eſſe inculcat SENNERTVS, [d]) in quo quidem conſilio ab eo recedere videtur WEDELIVS, [e]) cum aliis, qui Naturam a pugna ſuſcepta non revocandam eſſe injungunt. At vero ut taceam, quæ ex modo dictis de uſu Opii ante paroxyſmum epilepticum maxime limitando huc trahere poteram, quæque ſimul docent, & ad paroxyſmum ipſum præſentem ſuſpendendum ejus adhibitionem non facere, provocare mihi ſaltem liceat, ad laudatum modo HOFFMANNVM, [f]) ſub ipſa acceſſione omnia volatilia ſpirituoſa, ſuave, & grave olentia quæ caput vaporibus replent, & humores eo determinant, ſerio rejicientem, quorum catalogo ſine dubio etiam Opium inferendum erit. Sane ſi dicendum quod res

d) *lib. I. p. 598. vide & Fonſecam lib. II. Conſil. 80.*

e) *Opiol. p. 145.*

f) *l. c. p. 26.*

eſt, æque certe vanum erit cohibere velle paroxyſmum epilepticum, in quo ſummus motuum impetus viget, dato dum durat, Opio, quam tollere velle paroxyſmum febrilem, dato dum adeſt, Cortice peruviano. Neque etiam ſatis attenti fuiſſe videntur ii, qui remedia ſub paroxyſmo exhibenda collaudant & facile exhiberi poſſe putant, ad difficultates ſummas quæ deglutitioni naſcuntur, in homine epilepticum paroxyſmum ſuſtinente. Dentes videlicet ejus multa opera adhibita vix ſæpe divellendi firmiſſime ſibi apprimuntur, ac integræ maxillæ adeo ſæpe conſtrictæ ſunt, ut ne cuneo intruſo diducerentur. Totus deinde deglutitionis actus impoſſibilis eſt, igitur obtruſa ſi obtrudi poſſunt pharmaca vel in forma liquida, ægre ad œſophagum devolvuntur, ingreſſaque forte patentem glottidem, ægro anxio & laborioſe reſpiranti metum ſuffocationis, variaque alia neque parvi momenti incommoda inducunt.

Prorſus autem abſonum habeo exhibere Opium paroxyſmo ad finem vergente, vel jam finito, neque capere unquam potui, quando tunc datum fuiſſe ſcivi, quo fine dari potuerit. Semper ſupereſt a debilitato cerebro ſtupor quidam & ſopor, modo per brevius modo per longius tempus durans, quando quies ægro naſcitur, nique in Apoplexiam transeat Epilepſia, qua omnino ſubito interdum necare ſolet, & in quam tandem ſemper deſinit, quando necat, lædit ſaltem ſenſim repetito incurſu functiones cerebri omnes, atque memoriæ defectum, ſenſuum hebetudinem, fatuitatem, paralyſin inducit. Quid igitur porrexiſſe ægro hoc tempore Opium aliud eſt, quam voluiſſe efficere, ut tanto certius & citius a Paroxyſmo eveniant hæc conſectaria, dum ars imprudens eorum acceſſum juvat; ab Opio quippe ſolo ſine prægreſſa Epilepſia omnia hæc vitia cerebri naſci poſſe, & vere ſæpe nata eſſe, repetita Experientia ſat certum reddidit. [g])

g) *Vide Sect. I. Cap. II. §. 20.*

§. VIII.

## §. VIII.

Atque hæc omnia mala miſeros Epilepticos etiam tanto certius manere clarum eſt, quando extra Paroxyſmi tempora Opium ipſis præbetur, aut ſolum, aut aliis remediis admiſtum, etiamſi ſpecifici antepileptici elogio exornatum fuerit ab Autoribus. De Theriaca jam priſco tempore ſcripſit AETIVS,[a]) quod Comitiali morbo auxiliari ſoleat, atque AVICENNAS[b]) ipſe utebatur ſæpius mithridatio, ob inſultus epilepticos. Inter recentiores laudatus aliquoties SENNERTVS[c]) habet Electuarium a CRATONE commendatum, quod inter multa acria aromatica Mithridatium & Theriacam licet mediocri quantitate continet. Tale etiam legitur apud RIVERIVM,[d]) efficaciſſimum declaratum, ad morbum radicitus tollendum, inter varia pro ſpecificis habita unciam integram Mithridatii recipiens. Taceo de quibus jam §o. antecedente verba feci PARACELSVM & WEDELIVM Opium ut ant-epilepticum ſummum extollentes. Taceo QVERCETANVM,[e]) qui Nepenthes ſuum certiſſimum & promptum auxilium Epilepſiæ præſtare affirmat. Satis vero parcus eſt in præſcribendo ad mitigandam & ſanandam Epilepſiam Opio Illuſtr. BOERHAAVIVS, cum Excellentiſſimo Commentatore van SWIETEN, neque minus Illuſtr. HOFFMANNVS ut ex antecedentibus conſtitit. Prorſus autem ad Canones practicos retulit NICOLAVS BENZONI,[f]) Opiata non convenire Epilepſia, Convulſione aliisque capitis morbis afflictis; nocere quoque opium in ea obſervavit Johannes Franciſcus SCARDONA.[g]) Doleo vero me nondum vidiſſe Tractatum de Epilepſia Cl. DESAULT ejusque mentem de Opii adhibitione in hoc morbo ignorare. At divinatione quadam aſſequor, ipſum hujus remedii uſui minus favere. Neque certe hoc mirum, quicquid etiam boni ſibi ſecus ſentientes de hoc remedio fingant. Valde noxium eſſe Epilepticis Vinum, peculiari obſervatione docuit RIDLINVS[h]) in qua provocat ad Henr. ab HEERS

*nec vacuis ab eo temporibus.*

a) *Tetrab. IIII. Serm. I. c. 96.*

b) *vide Vitam ejus operibus præfixam.*

c) *lib. I. p. 616.*

d) *Operum p. 178.*

e) *Tetr. Affect. Cap. 5. 16. p. 214.*

f) *habentur illi in Act. Med. Haffn. Bartholini Vol IV.*

g) *in aphoriſmis de cognoſcendis & curandis Morbis Patavii 1746. editis.*

h) *lin. med. Ann. 1697. Maj. obſ. 20.*

HEERS de eodem argumento obſervationem ſimulque Mercatorem habet a Vino Epilepticum factum, & alium qui ob inopiam in quam redactus eſt vinum amplius bibere haud potuit, & ſic ab Epilepſia per plures annos fuit immunis, qua antea affligebatur. Deinde Epilepſia multos affici ex intempeſtiva Venere memorat SINIBALDVS, [i]) & modo citatus Henr. ab HEERS; [k]) atque recentiſſimus Scriptor Celeb. TISSOT [l]) ſæpe vidit paroxyſmos Epilepticos, ſub quibus ſemen profundebatur, longe majorem debilitatem quam alios reliquiſſe, noſſeque ſe dicit, Coitum epilepſia laborantibus paroxyſmos renovaſſe. Citat deinde Henr. ab HEERS & Cl. DIDIER mercatorem monſpelienſem memorantem, qui Veneri nunquam libabat, quin mox epileptico paroxyſmo corriperetur. Atque ab antiquiſſimo ævo eadem jam obſervata ſunt ab Artis medicæ principibus. Quando igitur CELSO monitore Epilepticos omnes fugere oportet poſt ſolem, balneum, ignem, etiam vinum, venerem omniaque calefacientia, fugere ſine dubio ipſos quoque oportebit rarefaciens, calefaciens, commovens, ad caput humores urgens, inebrians, aphrodiſiacum, Opium. Sed ſupereſt adhuc alia conſideratio. Plurimis Epilepticis certe conducunt remedia revellentia a capite, & ex hac ratione, eos omnibus revellentibus contrarium in ſua actione Opium non poterit juvare. Cum cura annotavit Cel. SCHVLZIVS [m]) de Cœl. AVRELIANO, quod curationi Epilepſiæ ad quam varia medicamenta proponit, ſemper præmiſerit VSem & purgantia; atque de ORIBASIO ita ſcribit FREINDIVS: [n]) *ubi acceſſio deſiit, mitti ſanguinem jubet: poſt dies quatuor vel quinque refecto paulum corpore purgationem, tribus poſtea cucurbitulas & ſcarificationem, easdemque evacuationes adjectis interdum ſinapismis repeti commodis intervallis præcipit: atque interea nutrimentum idoneum exhibet, ſpecificis adeo per ſe non confidit, ut maximam ſpem uti par eſt, in evacuantibus ponat.* Magnum Catalogum

i) *Geneanth. lib. IX. Tract. I. c. II. p. 718.*

k) *Obſerv. Med. XVIII.*

l) *in tentamine de Morbis ex manuſtupratione. p. 159. quod ſubjungitur ejus diſſertationi de febribus bilioſis.*

m) *Hiſt. Med. §. 460.*

n) *Hiſt. Med. Oribaſius pag. mihi 141.*

gum pro VSe in Epilepſia militantium Auctorum, dum ejus uſum deprædicat ipſe, exhibet Frid. HOFFMANNVS. [o]) Sique monente Celeb. MEAD [p]) hoc malum in ætate provectioribus, delapſubus ab alto, ſubitis terroribus, & copiæ humorum ortum ſæpiſſime debet, quis non videt quantum boni in curatione præſtare apta ſit phlebotome, merito, licet certa cum reſtrictione commendata RIDLINO. [q]) Sed & VSe omnibus aliis fruſtra tentatis, puerum 8. annorum ſuccis plenum ab Epilepſia liberatum vidit RHODIVS. [r]) Pulcherrime autem ut ſolet Illuſtr. van SWIETEN, [s]) *Multi inveniuntur Epileptici* inquit, *in quibus ſigna præſentis plethoræ præcedunt paroxyſmum epilepticum, quandoque licet in reliquo corpore tanta plenitudo vaſorum non adſit, manifeſte tamen apparet, vaſa capitis plurimum diſtendi, ſentiunt enim dolorem tenſivum in capite, calorem majorem, oculosque habent rubentes. In tali caſu minuere plenitudinem vaſorum ſecta Vena conducit, ut facile patet. Licet autem non ſemper radicalis cura obtineatur per ſanguinis miſſionem, caventur tamen morbi inſultus. Bonetus interim aliquot caſus habet qui docent, per VSem epilepſiam quandoque curatam fuiſſe.* Pergit dein Vir eximius & aſſerta ſua illuſtrat teſtimonio SEVERINI de uſu arteriotomes, methodorumque vetuſtarum mittendi ſanguinem ex inciſa vena frontis, ex arteriis pone aures, itemque per ſcarificationem mentionem facit. Ego ſane obſervavi ſæpius in Praxi, licet VS. & purgantia alvum non quadrare viderentur cauſæ, eamque non attingerent, cum plethora univerſalis & raptus humorum ad caput nec eſſet cauſa proxima, nec pro unica procatarctica haberi poſtularet, profuiſſe tamen bina hæc remedia nihilominus, fatalem in apoplexiam abitum præpediendo, ſique rediret paroxyſmus, alias ſequelas graviores inhibendo, longiora ejus intervalla præſtando, omnemque ejus redeuntis vim valde mitigando. Pulchre memini, fere ſemper poſt paroxyſmum graviorem, maxime

o) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. c. I. p. 22.*

p) *de imperio ſolis & lunæ p. 67.*

q) *lin. med. An. I. p. 454.*

r) *Cent. I. obſ. 64.*

s) *in Comment. Tom. III. ad aph. 1082. p. 441.*

tamen in ſucci plenis ſubjectis, ſecaviſſe venam, ac dediſſe lene purgans per aliquot dies, clarum olim apud nos Practicum D. de HELWICH. Favet vero talibus methodis, quæ utique Opium directe earum finibus contrarians excludunt, mirum quantum PITCARNIVS: [t]) *Epilepſia incipiens quæ plerumque provenit a repletione & irritatione, curatur ſanguinis miſſione, quia is nimius nimium proventum ſpirituum in cerebro facit, ſive augmentum ſecretionis, ſicut irritatio facit augmentum derivationis. Quare etiam purgantia conveniunt, quia minuunt quantitatem humorum irritantium, nam ſpiritus ſolito acriores æquipollent pluribus, ſive mole auctis.* Laudat dein ob evacuationem Vomitoria, ſetacea, & decoctum Guajaci validum, quia evacuet plurimum. Hæc ſi trutinentur exactius, ſaltem certum redditur, ubi evacuatione & revulſione opus eſt, ad curandam vel mitigandam Epilepſiam a repletione oriundam, vel repletione fotam, ibi omnino exulare debere Opium, de quo ne verbulum habet PITCARNIVS. Mirum hoc certe eſt, cum poſt omnia evacuantia uſurpata, tandem ant-epileptica ſpecifica admittat, illisque omnibus vim narcoticam ineſſe dicat, quæ ſpirituum derivationem prohibeant, ne cinnabari excepta, cujus agendi rationem mira ſane ætiologia, a Mercurio comprimente nervos arteriis interjectos, & ita in cerebro emanationem ſpirituum prohibente deducit. Sed ejus inertiam ego olim ipſe, [u]) doctius autem omnino Cel. CARTHEVSER [x]) & Cl. HVNDERTMARK [y]) commonſtratam dederunt.

t) *de diviſione Morborum, Operum Tom. I. p. 171. & Elem. Med. lib. II. c. 5. p. 119.*

u) *in diſſertatione libro de Viribus terreis remediis gratis adſcriptis præmiſſa.*

x) *diſſertatione de Cinnabaris inertia medica.*

y) *libro ſingulari de Mercurio §. 6.*

CAPUT

# CAPUT II.

## *Morbi convulſivi.*

§. I.

In ſerie Morborum quos explicui hactenus, dictat ordo, ut ad hypochondriacum malum conſiderandum protinus me recipiam, quanquam aliud prorſus ejus ingenium, quam quod præſentem catalogum ingrediatur, diu inter Medentes habitum fuerit. Videlicet per longum tempus, poſtquam a GALENO in artem introducta fuerat bilis atra, malum hoc totum eidem tribuebatur. Tandem ſuperioribus ſeculis cacochyliam in Ventriculo & inteſtinorum canali collectam, ſanguinemque viſcidum, denſum, acidum, auſterum, humoresque omnes fixos, fœculentos, aduſtos, quin & tartarum hypochondriorum allegare, & Lienem pene unum tot tantorumque incommodorum hypochondriacorum reum habere moris erat. Præcipue autem acido multum culpæ tribuebatur, ab iis maxime, qui omnem pathologiam huic fundamento ſuperſtruere conabantur; cumque inſuper martis uſus toties proficere Hypochondriacis, obſervaretur, acidum hoſtile eo deletum opinabantur Medici, eoque nomine eundem valde commendare ſolebant, ut apud alios bene multos, & egregium LENTILIVM multis locis videre eſt. Videtur his etiam addi debere PITCARNIVS,[a]) qui ex defectu comminutionis chyli & ſanguinis in ventriculo, pulmone, liene, colo, acidum hypochondriacorum derivat. Inter Neotericos Illuſtris BOERHAAVIVS Veterum bilem atram quam diu emortuam crediediſſes, quaſi e tumulo ſuo iterum reſuſcitavit, probavitque ſanguinem orbum mobiliſſima ſua parte, craſſum, atrum, pinguem, terreſtrem per leges hydrauli-

*Malum hypochondriacum ejusque ingenium.*

a) *Elem. Med. lib. II. c. 22. §. 1. 2.*

cas depelli debere neceſſario in vaſa hypochondriaca, ibidemque hærentem mala illa ciere, quorum complexus Morbus hypochondriacus audit, de quo ex iisdem principiis deducto elegantiſſimam diſſertationem conſcripſit Celeb. RICHTERVS. Vix abludere videtur ab hac theoria Pathologia Stahliana, quæ ſanguinem plethoricum ſpiſſum redditum difficulter per ſyſtema Venæ portarum promotum, ac exitum per vaſa hæmorrhoidalia molientem pro cauſa declarat, quam & licet Stahlianis toties contra dicat, tamen etiam agnoſcit Cel. HEISTERVS. [b]) Atque clariſſimi hi Viri omnes, qui hactenus enarratas ſententias fovent de malo hypochondriaco, fere plus dant humorum vitiis, quam ſolidorum peccato, quanquam Stahlius cum ſuis, vel a ſapiente vel ab aberrante Natura ſuſceptas motus tonici exacerbationes ſtricturasque ſpaſticas immiſceat, aliique tandem & in ipſa vaſa labefactata migrare morbum agnoſcant. Verum ex quo omiſſa fere antea conſideratio ſtatus ſolidorum præternaturalis in Medicam Theoriam invecta eſt, non defuerunt etiam præſtantiſſimi Viri, qui ipſam originem, cauſamque proximam mali hypochondriaci neutiquam a fluidorum quantitate & craſi vitiata, ſed quammaxime a ſolidorum conditione male ſe habente, deducendam eſſe aſſeverarunt. Inter eos WILLISIVS [c]) etſi lienem humorisque in eo ſtagnationem culpæ perpetuo implicat, tamen omni opera commonſtrare anniſus eſt, affectus hypochondriacos maxima ex parte eſſe convulſivos & a genere nervoſo ejusque incolis ſpiritibus repetendos. Deinde SYDENHAMVS [d]) licet magis obſervationi & experientiæ & Therapiæ quam theoriæ morborum favens, affectiones illas, quas in fœminis hyſtericas, in maribus hypochondriacas inſignire libet, a ſpirituum animalium ataxia, facto modo in hanc modo in illam partem impetu, pendere judicavit. Nemo autem rectius hanc rem omnem, magisque intelligenter expoſuit, quam fidiſſimus Præceptor HOFFMANNVS

b) *in Comp. Med. Pract. Cap. X. §. 18.*

c) *de Morbis convulſivis cap. XI.*

d) *p. 495.*

NVS [e]) poſtquam per innumeras obſervationes ediſcere odioſi hujus & tædioſi Morbi ingenium allaboraverat, cujus cogitata de eodem experientiæ exacte congrua huc fere redeunt: Ponit quippe ſedem mali non in liene, non in vena portæ, ſed in ventriculo & inteſtinis, quorum viſcerum conſenſum cum toto Genere nervoſo data opera ſæpius expoſuit, & in hoc momento fundamentum pene omnium ſymptomatum omne corpus afficientium collocandum eſſe docet. Cauſam proximam ſtatuit nervoſarum harum partium debilitatem & mobilitatem, accuſatque præcipue motum periſtalticum languentem & perturbatum, quo fiat, ut uno loco relaxatio adſit, dum alius ſtrictura afficitur, & contra. Hincque ſequi tandem inordinatum circulum ſanguinis, per vaſa illa, quæ excurrunt inter membranas ventriculi & inteſtinorum, demumque per omnia abdominalia viſcera, edocet. Non ergo rejicit ægre ſuccedentem progreſſum ſanguinis per hepar & totum ſyſtema Venæ portarum, vitiaque excretionum hæmorrhoidalium & menſium complicata; urget ſaltem, exundantem & immeabilem humorum molem debilitare vaſa, debilitare elaterem ſolidorum in ventriculo & inteſtinis, ac hac ratione turbare omnem periſtalſin, ſicque cauſam proximam totius mali ingenerare. Eapropter & hæreditariam diſpoſitionem, robur ſolidorum deficiens involventem, tantum facere ad hujus morbi excluſionem innuit, cui omnia quæ id debilitare apta ſunt, mirum quantum favere ait, non excludens interim cauſas occaſionales ſanguinis humorumque ſpiſſitudinem ingenerare aptas, aerem, victum craſſum, vitam ſedentariam, prægreſſos morbos, & quæ ſunt reliqua. Sæpius ego quoties mihi res fuit cum Ægris Hypochondriacis, trutinavi ſedulo divortia ſententiarum ad hunc diem vigentia, circa vitia vel in fluidis, vel in ſolidis ſupponenda. Vidi Viros lacertoſos, toroſos, robuſtos nihilominus hypochondriacos. Vidi alios tenuioris corporis habitus, teneriori

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. c. 6.*

debiliorique ſolidorum omnium compage præditos, malo hoc miſere afflictos. Vidi ſanguine & ſuccis plenos, æque ac macilentos ejus tyrannidem expertos. Vidi ſatis exercitatos mobilique vivendi generi addictos, vidi ſedentariam & otioſam degentes vitam, perinde hac ægritudine odioſa laborantes. Eaque propter ſæpe ſæpius convictus ſum, a valde differentibus cauſis naſci triſtiſſimum malum, neque unam eſſe ejus faciem, dum modo ſolidis modo fluidis partibus magis inhæret, ac modo per has illis, modo per illas his tandem vitium affricat. Multos ſcilicet nunquam Hypochondriacos futuros fuiſſe certum eſt, niſi variis diætæ vitiis exutum aquæ majori parte ſanguinem coacervaſſent in imi Ventris viſceribus. Multos vero etiam nulla pene in humoribus exiſtente morboſa diatheſi, aut præſente potius loco plethoræ & ſpiſſitudinis humorum, quæ ſæpe perperam accuſatur, inopia boni ſanguinis, ex ſola Generis nervoſi debili mobilitate, ſive adgenita, ſive adſcititia, tamen experiri mala ſingula conſtat, quæ Hypochondriacos affligunt. Scivi igitur tunc perinde eſſe ad excluſionem incommodorum ſub diaphragmatis fornice ad unum omnium, ſive non moveatur ſanguis viſcidus ſua propria culpa, ſive culpa vaſorum hic conſtrictorum, illic elatere deſtitutorum & laxorum, inque eum non rite agentium, moras nectat. Hæc dum ſat diu veriſſima reperi, tanto majori voluptate vidi Illuſtrem van SWIETEN [f]) non ſoli inhæſiſſe Theoriæ Bœrhaavianæ, ſed diverſum a ſe invicem morbi ingenium, pro ea qua pollet ſagacitate, accuratiſſime deſcripſiſſe. *Ubi in toto ſanguine* inquit, *mobilioribus diſſipatis craſſiora & minus mobilia coiverint, producitur Cacochymia Medicis atrabilaria dicta, quæ ubi colligitur in viſceribus abdominalibus, tunc vocatur morbus hypochondriacus. Sed & alia hujus mali ſpecies a Medicis obſervatur, ſimili nomine vocata, licet diſtincta penitus. Plurimæ enim mulieres, & multi etiam Viri, qui otioſam Vitam degunt, imprimis*

f) *in Comment. Tom. III. p. 91. 92.*

*ſtudiis*

*ſtudiis dediti, adeo mobile & irritabile habent totum genus nervoſum, ut a levi etiam animi affectu ipſis ſummæ anxietates, ſpaſmi & dolores producantur. Tunc eſt malum hypochondriacum ſine materia, quod ſi inveteravit, alteram ſpeciem ab atra bile producere ſolet.*

§. II.

Hæc cum ita ſint, ſeria omnino attentione in Curatione opus erit, omnibusque Hypochondriacis per hactenus dicta, non convenient omnia remedia antihypochondriaca vocata, illaque quæ vere juvant rigidos atrabilarios, debili nervorum compage præditos offendere poterunt facillime. Sed propoſitum meum poſtulat, ut præcipue nunc agam de uſu & abuſu Opii. Qui tramite a BOERHAAVIO [a]) monſtrato inceſſit laudatus jam Cl. RICHTERVS, atram bilem reſpiciens, in lentore ejus per congrua ſaponacea placide ſolvendo, in eadem e corpore eliminanda, tandemque in robore viſceribus reſtituendo, omnem curæ cardinem verti affirmat. Nihil autem ad omnes hos fines facere poteſt Opium, nec evacuans, nec roborans, nec attenuans ita, ut alia attenuantia non forent longe magis indicata, & præ eo mirum quantum magis convenientia. Si igitur quam accuratiſſime inveſtigetur omnis juſtæ adhibitionis poſſibilitas, vix invenietur alia, quam ubi forte inter ſolvendum & evacuandum dolores adſunt, & nimis urgent, in quo caſu Cl. RICHTERVS [b]) pauxillum Opii ægris non denegandum eſſe dicit. Sed diſpiciamus nunc, quid in altera ſpecie mali hypochondriaci nobis promittere queamus ab Opio. Præcipua ſane intentio hic erit, debilem tonum ventriculi & inteſtinorum reliquorumque viſcerum omnium ac totius nervoſæ ſyntaxeos corroborare, ac languentem propterea circuitum ſanguinis per abdomen juvare, & liberum ubique præſtare. Id autem maxime fit remediis ex Cortice peruviano & marte; Quodſi vero ſolidorum debilitati liquidorum copia & ſpiſſitudo jungatur, dictis roborantibus pharmacis

*Therapia.*

a) *aph.* 1101.

b) *§. XI.*

macis VS, hirudines, ſapones, ſalia, aquæ minerales, carolinæ maxime toties HOFFMANNO laudatæ, præmitti debebunt, ac motus potusque ſufficiens injungendus erit. Nullo reſpectu huic remediorum apparatui addi poſſe Opium, quilibet facile videt; at vero, ſi ad nullam veram indicationem therapevticam implendam facit, proderit ſine dubio lenimini ſymptomatum in malo pertinaci, quodque multum temporis ſæpe requirit, etiamſi expugnetur, non raro autem in totum expugnari prorſus negat. Hoc ergo vel ſolo fine aut donec ſuperetur morbus, aliis remediis, ægrum exacerbationes patientem ſolabitur, aut cum refractario affectu ad urnam confligari juſſum mitius adfligi faciet Opium. Videamus autem jam brevibus, quæ ſint illa pathemata, quæ Hypochondriacos ordinarie & præcipue excruciare ſolent. Omnes ejusmodi ægri uno ore conqueruntur de appetitu dejecto aut vago ſaltem, de languida ventriculi digeſtione, de cruditatibus, & ructubus quibus interdum vomitus accedit, de tenſionibus hypochondriorum dolorificis, de cardialgiis, de flatibus & borborygmis, de torminibus, de alvo ordinarie ſegni, ſed & interdum de nimis fluida, de anxietatibus, de aſthmate de palpitatione cordis, de inquietudine, de cephalalgia, vertigine, aurium tinnitu, pavoribus in ſomno, quæ mala animum ipſum tandem afficiunt atque mœſtum & timidum reddunt. Inter ea omnia, ſi rite conſiderentur ſigillatim, varia incommoda adeſſe deprehendentur omnino, quæ nullo alio remedio certius, quam Opio pacari ſeſe patiuntur. Dicitur malum hypochondriacum uno nomine quandoque Medicis malum ſpasmodico-flatulentum, & recte! Quid vero mihi dabis ad ſpasmos fibrarum nervoſarum ſedandos aptius, quid flatubus pellendis potentius, quam quidem Opium, quod dum ſpasmos aerem rarefactum in inteſtinis coercentes citiſſime relaxat, merito laudari debet, ita ut ipſo BOERHAAVIO[c]) judice, eo nullum felicius detur Carminans. Quid itaque tenſiones

hypo-

c) *de Viribus remediorum pag. mihi 117. & 373.*

hypochondriorum, dolores exquiſitiſſimos quandoque inferentes, quid ſiniſtri præcipue turgorem, qui lienem tumidum mentitur, ſolis tamen in flexura coli vi ſtricturarum incluſis flatubus debetur, promptius expugnaret? Sane Cel. KRÜGER [d]) anodyna in illo ſtatu mali hypochondriaci periculoſiore, quando nempe nimia tenſio fibrarum cerebri & totius corporis ſummum moleſtiarum ſenſum pariendo in Maniam vergit, vel & convulſiones minatur, divina remedia appellat. Deinde etiam parcus alioquin in laudando Opio Cel. HOFFMANNUS [e]) in Hypochondriacis gravibus abdominis doloribus tuſſique detentis, pilulas balſamicas cum uno vel altero grano laudani opiati inſigne dolorum levamen adferre profitetur. Quid porro anxietati, quæ toties nulla alia eſt quam ſpasmodica, ipſa limpida urina teſte, melius ſuccurret, quid aſthma illud quod ſtricturis unice debetur, quid cardialgiam ſiniſtrum dextrumque orificium Ventriculi exacte claudentem, dum interim intus incluſo rarefactoque aere tota ejus moles diſtenditur, citius profligaret, quam indicatiſſimum Opium? Ita ſane primo intuitu videtur! Neque dubitat aſſerere modo laudatus Cel. KRÜGERUS, [f]) docere experientiam hoc remedium plurimis Hypochondriacorum ſymptomatibus contrariari. Verum enim vero addit tamen etiam, Opium ita ſeſe habere, ut commendari contra hunc morbum omnino mereretur, ſi ſaltem cum ſymptomatibus quoque vera ejus cauſa ita tolleretur, ut brevi ſeſe non iterum manifeſtaret. Pergit deinde, equidem poſſibile fore, ut repetitis ejus doſibus illa impugnarentur, ſed hoc ipſum ideo vix ſuaderi poſſe dicit, quia doſes ſemper augendæ ſunt, & quia inſuper repetitus uſus ſummam fibrarum flacciditatem inducturus eſſet. Sed ſpeculemur adhuc paulo accuratius operationes Opii in Corpus, & eas cum conditionibus illis, quæ in Hypochondriacorum corporibus obtinent, conferamus. Nonne Opium natura Ventriculo adverſum appetitum deſtruit, digeſtionem labe-

d) Natur-Lehre Tom. III. p. 579.

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. V. p. 335.*

f) *loc. cit.*

labefactat & cruditates cumulat? [g]) Quodſi igitur Cl. GEOFFROY [h]) monitore, illis quorum Ventriculus debilior cibos difficillime concoquit ſumma cautione dandum eſt, tali certe ventriculo præditis Hypochondriacis vix tuto exhibebitur. Monſtrat deinde rerum uſus, ægros hos omnia ſua incommoda abdominalia longe gravius perpeti, ſi alvus quæ ipſis ſæpe admodum pigra eſt, diutius clauſa permaneat, tumque & moleſtioribus ſymptomatibus circa caput adfligi. Sed opium ſua actione propria alvum ſegniorem reddit, humoresque urget ad caput, ac cephalalgiam, vertiginem, tinnitum, pavores inducit, [i]) igitur omnia hæc hypochondriaca mala citius advocat, & exacerbat. Nonne ergo tot infortunia vere patrat, quot bona præceps fiducia ſibi ab ejus uſu promiſerat? Sed plura dicam! Ipſa radix a qua omnia incommoda hypochondriaca prognaſcuntur, eſt tonus dejectus ventriculi & inteſtinorum, motusque horum viſcerum periſtalticus ſegnis & inordinatus, ſive morbus ſit ſine materia, ſive atrabilaria materie ſtipetur. Opium igitur non poteſt non omnia illa incommoda magis confirmare, quam minuere, quia ſua dote naturali actionem fibrarum motricium omnium in toto alimentorum canali infringit, ac periſtalſin ſegniorem reddit, atque abolet. [k]) Quicquid igitur ab Opio expectare poteſt Hypochondriacus, nil eſt aliud quam miſera ſymptomatum quorundam palliatio, neque ullum eorum alia ratione eo poteſt ad breve tempus mitius reddi, quam ut ſimul pejor reddatur & firmetur cauſa primaria, a qua omne malum pendet. Et quid multis? tantum abeſt, ut Opium ſit conveniens quoddam malo hypochondriaco remedium, ut potius referri debeat inter cauſas occaſionales, quibus inducitur, ad quas omnia ſine exceptione pertinent, quæ debilitare tonum Ventriculi & inteſtinorum valent. Non ergo injurius in Opium fuit Cel. HOFFMANNUS, [l]) quando vere ipſi catalogo cauſarum harum opiata & narcotica prægreſſis morbis improvide oppoſita

g) *vide Sect. I. Cap. II. experientia XIV.*

h) *Mat. Med. Tom. II. p. 710.*

i) *Sect. I. Cap. II. exper. XV. & V.*

k) *Sect. I. Cap. II. exper. XIV.*

l) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. c. VI. p. 221. & 244.*

poſita fideliter inſeruit, caſuque ſpeciali docuit, Malum hypochondriacum ſat grave ſecutum fuiſſe diarrhœam pulverum opiatorum liberalibus doſibus oppugnatam. Tanto igitur magis attendi debent ejus monita quæ tradit: [m]) *Cum ſedativa & ſtupefacientia tantam vim* inquit *robori inteſtinorum inferant, ut illud labefactent, & tantum non penitus evertant, ideo nihil & producendæ & fovendæ hypochondriacæ paſſioni tam opportunum eſt, quam crebrior horum remediorum uſus. Hunc morbum ex continuis inflationibus & ſpaſmis ventriculi & canalis inteſtinorum prorſus nervei enaſci; atque excretionis alvinæ ſuppreſſæ & inde congeſtæ colluviei vitioſorum humorum productum eſſe certiſſimum eſt. Cum vero hæc remedia alvum cohibeant, vimque & robur inteſtinorum minuant, quid iis exitioſius in hac ægritudine excogitari poſſit, ego quidem non video. Non ſemel ſed aliquoties, quod ſancta fide teſtari poſſum, a ſolo immoderato opiatorum uſu in diarrhœis & dyſenteriis coercendis, vel cohibendo intermittentium impetu moleſtiſſimum hypochondriacum malum, quod per omnem fere reliquam ætatem homines miſere exercuit, enatum animadverti. Atque ſi quis ſymptomatum, dolorum nempe in hac paſſione ſævitiam paulo frequentius anodynis infringat, profecto ad tempus quidem allevamentum quoddam adfert, ſed malum magis contumax reddit.*

m) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. Cap. VII. p. 277.*

Ego certe non nimio forte affectu in Optimum Præceptorem ductus cavi ſemper quantum potui, ab Opio, in medicatione Hypochondriacorum, ſed obſervatio alienorum ſucceſſuum & eventuum cautum ſimul me eſſe juſſit. Vidi quippe chronicas & immedicabiles hypochondriorum extenſiones, ventriculi inflationes, tumores abdominales, anxietates perennes, flatuum tyrannides, cum alvi ſegnitie in habitum degenerante in iis, qui qualemcunque ob cauſam crebrius uſi fuerant Opio. Verum eſt, triſtes ærumnas cum quibus conflictantur Hypochondriaci, & dolores maxime,

 inter-

interdum anodyna extorquere Medico ea etiam non adeo in deliciis habenti, ut placeat ægro, utque cito ſubveniat moleſtiſſimo cuidam ſymptomati. Verum quoque eſt, ſi tale valde urgeat, unum vel duo præbia Opii non inſuperabilia mala inferre poſſe, modo ſaltem in habitum degenerantibus incommodis hypochondriacis non crebra nimis & facili manu opponatur habitualis uſus Opii. At vero conſiderari tamen debet, majus lenimen vel æquum ſaltem adferre non raro alia remedia, ſi ſeligantur ut decet. Anxietatibus, flatubus, & cardialgiis, præcipue ſi ſubſit ſpirituum ataxia, in debilibus ſubjectis, Opio multo felicius medentur ſpiritus acidi dulcificati, amaricantia & aromatica, & inter hæc mentha & chamomilla, gummi-reſinæ, atque clyſmata emollientia & carminantia, quorum illa ventriculo ſimul & nervis omnibus grata ſunt, ſecus ac Opium, hæc vero alvum ſimul expediunt quam Opium occludit. Multum quoque his malis detrahit, cacochyliam in canali alimentorum ſtabulantem expurgans, roboranteque ſimul virtute pollens rheum; multum ſolaminis adferunt Elixiria viſceralia dicta, ex extractis amaris, Cort. aurantiorum, cortice chinæ & caſcarillæ cum terra foliata tartari concinnata, quæ omnia ſimul cauſæ proximæ totius morbi nil addunt, ſed ſemper aliquid detrahunt. Hæc qui ſciverit non cœco impetu, vixque auditis Hypochondriacorum querelis, ut in Praxi tumultuaria moris eſt, convolabit ad Opium, ſed potius auſcultabit Cl. RIDLINI [n]) Conſilio, quo is Obſervationem aliquam *de Ægro Hypochondriaco* obſignat. *Ut huic* inquit, *ſubjecto præterquam quod ſomnum induxit, nil quicquam profuit Panacea Wildeganſii, ita hoc & de aliis Opiatis in hypochondriacis pleruinque notabis. Multum itaque Opii, niſi ſumma urgente neceſſitate, nunquam iisdem exhibebis.*

n) *lin. med. Anno III. obſ. 25.*

§. III.

*Malum hyſtericum.*

Prona via a malo hypochondriaco progredior ad hyſtericum, quod priori adeo analogum, imo cum SYDENHAMO

HAMO [a]) tanquam ovum ovo ſimile multi clari Viri habent, ut ſaltem a ſexu differentiam pendere affirment; quanquam & aliqui aliter ſtatuant cum HOFFMANNO, [b]) qui fœminas non ſaltem hyſterico ſed & vere ab eo diſtincto hypochondriaco malo laborare contendit. A longo temporum tractu, vim vocis alta mente repoſtam tenentes Medici, totius ægritudinis hyſtericæ ſedem in Utero collocarunt, eundemque cauſam omnium malorum agnoſcere non dubitarunt, Hippocratis ipſius veſtigiis religioſe, & tenaciter inhærentes. Ita actum fere ad medietatem ſuperioris ſeculi, ea ſaltem diſcrepantia, quod alii, quos inter adhuc adeo Cl. LOMMIUS [c]) exſtitit, uterum ipſum ſuum locum quo natura repoſitus eſt mutare & ſurſum adſcendere aſſeveraverint, alii vero cum GALENO [d]) eum fixum & ſtabilem equidem permanentem, ſaltem tetros quoſdam ex corruptis humoribus halitus ſpargere ad alia viſcera, & nervos crediderint, de quorum vaporum ex putredine ſanguinis menſtrui & ſeminis natorum malignitate multa adhuc loquitur RIVERIUS. [e]) Multo vero rectius demum poſtquam Carolo PISONI [f]) culpam omnem ab Utero ad cerebrum & nervorum principia transferre placuiſſet, WILLISIUS & SYDENHAMUS Paſſionem hyſtericam eſſe docuerunt Morbum ſyſtematis nervoſi ſpasmodico-convulſivum, ab ataxia ſpirituum oriundum, qui experientia teſte virgines, uxores, viduas, gravidas, puerperas, ſteriles, fœcundas, præcipue autem ſenſibiliores & inconſtantis animi, tenerioris corporis habitus, molliter & laute vivere ſuetas, otio indulgentes, ſanguine plenas, venerem meditantes, affectubus iræ, terrori, mœrori, zelotypiæ, fræna injicere nequeuntes fœmellas maxime invadit, vix laboribus adſuetas, duro victu vitam ſuſtentantes, virilique conſtanti & compoſito animo præditas. Williſiana & Sydenhamiana dogmata ſecuti ſunt fere omnes Clariſſimi Medici recentiores, inter quos tamen quidam fomitem mali, acrimoniam quandam

a) *Operum pag. 486.*

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. cap. V. pag. 156. & 168.*

c) *Obſerv. medicinal.*

d) *de locis affect. C. V.*

e) *Operum pag. 378.*

f) *de morbis a colluvie ſeroſa Sect. II. part. 2.*

nervos irritantem nihilominus in Utero admittendam eſſe rati ſunt, aliis uterum inſontem prorſus habentibus. [g]) Qui eleganti ſſime de Paſſione hyſterica egit SYDENHAMUS [h]) uterum ab omni culpa liberat, atque ſymptomata omnia hyſterica a ſola ſpirituum animalium ataxia, debilioriquе eorum craſi, ac neutiquam a ſemine aut ſanguine corruptis, halitusque malignos in partes affectas elevantibus deducenda eſſe, ſed morbum ſine materia in nullo humorum fomite deliteſcere contendit. Simili ratione ante Sydenhamum WILLISIUS [i]) affectionem hyſtericam primario eſſe convulſivam, atque a cerebro & nervoſo Genere affectis pendere, & anomalias circa ſanguinis motum ſecundario demum a Viſcerum ſpasmis fieri affirmaverat, hanc pathologiam ſuam data Opera ſeorſim vindicans, vitio omni humorali exulare juſſo. Aliter autem PITCARNIUS [k]) cenſet, quando paſſionem hyſtericam equidem partium membranoſarum in inferiore Ventre ſitarum motum convulſivum habet, eum tamen a partium heterogenearum cum ſucco nerveo confuſione derivat. Diſtinctius vero adhuc HOFFMANNUS Morbum hyſtericum ſpasmodico-convulſivum declaratum, ex Utero a lympha & ſanguine in ejus vaſis retento vel corrupto provenire, & per nervos oſſis ſacri ac lumbares univerſum corpus infeſtare aſſerit. Uterum quoque ſymbolum ſuum ad excluſionem hujus morbi convulſivi in ſyntaxi nervoſa fundato contribuere cenſet LANCISIUS, in epiſtola ad COCCHIUM *de immani affectu hyſterico.* [l]) Ibidem enim Uteri & Ovariorum recrementa ad cerebrum traducta, ſtygiosque ichores cum liquido animali fluentes per nervos ſplanchnicos accuſat. Tandem ut alios taceam Ill. RICHTERUS [m]) Uterum ſpasmorum & convulſionum in hoc malo auctorem omnino accuſandum eſſe, multis argumentis contra ſecus ſentientes evincere molitur. Ego omnes has diſceptationes contuitus diligentius, ſi quid video, perinde ſentiendum eſſe de malo hyſterico, ac de hypo-

g) *Vide diſſ. Cl. Stentzel de Utero inſonte.*

h) *Operum p. 486. 495. 496. 503. 504.*

i) *de Morb. Convulſ. Cap. X. p. 104.*

k) *Element. Med. init. in definit. no. 81.*

l) *habetur inter Epiſtolas phyſico-medicas Cocchii ad Lanciſium Pariſ. 1732. editis & Maximi Mechanicæ Morborum annexis.*

m) *in diſſ. de malo hyſterico.*

hypochondriaco, crediderim. Scilicet ut hoc non raro totum adeſt, cum omnibus ſuis ſymptomatibus, ſine manifeſto vitio in hepate & liene, ſineque ſpiſſitudine ſanguinis & motu ejus impedito, per ſyſtema Venæ portarum, ſine acrimonia atrabilaria, tanquam cauſa primaria; ita & hyſtericum adeſſe poſſe, & vere adeſſe ſæpe convictus ſum, ſine vitio aliquo in Utero, quanquam ſi morbus aliquis uterinus localis teneritudini & mobilitati ſyſtematis nervoſi complicetur, gravius reddi omne malum hyſtericum haud negaverim. Atque in hac ſententia confirmor, quoties Recentiorum *Senſibilitatem* & *Irritabilitatem* attentius contemplor, cui ſoli Cel. TISSOT [n]) GORTERUM veneratus quod primus ſeorſim & expreſſis verbis de ſolidorum mobilitate egerit, motus illos in corpore humano eorumque anomalias a leviſſimis cauſis enatos tribuit, qui Gallis Vapeurs audire ſolent. Imo vero antequam Ill. HALLERUM & ejus diſcipulos partium ſenſibilitatem & irritabilitatem præciſe determinantes legiſſem, hæſerunt animo elegantia verba Cl. Humfredi RIDLEY, [o]) eadem prorſus de indole hyſterici mali eloquentia. *Quicunque* inquit, *multiplicem hujus affectus varietatem & umbratilem ſpeciem contemplatus fuerit, vix ſecum diu hæſitaturus eſt, quibus præ cœteris potiſſimum corporis humani partibus inhæſerit. Nullam enim inibi exiſtere præter nervos, ad ejus ſcenam tam verſatilem repræſentandam reperies habilem, ſive ſymptomatum indolem ſpectes, ſive diſcrimen. . . . . . Neque immerito ejus inſultus ab Antiquis ἀναθυμιάσεις ſeu Vapores nuncupantur, utpote a morbis eſſentialibus altiores fixioresque radices agentibus ob cauſas ſuas leviores & magis difflabiles præcipue abludentes.* Tenſiones etiam, contractiones, vibrationes, irritationes ſolidorum cauſas morbi hyſterici allegat recentiſſimus Scriptor Cl. HUNAULD, [p]) quamvis illas a fluidorum elementis valde ſubtilibus activis & fermenteſcibilibus deducat, quæ a germinibus vegetabilium aſſumtorum digeſtione exſolutis

& tum

n) *diſcours preliminaire p. 25.*

o) *in Obſ. Med. practicis obſerv. 17. p. 71.*

p) *diſſ. ſur les Vapeurs à Paris 1756.*

& tum per vaſa abſorbentia Maſſam humorum intrantibus ingenioſe derivat. *Quodſi* igitur ut mea faciam, quæ apprime huc facientia eleganter ſcripſit Ill. van SWIETEN, [q]) *nil ichoris de Utero prodit, nullaque ſigna docent inflammationem, ulcerationem, ſcirrhum in Utero hærere* (addere mihi liceat, quodſi nec fluore albo, nec menſium emanſione, ſuppreſſione, paucitate, nec ceſſatione, nec fluxu lochiorum turbato laboraverit fœmina) *ſolusque forte Animi Affectus tantas excitat turbas, facile patet, Uterum pro cauſa abſoluta & unica paſſionis hyſtericæ haberi non poſſe, ſed a nervis per viſcera abdominis diſperſis inordinatos tales motus excitari.*

q) *Tom. III. p.* 417.

§. IV.

*In ejus medela Opium communiter laudatur,*

Hæc poſtquam de ingenio Mali Hyſterici, ſymptomatumque omnium geneſi, quam pulcherrime ex conſenſu irritatorum nervorum explicat laudatus van SWIETEN [a]) & elegans diſſertatio Göttingenſis *de conſenſu partium*, [b]) jam conſtant, clarum ſtatim erit, Therapiam rationalem poſcere, ut in paroxyſmo ſpasmodico-convulſiva pathemata compeſcantur, extra eum vero Nervoſum Syſtema corroboretur, ne nimia ſenſibilitate ſua & mobilitate heteroclitis motubus oborturis ex facili cauſa faveat; atque tandem ſi forte præternaturale quid Uterus habet, ut id arte removeatur. Primam intentionem quod attinet, repetitis experientiis conſtitit, dari in materie medicinali nonnulla, quæ anomalias motuum a vitio ſenſibilitatis & irritabilitatis, citaque mobilitate oriundas effluviis ſuis ſubtiliſſimis volatilibus, graveolentibus, fœtidis, aut ubi peculiaris idioſyncraſia adeſt, licet rarius, ſuaveolentibus, [c]) validiſſime coercent, & compeſcunt, ſive extus ſive intus corpori ægro applicentur. Laudant eapropter Practici Aloën, Aſam fœtidam, Gummi Galbanum, Caſtoreum, Opoponacem, Myrrham, camphoram, ſal ſuccini volatile, ſpiritum ſalis ammon. cornu Cervi, & quæ ſunt reliqua, eaque omnia Antihyſtericorum nomine

a) *Tom. III. p.* 416.
b) *p.* 44.
c) *vide Ridley p.* 72. & *Cheſneau Obſervat. p.* 367.

nomine inſigniunt. Sane pilulis ex hujus generis ingredientibus concinnatis pene omnia in medela Hyſtericarum tribuit citatus jam Cl. HUNAULD. d) Addunt vero medentum plurimi talibus rectiſſime, graveolens, & ſumma partium ſuarum agentium volatilitate pollens Opium, idque dum præ reliquis exigua mole ſummos motuum impetus compeſcere aptum eſt, inter omnia antihyſterica princeps remedium unanimi pene elogio declarant. Imo vero ſunt adeo inter Medicos, qui cum WEDELIO e) veſtigia uſurpati contra hyſterica ſymptomata Opii, apud ipſum HIPPOCRATEM jam inveniri aſſerunt, licet an Opii uſus eidem innotuerit nec ne, inter Antiquitatum Medicarum Scrutatores adhuc diſputetur. Negari etiam nequit ipſum *libro ſecundo de Morbis Mulierum* f) cum myrrha, & aliis commendaſſe τὸν ὀπὸν μήκωνος, ſed in paſtillis ſuper fruſto amphoræ candentis ponendis, pro ſuffimento. Interim tamen poſt tempora HIPPOCRATIS a longo retro ævo intus omnino exhibitum fuiſſe Opium certiſſimum eſt. Deſcripſit nempe jam GALENVS g) Medicamentum aliquod HERACLIDIS, in pilulis ad ſuffocationem uterinam, ex hyoſcyamo, caſtoreo, pipere albo coſto, Myrrha, Opio, & ſucco cicutæ. Recentiori tempore PARACELSVS h) quintam eſſentiam Opii ceu magnum Matricis confortans deprædicavit. Deinde etiam BALLONIVS i) Opium cum graveolentibus & aromaticis in pilulis, theriacam in emplaſtris abdominalibus, hancque & mithridatium in clyſmatibus laudavit. Non minus RODERICVS a CASTRO k) ſtrangulatis ex Utero theriacam ad drachmam unam cum fructu exhibuit, extusque eandem oleo Rutæ ſolutam, parti per quam halitus adſcendere ſentiuntur applicari voluit. SYLVIVM in morbis hyſtericis multum Opio uſum eſſe nemo ignorat. RIVERIVS l) pilulas ex aſa fœtida, caſtoreo & laudano ad vehementiſſimum paroxyſmum utiliſſimas eſſe dicit, easque ut ſpecificum multis laudat CHESNEAU. m) Opium

d) *diſſ. ſur les Vapeurs à Paris, 1756.*

e) *Opiol. p. 127.*

f) *§. 87.*

g) *de antidotis lib. II. c. 13.*

h) *libro de Morbis Ament. Tract. II. c. 4.*

i) *libro de Mulierum & Virginum morbis cap. de hyſterica ſuffocatione.*

k) *de Morbis Mulierum lib. II. Sect. I. c. 1.*

l) *Operum p. 382.*

m) *Obſervationum p. 371. obſ. 2. & 3.*

Opium quoque & Opiata in Gallia magni fecit Cl. TENCKE [n]) Profeſſor Montiſpeſſulanenſis, qui ſingularem uſum in hoc ægritudinis genere duobus caſibus enarratis comprobat. SYDENHAMVS [o]) laudanum ſuum liquidum toties commendavit in paſſione hyſterica, curationisque telam neceſſario ordiendam eſſe dicit exhibito medicamine anodyno, qui alibi [p]) Opium præcipue in ſpirituum animalium inſignibus ataxiis adhibendum eſſe pronunciaverat. De laudano ſuo quoque aſſeveravit HARTMANNVS, [q]) quod illico pathemata hyſterica ſedet. Porro inter multos alios WEDELIVS [r]) in affectubus hyſtericis, ſuffocatione hyſteralgia, opium divinum eſſe auxilium ait, ſive additis caſtorinis aliisque laudanum hyſtericum inde confiat, ſeu pro re nata cum appropriatis miſceatur; paſſimque [s]) pulverem ſuum abſorbentem cum Opio, ſuumque Elixirium uterinum cum eſſentia Opii remixtum, contra ſpasmos uterinos collaudavit. Non minus Humfredus RIDLEY [t]) ubi alia non reſpondent, & ſymptomata ab efferatiori motu ſpirituum oriuntur, ad Opiata tanquam ad aſylum confugiendum eſſe aſſerit. Ita quoque HECQVETVS [u]) in morbis fœminarum qui a delicatula ſtructura generis nervoſi proveniunt, mirum quantum Opio tribuit. Non reticere debeo Illuſtrem BOERHAAVIVM [x]) ut multoties alibi, ita ſpeciatim ad anxietates & ſpasmos hyſtericarum, rutam, caſtoreum, ſpiritus volatiles cum Opiatis valde extollentem; HOFFMANNVM, [y]) liquorem CC. ſucc. cum laudano liquido egregium remedium antihyſtericum ſalutantem, atque a pilulis ex myrrha, gummatibus fœtidis, ſale volat. ſuccini, camphora & laudano, incomparabile auxilium proficiſci aſſerentem; RICHTERVM [z]) tandem præ cœteris remediis pulchrum eſſe caſtoreatorum, opiatorum & confortantium connubium profitentem. Neque poſſum quin citem pulverem ex radice Valerianæ, caſtoreo, ſale ſuccini, croco, camphora & laudano opiato, quem Illuſtri olim apud nos Pra-

n) *in Tr. Formules de Medicine tirées de la Galenique, & de la Chymie Lugd. 1682. in 12.*

o) *diſſ. de paſſione hyſterica Operum p. 506.*

p) *p. 373.*

q) *Prax. Chymiatr. p. 179.*

r) *Opiol. lib. II. Sect. II. Cap. 7. init.*

s) *vide ejus Amœnitates Mat. Med.*

t) *Obſervat. p. 72.*

u) *p. 141.*

x) *in Comment. ad aph. 634. opiata.*

y) *Med. Syſt. Tom. III. p. 117. & Tom. IV. Part. III. p. 172.*

z) *diſſ. cit. §. 16.*

ctico Chiſtiano de HELWICH familiarem fuiſſe apud fœmellas hyſtericas, toties eum ad lectulos comitatus novi. Tandem memoratu digniſſimum habeo Cel. YOUNG non ſaltem Opium in hyſtericis affectubus, ſed adeo magnas ejus doſes commendare, cum parvæ ſymptomata ingraveſcere potius, ex ejus ſententia, faciant. Silentio autem prætereo tot pharmaca compoſita antihyſterica, quæ omnia Opium ingreditur, quæ apud FVLLERVM, & in diſpenſatoriis, ac Pharmacopœiis ubique magno numero habentur, atque inter quæ laudana ſecundum excellentiam hyſterica vocata eminent.

§. V.

Quanquam vero hæc talia communi fere Practicorum conſenſu exhibere ſæpius expediat Ægris, in paroxyſmo hyſterico conſtitutis, nollem tamen ego omnibus fœmellis promiſcue, nollem quoque omnibus ſymptomatibus, quorum modo hoc modo aliud iterum quammaxime urgens obſervatur, promiſcue deſtinare Opium. In mirabili illorum varietate, numeroque minus expertis pene incredibili, præcipua eorum eſſe obſervantur dolores intolerabiles, clavus, colica, vomitus, diarrhœæ, faucium ſtrangulatio, intercepta ad ſuffocationem uſque reſpiratio, anxietas, murmura ventris, ructus, ſenſus globi ex inferiori ventre ſurſum adſcendentis, palpitatio cordis, animi defectio, vocis privatio, ſopor profundus, qui interdum in funeſtam apoplexiam abit, & convulſio epileptica, quæ etiam quandoque in fatalem apoplexiam deſinit. Quodſi nempe hyſtericæ ex morbo ſuo moriantur, id ſemper obſervante HOFFMANNO,[a]) epileptico vel apoplectico contingit inſultu. Conſideremus omnia hæc mala paulo curatius! Sane ſi paroxyſmum comitetur dolor immanis in quacunque demum parte, aut Vomitio enormior, aut diarrhœa, veriſſime ſcripſiſſe SYDENHAMVM[b]) confiteantur omnes Practici neceſſum eſt, Opium & laudanum liquidum ſolum, tum vires habere his ſympto-

*Cautiones circa uſum, quoad Vomitum,*

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 156.*

b) *Operum p. 525. in fine.*

ſymptomatibus cohibendis prorſus pares. Cum vero citius quandoque dolor quam enormis vomitio compeſci ſeſe mediocribus doſibus patiatur, hæc interdum ut eleganciſſime notavit laudatus SYDENHAMVS, [c]) & doſes largiores & medicamentum in forma ſolida præciſe minutoque volumine ſibi depoſcit, quia laudanum liquidum, niſi in ita parco vehiculo detur, ut ventriculum ſaltem imbuat, antea ſæpe convulſione Ventriculi excutitur quam agere in eundem & ſopire ejus motum præternaturalem queat. Certe in his caſibus fruſtraneum foret ab ullo remedio alio, quam ob Opio medelam expectare. Bene memini Cel. YOUNG de generoſo hoc pharmaco notare, quod in morbis hyſtericarum effectus ejus ſibi ſint valde diſſimiles, cum mox multum mox parum juvet, atque adeo interdum ne quidem Vomitiones cohibeat. Forte autem tum, niſi peculiaris prorſus idioſyncraſia ſubſit, culpa in exhibitionis methodo locatur; aut in ipſo regimine ægræ, quam ſimulac opiatum remedium deglutivit, quietiſſimam eſſe jubet SYDENHAMVS, [d]) & præſertim caput quantum fieri poteſt immotum tenere, quando & leviſſimus capitis motus præ cœteris omnibus vomitionem provocet, unde medicamenti modo aſſumti jactura fit. Quicunque vero neceſſitatem urgentem exhibendi anodyni a SYDENHAMO propoſitam, atque ut id certius vomitum ſiſtat, ejus cautiones additas contemplatur, is mirari omnino debet cautiones HOFFMANNI, [e]) de non aut tardius dando in his rerum conditionibus Opio. *Vomitus Hyſtericarum contumaces* inquit, *non repente debent cohiberi per medicamenta Opiata, vel adſtringentia; vidi vehementes artuum convulſiones & miras præcordiorum anxietates ſucceſſiſſe, quibus ceſſantibus Vomitus redibant.* At vero cum contumax etiam Vomitus ſi ſibi permittatur, conſpirante nervoſi generis mobiliore textura, tandem inducere poſſit anxietates ſummas cum convulſionibus, videtur mihi Vir eximius ſaltem loqui de Vomitu, qui forte a colluvie vitioſo-

rum

c) *p.* 528.

d) *loc. cit.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. VI. p.* 509.

rum humorum in Ventriculo collectorum ſimul fovetur, nam ſi ille prorſus inanis ſit, & a ſolo motuum exorbitantium vitio excludatur, nil ſane impedit, quo minus aliis præcipue remediis jam fruſtra impugnatus, ne graviora mala poſt ſe trahat, Opio in ſubſidium vocato inhibeatur. Egregios certe fructus experta eſt Virgo quædam, cujus hiſtoriam ſuppeditat Cl. ZAFFIUS, [f]) ab hoc pharmaco, quod ſi tempeſtive uſurpetur, heroicum contra hyſterica ſymptomata is declarat. Laboraverat eadem ſub fluxu menſium ſemper primis diebus cephalalgia immani, vomitu humorum pituitoſorum, diarrhœa, torminibus Ventris acutiſſimis. Emetica, Cathartica, Emmenagoga malum exacerbarant. Non morbi equidem curationem, ſed paroxyſmi ſedationem promittens ZAFFIUS, dedit in ipſo acceſſu hyſterico Elixir quoddam fœtidum uterinum cum tinctura Opii, quo illum ſuſtulit, tumque quovis menſe idem remedium fuit uſurpatum. Suaſit ſaltem ut parumper vomitum ſibi relinqueret ante illius uſum, (quia nempe ſordes in Ventriculo ſtabulantes ejiciebat.) Cum quater hæc methodus fuiſſet in uſum vocata, ita miteſcebant ſymptomata, ut absque remediis magis magisque tolerari poſſent. Revocat mihi caſus hic in memoriam Virginem, quæ ab aliquot annis quoties catamenia fluere incipiebant cephalalgia exquiſitiſſima & vomitionibus frequentiſſimis ſed prorſus inanibus affligebatur. Data fuerant varia a Medico celebri ſine fructu; exhibui vocatus liquorem anodynum cum laudano, ſal volatile Sylvii cum TRa anodyna, potiones diaſcordiatas, ſed omnia hæc remedia rejiciebantur a ventriculo ſenſibiliſſimo, ſimulac contactu ſuo in eum agerent. Confeci tandem ex caſtoreo & Opio pilulam, talique dum pertinax malum radicitus expugnari ſeſe haud patiebatur, ſæpe ſæpius vehementiſſimæ Ventriculi convulſioni frænum injeci, atque ſimili remedio ſimilia incommoda patientibus fœmellis multoties profui.

f) *in Synopſi Obſervat. Med. p. 43.*

* * * * * *

*quoad Colicam,* Ut vero vomitioni & diarrhœæ, & omni dolori hyſterico, ita ſpeciatim colicæ hyſtericæ diris vomitionibus quandoque ſtipatæ pulcherrime medetur Opium. Hujus occaſione, quod eam primus deſcripſerit, & a bilioſa differre docuerit, SYDENHAMUM magnis elogiis mactat FULLERUS, g) qui etiam eapropter quod SYDENHAMUS ipſam ſine materiæ vitio adeſſe dicit, & ab ataxia ſola ſpirituum derivat, ſpiritualis colicæ nomen eidem imponit. In ejusmodi ſpirituali colica, in qua unicum motus vitium peccat, omnia evacuantia, utpote malum pejus reddentia, ne enematibus leniſſimis exceptis, SYDENHAMUS h) rejicit, ſoloque laudano utendum eſſe ſerio præcipit, niſi forte valde plethoricæ fœmellæ laborent, in quo ſolo caſu VSem & catharſin præmitti jubet. Cujus præceptis quoties ego ubi id rerum conditio poſtulabat, pertinax inhæſi, multoties laudano ſolo me fœmellis opem tuliſſe memini, quando immanis abdominis dolor cum nulla plethora manifeſta conjunctus, nil inflammatorii habens, nulloque ingeſtorum vitio inductus, animi forte turbas ſaltem inſecutus erat. Neque me a Sydenhamianis veſtigiis quæ ſapiens legeram, tantillum revocavit meticuloſa relatio STAHLII i) qui fœminam colica hyſterica laborantem, poſtquam diſſuadente uno Medico alterius præpollente ſuaſu Opio pauco uſa eſſet, intra paucas horas exſpiraſſe memorat. Innumera contra eum, fauſti ſucceſſus, & prolongatæ vitæ documenta exſtant. Habet WILLISIUS k) Fœminam, quæ colicam atrocem cum vomitu perpeſſa erat. Varia remedia per plures hebdomadas ne hilum profuerant, imo vero ne quidem impediverant, quin in ſummum languorem incideret, ſpe vix ulla recuperandæ ſalutis ſuperſtite. Exhibuit Vir laudatus cum nil congrueret, laudani liquidi doſin ad levandos dolores, primo bis tantum in hebdomade, idque non ſine metu, impetravit autem illa tandem ut noctibus alternis & dein ſingulis

g) *Pharmac. extemp. p. 116.*

h) *p. 269. 270. 271.*

i) *diſſ. de impoſtura Opii §. 26.*

k) *Pharmaceut. Rat. Part. I. Sect. VII. c. I. p. 187.*

ſingulis hoc remedium aſſumeret. Tulit hoc ſine incommodo, recollegit vires, dormivit, dolorisque expers integre tandem convaluit. Ponit huic Ægræ WILLISIVS ad latus aliam quandam fœminam lectiſſimam, doloribus colicis atrociſſimis per plures annos ſubinde obnoxiam, quæ pharmaci hujus divini laudes prædicare ſolebat. Nam quoties ab eo morbo decumbens cruciatus intolerabiles ſentiebat, a nullo remedio præterquam ab Opio relevari potuit, quare hujus doſin quavis nocte ſumebat, donec a languore & dolore omni immunis degeret. Simile fere exemplum legitur in *Nat. Cur. Miſcellaneis.* [l]) Exhibetur ibidem Fœmina poſt Puerperium immani dolore abdominis cum cardialgia & vomitionibus vexata, qui omnes partes corporis externas & internas in conſenſum trahebat. Leviſſima animi commotio, ira præſertim, dolorem revocabat, & paroxyſmum, Enema domeſticum augebat cruciatus qui a purgante mirum exaſperari fuerant. Sola anodyna mane & veſperi data plenam ſanitatem reſtituebant. Non vero opus eſt ut longior ſim, ipſe quippe Illuſtr. HOFFMANNVS [m]) Hyſtericarum graves abdominis dolores, laudanum egregie levare autor eſt, licet id cum alvum laxantibus mixtum velit. Vidi vero etiam alio tempore, niſi vomitus perpetuo urgentes uſui obſtarent, eximios fructus attuliſſe, doloresque exquiſitiſſimos deliniviſſe emulſiones ex recens preſſo molli amygdalarum oleo, cum vitello ovi paratas, hasque confidenter ſæpiuſcule præſcripſi, & propria experientia antea inſtructus, & bene ſciens LANCISIO in Epiſtola quadam ad COCCHIVM jam allegata, oleum amygdalarum dulcium ad uncias duas, & melonum ad unciam unam, in jure capiendum, atque ſperma Ceti, non ſaltem ad viſcerum abdominis & thoracis convulſiones levandas, ſed & ad ſummam fluidorum acrimoniam obtundendam, & exoticos ſales mulcendos tanquam eximia antihyſterica deprædicari. Tum vero præcipue oleum ut anodynum, opio anodyno, & VSi con-

l) *Dec. III. Ao. III. obſ. 103.*

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 335.*

conjunxi, vel ſubjunxi, quando præſente colica hyſterica vaſa ſanguine valde turgida erant, ac facies tumidior rubore tingebatur, ægræque fœmellæ pulſum magnum & fortem exhibebant; porro quando menſes recens ſuppreſſi erant, aut inſtabant, aut parcius juſto fluebant, aut lochia non ſuccedebant. Scilicet Oleum fibras conſtrictas ſine commotione humorum relaxat, dum opium equidem etiam relaxans, tamen ut alia acria & calida, turgentem copiam humorum minus opportune magis turgere & incaleſcere facit; atque ſic cum omnibus aliis calidis antihyſtericis prodeſſe nequit, niſi forte tempore menſium inſtante emmenagogam ſuam virtutem exerat. Sane SYDENHAMUS [n]) ipſe eam quandoque ſanguinis & humorum in hyſtericis copiam reperiri ſcripſit, quæ narcotici operationi eousque obſiſtat, ut quamlibet ſæpiſſime repetatur, orgaſmum tamen cohibere nequeat, niſi ſecta prius ægræ vena, aut alvo ſubducta, quod in fœminis atque viraginibus temperamenti ſanguinei annotavit. Conſulit ergo, ſi ita ſe res habet, ut vel phlebotomia, vel catharſi, forte etiam utraque, anodyno via aperiatur, celebrata enim harum utravis, narcoticum quod prius ſumma licet doſi exhibitum nil quicquam profecerat, jam etiam in mediocri doſi effectum cui deſtinabatur obtenturum promittit. Atque hæc de uſu opii in Vomitu, diarrhœa, dolore & ſeorſim colico apud fœminas hyſtericas ſufficiant. Verum & ſilentio præterire non debeo, interdum Vomitus, dolores colicos aliaque ſymptomata apud hyſtericas febrem æmulari ſtatisque periodis recurrere. In his caſibus opitulatur & cortex peruvianus & Opium. De priore varia habentur apud MORTONUM de *proteiformi febris intermittentis genio.* De poſteriore, quod aliquoties prioris præbiis ſingulis pauca quantitate junxi, prorſus egregia ſunt quæ conſignavit Cl. STÖRCK *Anni Medici* p. 78. *Opium* inquit, *tollit febres mere nervoſas, quales hyſtericæ & hypochondriaci quandoque habent, dum iis determinata hora quotidie, vel alternis*

n) p. 271.

*nis diebus cum horrore & pulſus agitatione revertuntur dolores colici, vomitus bilioſi, clavi hyſterici, pleuritis hyſterica, aſthma, cordis palpitationes: Si his ægris laudano liqu. Syd. hora ante paroxyſmum ſomnus inducitur, dolores ſopiuntur, & omnia mala ſymptomata, neque advertitur febris & poſt ſomnum tales ægrotantes alacres ſunt, & vires habent majores. Remediis anti-hyſtericis & nervinis ſedulo poſthac exhibitis omnis recidiva præcaveri poteſt.*

* * * *

Convulſiones earum & Epilepſiam quod attinet, quædam huc facientia jam dixi, in §is prægreſſis, qui de his ægritudinibus agebant. Solum motuum vitium, ſolius ſenſibilitatis & irritabilitatis nimiæ conſectarium, ſi adeſſe judicetur, pulcherrima certe præſtat cum congruis antihyſtericis Opium, neque unquam ſapientem artificem uſus hujus remedii pœnitebit, modo ipſa laxior nervoſarum muſculariumque fibrarum fabrica, cui deinceps medela paranda eſt, ſimul reſpiciatur in curatione. Sollicite vero hic attendendum eſt, an forte convulſivi motus non tam ſpasmorum in infimo Ventre primo ortorum, & per omne corpus deinde propagatorum, ſed potius congeſti per eos verſus caput ſanguinis, vel ſimpliciter plethorici, vel menſtrui excludi per uteri vaſa nequeuntis, aut ob ætatem provectiorem excludi ceſſantis, ſint effectus, in hoc caſu enim convolaviſſe illico ad Opiata, eademque repetitis vicibus exhibuiſſe, non bene expediet. Quin eadem ſanguinem a ſe rarefactum ad ſuperiora magis urgendo, convulſionibus intendendis & juvandis apta erunt, ſequelasque infauſtas, interque eas apoplexiam, ingenerare facile poterunt, adeoque illas conditiones excludere quibus ſolis poſitis hyſtericæ moriuntur. Si convulſionibus epilepticis in fœmellis ſanguine plenis feliciter minuendis, & ægris easdem patientibus ab iis ſæpe ſtatim, & quandoque ſi urgeant, a morte imminente vindicandis, *quoad convulſiones.*

 tanto-

tantopere ſervit VS, facile perſpicitur Opium eo tempore neutiquam quadrare, cum VSi volumen humorum minuenti, & raptum eorum a capite declinanti, ſua operatione e diametro contrarietur. Dubitarunt equidem quidam Practicorum ſecare hyſtericis in paroxyſmo venam, quos inter SENNERTVS [o]) MERCATVM taxans, cum ordinario magna adſit virium proſtratio, nullo modo tutum eſſe remedium VSem affirmat. Sed non ſaltem MERCATVS eâdem vires onere preſſas & vias nimia redundantia obſtructas cum emolumento ægrarum levari auctor eſt, verum & cum eo RODERICVS a CASTRO & PANAROLVS, qui Hyſtericam phlebotomia, dum ipſa lipothymia durabat, celebrata, ſanatam memorat, multum huic operationi favent. Nullum vero ſuffragium pulchrius eo quod habet HOFFMANNVS, [p]) *ad ſpasmorum & convulſionum vehementiam*, inquiens, *quæ in hyſtericis ſanguine abundantibus longe major eſt, quam in aliis, feliciter minuendam, non efficacius VSe, etiam iterata, remedium invenitur. Vidimus ſpasmis immanibus cruciatas ſine omni ſenſu & motu, facie rubicunda, tumida, inſtar apoplecticarum jacentes, novimus virgines plethoricas, ſpiratione & loquela privatas, menſibus repente cohibitis, vel epileptico inſultu correptas, quæ VSe inſtituta protinus ad ſe redierunt.* Valde quoque VSi patrocinatur diſſertatio Göttingæ anno 1754., habita, *de Epilepſia ſeu convulſivis motubus Virginum.* Tot bona igitur cum præſtet VS., ex commodis ab eadem in hiſce caſibus emergentibus concludere licebit ad noxas, quas Opium tum exhibitum patrat, ſive ſolum ſive acribus & calidis antihyſtericis remixtum, a quo modo laudata diſſertatio ſerio dehortatur. En in hujus rei fidem candidus recenſebo hiſtoriam Morbi, quæ cautius mercandum eſſe cum Opiatis ubi plethora præſto eſt, dudum me edocuit. Propria ſoror mea natu minor 23. annorum virgo, ſanguine plena, vitæque ſedentariæ addicta, per aliquot annos antea hyſterica inſtante

o) *lib. IV. p. 242.*

p) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 169. 170.*

men-

menſium fluxu conquerebatur de flatibus & doloribus intenſiſſimis in abdomine, accedebant præcordiorum ſtricturæ, anxietates, ructus, vomitiones, palpitationes cordis. Ego tum novitius Medicinæ doctor applicari faciebam clyſmata emollientia & carminativa, dabamque liquorem anodynum cum laudano liquido & infuſum florum chamomillæ vulg.. Perdurabant nihilominus ſymptomata, igitur ſecunda morbi die applicabatur clyſma ex ſolo lini oleo, externe abdomini admovebantur fotus emollientiſſimi, guttulæque cum infuſo iterata vice exhibebantur. Verum omnia ſine fructu ullo. Circa noctem erumpere incipiebant menſes, parcius, ſtillantes, at intenſiſſimi abdominis cruciatus nihilominus perdurabant cum ructubus & palpitationibus, viſusque interdum deficere videbatur. Datus liquor anodynus cum eſſentia caſtorei & laudano, duabusque horis poſt uſum doſis pilularum balſamicarum Hoffmanni, ſæpeque ingerebatur poculum de infuſo chamomillæ & oleum amygdalarum cochleatim, abdominique topica emollientia jugiter apponebantur. Ita ſymptomata omnia videbantur mitigata, ut obdormiſceret. Sed præter expectationem noctu corripitur paroxyſmo epileptico, qui exhibita doſi miſturæ deſcriptæ cum laudano circa quartam matutinam gravior repetebat, & poſt novam exhibitionem hujus remedii hora ſexta iterum redibat. Sub his ærumnis menſibus parce prodeuntibus metuebam reſtrictionem ſanguinis violentam ad caput, gravemque & forte ægræ funeſtam apoplexiam. Non poteram certe hic non cogitare de VSe in talo, ſed ambigebam experiri incipiens Medicus, & afflictus frater, an ſub ipſo fluxu menſium locum haberet; igitur ut ſolebam conſultum adibam Fautorem & alterum Patrem meum Ill. de HELWICH. Is probabat omnia a me geſta, ipſaque exhibita anodyna, quæ dum ſpasmis facile coercetur fluxus menſium valde utilia eſſe ajebat, mentionemque ſimul injiciebat Elixirii uterini Crollii, & Wedelii cum liqu. C. C. ſuccin.

 & lau-

& laudano, Emulſionis ex oleo amygd. cum infuſo fl. chamomill. ſaturato mediante Vitelli Ovorum præparatæ, Tinćturæ ſalutis, Galbaneti Paracelſi &c. Verum ſagax dicebat, omnia hæc alioquin egregia jam non locum habere, ſed unicam ſalutem expećtandam eſſe a VSe ocyus & largiter adminiſtranda, modo ea non fieret præſente ipſo convulſivo paroxyſmo. Cum ille per ſex horas abſuiſſet, feſtinabam ejus mentem edoćtus, venamque ſecari faciebam, cruciatibus ventris, dolore ardente in pube, anxietate, palpitatione, viſus obnubilatione adhuc ſine intermiſſione affligentibus. Vix dimidia hora elapſa erat, ecce quaſi per miraculum omnia abibant in melius, nox quieta ſequebatur, menſes utcunque fluere pergebant, ſoloque oleo amygdalarum dulcium largius dato, omnes qui ſupererant dolores mitigabantur feliciſſime. Hæc niſi omnia me fallunt clariſſime docent, ſi adfuerit plethora, eam etiamſi jam ad uterum determinari incipiat, per ejus vaſa non ſufficienter ventilatam intrudi poſſe encephalo, quod ſi fiat, parum boni expećtandum eſſe ab Opio intelligitur, quod forte tum mediocri etiam doſi porrećtum morbum magis juvat, quam ad ſanitatem reducendam facit. Sane in recenſito caſu id nec levare potuit doloroſa pathemata & anomalias motuum, nec præpedire his illisve graviores ſequelas. Omnium optime Opium ferunt fœminæ hyſtericæ murmura Ventris, flatus, rućtus, anxietates faucium, præfocationem, palpitationes experientes ſine ſignis manifeſtæ plethoræ, aut ea per VSem minuta. Hyſtericas autem ſopitas nemo opio excitaverit, ſed in ſoporem potius apoplećticum conjiciet. Imo vero urgentibus vigiliis ne quidem ad ſoporem inducendum ipſis Opium dandum eſſe cenſet HARRIS, [q]) idque non ſine noxa & incommodo ſæpe exhiberi aſſerit. Potius hyſterica proprie dićta, ut caſtoreum, myrrham, galbanum, aſſam fœtidam, & crocum quamplurimis mulieribus ſomnum tuto & efficaciter conciliare contendit, quando Opiata aut narcotica quan-

q) *Obſervat. VIII. p. 179.*

quantumlibet nocturnæ requiei capeſſendæ ſint dicata, præter alia mala & incommoda eas mulieres inſomnes agere noctes ſæpenumero cogant. Crediderim ego, ſi ſanguinis copia & motus citatior per encephalum ſomnum abarceat, caſtoreum cum reliquo calidiorum antihyſtericorum remediorum apparatu, æque non convenire ac ipſum Opium; ſi doloroſa adflictio ac ſpasmorum impetus ſine plethora ob ſpirituum ataxiam ſolam, vigilias induxerit, Opium dextre exhibitum plus præſtiturum quam reliqua omnia. Quando deglutire nequeunt ore præfracte clauſo Hyſtericæ, nullum locum opium habere poterit, neque etiam conveniet & exhiberi poterit in ſyncopticis paroxyſmis. Sola externa naribus admovenda, abdominique applicanda & clyſmata tunc in uſum vocari poterunt. Tandem illis quoque hyſtericis quæ non ſaltem ſanguine calido & orgaſtico turgent, ſed & occultis amoris ignibus uruntur, venereoque œſtro percitæ viriles amplexus anhelant, quasque poſt HIPPOCRATEM [r]) qui optimum eſſe dicit ut Mulier talis in Utero geſtet, & Virgo cum Viro ſimul habitet, tot Auctoribus teſtibus præ aliis remediis exoptatum conjugium ſanas præſtat, nil cum reliquis antihyſtericis acribus & calidis proderit aphrodiſiacum Opium, quocunque fine datum. Id potius pruriginem intendens noctuque ſomniantibus laſcivas imagines repræſentans, morbum omnem augebit, quem nitroſa, & acida, & ſi aliquid valent moralia pharmaca, denegato thoro, unice ſolantur.

r) *de Morbis Mulierum lib. II. Sect. 19.*

## §. VI.

*Opium omnibus Hyſtericis caute dandum.*

At vero, cuicunque demum pathemati levando opponatur, & vere inſerviat Opium, memori ſemper mente tenendum eſt, id veram morbi radicem non attingere, ſed potius ſine ratione, & liberalius porrectum, actione primaria in Ventriculum & inteſtina, utriusque viſceris periſtalſin infringere, atque fibrarum nervoſarum elaterem debilitare, totius ſyntaxeos nervoſæ inter ſe conſentientis robur deji-

 cere,

cere, ſicque fundamentum malorum omnium magis radicatum reddere. Perpendendum porro curatius eſt, Opium periſtalſi infracta appetitum & digeſtionem deſtruendo, deinde ſudores movendo, totum corpus viribus exuere, alvum quæ ex morbi natura ſæpe ſtricta eſt, pertinacius claudendo flatus quandoque coacervare, anxietates augere, adeoque morbum palliare, nunquam ſanare, & quo liberalius exhibeatur, eo ſemper curatu difficiliorem reddere. Certe ipſe SYDENHAMVS[a]) largitur, repetitum ſæpe laudani uſum, quamvis eum cerebro, nervis & facultatibus animalibus immediate haud nocere ſtatuat, (quod quidem ego maximopere credo,) tamen omnes digeſtiones vitiare, & functiones naturales debilitare. Maxima vero damna evenire debent fœmellis, quarum genus nervoſum natura ſumme delicatulum vel ægritudinibus animi aut morbis debilitatum eſt, ut optime animadvertit HOFFMANNVS, [b]) qui aliis quibusdam, robuſtioribus ſcilicet, opiata exoptatiſſimum levamen adferre largitur. Quicquid ſit, nunquam tamen ſi verum eloqui licet, Opium aliter hyſtericis adhibendum, quam ut remotis urgentibus quibusdam incommodis, via paretur curationi adæquatæ & fundamentali, quæ fit per corroborantia genus nervoſum. Perquam convenienter Cl. TISSOT [c]) qui hyſterica pathemata ab irritabilitate nimia deducit, eamque cum Cel. ZIMMERMANNO a glutine fibrarum, & ejus differentes gradus a minori majorique hujus glutinis conſiſtentia, derivat, ad exceſſum irritabilitatis ſanandum glutini neceſſariam ſuam conſiſtentiam conciliandam eſſe dicit. Igitur tonica ſola eſſe remedia inculcat, quæ adhiberi debeant, miſſis VSibus, purgationibus, ſalibus, aquis mineralibus pluribus, & aquoſis omnibus, in uſum potius vocatis regimine juſto, exercitiis corporis, frictionibus, ligaturis robur ſolidorum fulcire aptis &c. Eminent autem inter tonica omnia ipſa Experientia teſte Chalybs & Cortex peruvianus. Illum ad compagem fibrarum

a) *p. 526.*

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. c. 5. p. 176.*

c) *Discours preliminaire p. 26. 27.*

rum laxam firmandam merito SYDENHAMVS, [d]) LENTILIVS paſſim, RIDLEY, [e]) WERLHOFIVS, [f]) MEAD, [g]) & in ſpadanis ad Celeb. ab HEERS provocans de PRESSEUX [h]) multis inter alios laudant. Hunc SYDENHAM [i]) RIDLINVS [k]) HELDIVS [l]) LANCISIVS [m]) FALCKIVS [n]) ut plures taceam, merito extollunt. Dum hæc curatio quæ ſatis diuturna eſſe debet inſtituitur, neque evacuantia locum habent SYDENHAMO [o]) monitore, ſi vel cathartica leniſſima fuerint, dirutura cito quod corroborantibus exſtructum fuit, neque inter alia hyſterica ſimul forte pro re nata præſcripta Opium, robori quod ſolidis omnibus addendum eſt, prorſus contrarium, niſi paroxyſmus hyſtericus ob robur deſideratum nondum ſatis inſtauratum recurrens, ſeponi ad tempus roborantia & eligi interim antihyſterica cum opio, rebus valde urgentibus voluerit. Non vero omnes ægræ æque ferunt martem, in limatura præcipue, quam tamen omnibus præparatis præferunt Medicorum præſtantiſſimi, imo etiam haud in aliis formis martialia, ſed uſum inchoantes experiuntur anxietates præcordiorum, nauſeas, nidoroſos ructus, cardialgiam colicam, eaque propter SYDENHAMVS [p]) motas turbas corporis, quin & animi laudano ad tempus aliquod ſingulis noctibus dato, compeſcendas vult. Nil oppono Cl. Viro, noto ſaltem me Opii vim, ventriculum primo & inteſtina, atque lege conſortii omnes nervos debilitantem, cum virtute martis roborante pugnare perſuaſum, imitatum aliquoties cum fructu fuiſſe Cl. HELDIVM, [q]) quando mihi ejusmodi obſtacula nata ſunt, ſub curatione martiali. Hic nempe doſi limaturæ martis ſenſim auctæ primis 5. diebus admiſcuit grana ſex ad decem pulveris jalappæ, dein limaturam ſolam adhibuit, ſicque præſcidit omnia mala aliter evenire ſolita. Ego roboranti marti malui addere roborans rheum ad ſcrupulum unum, vel drachmam dimidiam, ſicque res etiam ex voto ſucceſſit. Expertus tamen etiam ſum, limaturam martis

d) *p. 507. ſeq.*
e) *obſerv. p. 72.*
f) *de febribus p. 142.*
g) *Monit. Med. p. 161.*
h) *obſerv. med. de aquis ſpadanis in fine.*
i) *p. 519.*
k) *Cur. med. obſ. 430.*
l) *M. N. C. Cent. III. & IV. obſ. 170.*
m) *in epiſtola cit. p. 39.*
n) *in diſſ. Götting. de epilepſia ſeu convulſivis motubus Virginum.*
o) *p. 509.*
p) *p. 514. 515.*
q) *M. N. C. Cent. V. & VI. obſ. 88. quæ inſcribitur: Mars chloroticarum puellarum ſolatium.*

martis adjecta quantitate ſachari vel crem. tart. vel vtriusque exhibitam raro vel nunquam turbas effeciſſe, motu corporis ſimul injuncto. Bene etiam communiter fertur limatura, ſi Vini rhenani hauſtus ſuperbibitur. De diæta lactea cum vel ſine marte, de ſero lactis chalybeato Illuſtri WERLHOFIO [r]) valde laudato, de Vinis amaricantibus viſceralibus, de reſinis & gummatibus balſamicis, deque Tincturis talibus e. g. Succini, quam BOERHAAVIO [s]) ſuaſore in hyſtericis languentibus frigidis non raro roborandi fine pulchre prodeſſe vidi, fuſius ut loquar, meum inſtitutum prohibet.

r) *Comm. litt. Norimb. 1734. hebd. 14.*

s) *Chem. Tom. II. p. 202.*

§. VII.

*Vomitus.*

Poſtquam hactenus Convulſiones, vel omne corpus humanum, vel ſaltem plures ejus partes ſimul affligentes conſiderationi ſubjeci, jam ordo tractandorum jubet, ut illas, quæ ſpecialius hæc vel illa loca adficiunt, accuratius contempler. Agam igitur primo de *Vomitu*, qui convulſione Oeſophagi, Ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis, & muſculorum abdominis præcipue abſolvitur, cujusque naturam eleganter expoſuit Amicus optimus Cl. MORGENBESSER. [a]) Cum eousque ſæpe violenta contractio & concuſſio omnium harum partium aſſurgat, ut ex ſolo motuum nimis exorbitantium, diu nimis repetitorum, & in omne corpus tandem propagatu dominantium vitio, naſcantur ejusmodi conditiones, quæ ſingultum ileum, convulſiones univerſales, lipothymias, ipſamque mortem excludunt, tanto magis ſæpe vomitus efficaci remedio componendus venit. Neque etiam quando hernioſi, phthiſi vel hæmoptoe laborantes, hæmorrhagiis aliis ſubjecti, aſthmatici, anguſto pectore præditi, morbis variis exhauſti vehementius vomant, diu ſpectatorem agere poteſt Medicus. Quia autem omnis vomitus periſtalſin Ventriculi auctam, eandemque inverſam involvit, Opium autem motum periſtalticum naturalem inhibet; deinde quia Opium convulſionibus maxime ab irritatione nervoſarum partium oriundis ſæpe opem ferre obſer-

a) *diſſ. de Vomitu, quæ collectionem Hallerianam merito ingreſſa eſt.*

obſervatur, non mirum eſt ad motum inverſum irritati & convulſi ventriculi ſuſpendendum, hoc remedium eximias vires exerere. Atque eapropter ab omni ævo ad hunc finem id magni fuit habitum. Theriacam cum AETIO [b]) ad ſtomachi vitia ſananda egregiam jam habuit Antiquitas, & a multis retro ſeculis, uſque ad recentiora tempora a Practicis ſummi nominis ad impetuoſas vomitiones ſedandas theriacalia & diaſcordiata fuerunt uſurpata & collaudata. Si ingens ſit perturbatio apud Vomentes ægros, & pulſus admittit, Theriacam Andromachi, diaſcordium, laudanum, Tincturas opiatas commendat WILLIS; [c]) atque WEDELIUS [d]) vomitum ſiſtere opiata ſcribit, maxime pilulari forma exhibita, a quacunque cauſa irritetur ad ſupinitatem hanc Ventriculi natura. Adeo autem earum vires magni æſtimat PITCARNIUS, [e]) ut Celebri illo antemetico RIVERII, ex ſale abſynthii & ſucco limonum, (quod ſolum tamen ſæpe pulchre vomitum ſedat, quodque illum ego ſedaviſſe vidi plus ſimplici vice, ubi opiata erant irrita) adhuc adjiciendum voluerit laudanum opiatum, ut ex combinatione utriusque efficacius emergeret pharmacum. Ita vero etiam pro re nata & aromaticis, adſtringentibus, acidis, aliisque vomitui ſiſtendo per ſe aptis judicatis medicamentis innumeris vicibus Practicos addere videas Opium. RIVERIUS [f]) qui in vomitu ſi vires valde dejiciat, laudanum cum Miva cydoniorum commendat, in vehementiſſimo laudanum cum purgante, cum pilulis cochiis exhibendum vult, atque ſic vomitum conquieturum promittit, dum poſt 5. horas inſecutum ſit purgatio per inferiora. Dixi de purgantium & Opiatorum miſcela alibi, confeſſusque ſum eam mihi non adeo placere. Melius mihi arridet Stratagema illud practicum, quando ventriculo adeo irritabili exiſtente, ut omnia ingeſta pharmaca quæ eum firmare, & conſopire ejus motum inverſum debebant, in momento deglutitionis, citiusque adeo quam agere poſſunt, iterum ex-

b) *Tetrabibl. IV. Serm. IV. c. 96.*

c) *Pharmac. Ration. Part. I. Sect. II. c. III. p. 47.*

d) *Opiol. p. 116.*

e) *Elem. Med. lib. II. cap. XIX. p. 175.*

f) *Operum p. 283.*

cutiat, poſt clyſmata periſtalſin deorſum allicere apta, talia injiciuntur, quæ opiatam theriacam habent, qualia in hiſce rerum anguſtiis non ſine ratione a Practicis commendata plus ſimplici vice mire profuiſſe vidi. Neque deſtitutus ſum exoptatiſſimis effectubus, quando juſto tempore theriacale emplaſtrum tot Practicis laudatum Ventriculi regioni applicari feci. Ita certe multifaria applicatione Opium quadrare vomitui ſedando, per experientiam & effata Practicorum conſtat, quod ſane tanti habuit SYDENHAMUS [g]) ut inter omnes affectus morboſos generatim conſideratos, in quibus quammaxime ejus uſus indicatur, tres præcipue eminere judicaverit, inſignem ſpirituum ataxiam, vehementem dolorem, atque vomitum & diarrhœam enormiorem. Neque etiam alias indicationes ſtabilitas leges in medicatione Vomitus cujuscunque, in Auctorum monumentis, quam ut cauſa eum excitans removeatur, & motus inde natus conſopiatur, ad quem poſteriorem finem ſi alia non ſufficiant, & ſuffectura haud judicentur, ad Opiata confugiendum eſſe, inculcant pene omnes. Ita certe non ſaltem magnus Opii fautor ETTMULLERUS cauſam irritantem removendam, & ſenſum Ventriculi Opiatis leniendum dicit, ſed & ea multo remiſſiori affectu proſequens HOFFMANNUS [h]) inverſo ordine Ettmulleriano, primo convulſivam motionem Ventriculi conſopiendam, & deinceps demum cauſas materiales oppugnandas præcipit, atque ad priorem indicationem, ſi potentioribus opus fuerit anodynis, pilulas de ſtyr. Wildeg. & laudanum Sydenh. commendat. Sine ejusmodi cautelis additis, Vomitum ſæpe Opio cedere ſcribit FREIND, [i]) idque ut inſigne ant-emeticum commendare non oblitus eſt YOUNG. Nolo autem laudibus practicis Opii in ſiſtendis ejusmodi motubus validiſſimis, diutius immorari, aſſevero potius, non obſtantibus omnibus encomiis, maxima circumſpectione in præſcriptione gene
roſi hujus remedii opus eſſe, qua inſuper habita, id damna

maximi

g) *p. 373.*

h) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 501.*

i) *Emmenol. c. XIV. pag. 139.*

maximi momenti parit, vomitum ipſum, licet ad breve tempus quandoque cohibitum, re ipſa diuturniorem reddit, aut chronicis ægritudinibus anſam dat, quin & mortem interdum maturat. Id ut plenius intelligatur, in ſuas claſſes redigere vomitum, cujus differens valde facies eſt, aggredior, ſingularum ſpecierum medelam rationalem, Opiique opportunam, & minus opportunam adhibitionem ſimul expoſiturus.

§. VIII.

Sit primo vomitus oriundus a cauſa in cavo Ventriculi vel duodeni ſtabulante, moleque vel acrimonia ejus nervos vellicante. Spectant huc ingeſta alimenta & potulenta copia & acrimonia peccantia; cacochylia ex illis per moram & degenerationem enata, eademque vel viſcida, vel bilioſa putris, alcalina, vel acida; neque minus huc referenda ſunt emetica & purgantia draſtica, dum priora hyperemeſin, poſteriora autem præter intentionem emeſin excitant; tandem venena ut arſenicum & mercurius ſublimatus. &c.

*Uſus Opii cum omnibus ſpeciebus vomitionis comparatus.*

Sane quando a ſagina Ventris, hodieque vel heri epoto mero, guloſis helluonibus præſidio futurus, & morbos qui ab ingluvie natales ducere poterant, præoccupaturus enaſcitur ſalubris vomitus, quis Medicorum non potius antiquis jam laudato potu aquæ tepidæ, quæ noſtro ſeculo ſub fuco foliorum thée commode ingeritur, juvandam ſuadere vellet exonerationem gravantis ſarcinæ, quam de ſopiendis motubus quibus eliditur cogitare? Etenim hi repurgato ſtomacho plerumque conquieſcunt ſponte, neque niſi forte dum nil amplius everrendum reſtat, inanes perdurent nihilominus, Opio refrænari egent, ſed roborans aromaticum pharmacum tum ſufficit, Vinumque generoſum Hungarorum, quod ardens bellum jam Sileſiæ meæ fere denegat, parca copia, medicaque doſi aliquando omnem curationem morbi abſolvit, liberaliori ejus ingurgitatione, vel vinorum variarum regionum inconſiderata miſcela alio tempore invi-

tati. Ubi autem poſt repetita peccata diætæ, ventriculus moras permiſit ingeſtis, magnamque ſordium vim inde natam per tempus bene longum cumulavit, quæ dein Naturae beneficio vomitu ſenſim rejiciuntur, tanto cautius mercandum cum anodynis & ſiſtentibus erit, eaque omittere potius quam adhibere juvabit. Potius ſi viſcida & lenta pituita ita lateribus Ventriculi & villoſæ tunicæ plicis adhæreſcat, ut excuti iteratis nixubus in totum neget, amaris, ſalinis, aromaticis, ſaponaceis, diluentibus, uti potius expediet, & Vini hauſtulum indulgere, quo in illam fortius agant languentes redditæ, gratoque ſtimulo nunc incitatæ fibræ, quin & clyſmate paulo acriore deorſum invitare ſordes, & inverſum ſuo naturali ordini reſtituere motum periſtalticum juvabit. Bene memini fœminæ, fibra debili, cacochymicoque corporis habitu, quæ vitam ſedentariam amans, placentulisque farinoſis delectata erat, atque poſtea per menſem & ultra, quotidie bis, ter, magnam copiam glutinis inertis evomebat. Faciebat ipſi medicinam Ill. noſter de HELWICH, cui comes ego aderam, novellus tum Medicinæ doctor, obviamque nobis quotidie incedebat querula Mater, finem tandem ut vomitionibus faceremus, enixe petens. Nil vero precibus & lachrymis movebatur Vir optimus, ſed clyſmatibus ſaltem, infuſis vinoſis amaris cum ſalibus, elixiriis talibus, trageisque aromaticis morbum oppugnabat, quin potu thée vomitum juvari volebat, ipſumque oxymel ſquilliticum hoc fine exhibebat, cumque nulla vomitio inanis eſſet, ſed ſemper lenta pituita ſimul rejiceretur, ne quidem propoſitam ab Amico theriacam permittebat. Ita vero tandem ſponte vomitus ceſſabant, ac corroborantibus ventriculum utens fœmina per annos deinde ſanitatem firmiorem experiebatur, quam qua antea gaviſa erat. Quodſi vero non iners pituita, ſed cacochylia nidoroſa, rancida, bilioſa, putris alcalina in duodeno & ventriculo ſtabuletur, atque cum amarore oris, ructibusque

que olidis ac nauſea indicibili vomitiones cieat, diluentia, acida, ſubſalſa, & acida auſtera, ſapones acidi, purgantia acida & ſubacida pulchre proſunt, & motus ſiſtunt, neque opiatis opus, niſi illi eliminato penitus putri ſtimulo, in habitum abeant, ſolisque roborantibus auſcultare recuſent. Neque acida colluvies cauſa vomitionum acidiſſimarum quandoque, & vitrioli adeo ſaporem ori inferentium, rejectorumque colore viridi & nigro interdum ſe prodens, prudenter impugnatur ſopientibus, ſed ant-acida, abſorbentia, amara, alcalina, ſapones alcalicos & dein quando ſimul roborantia indicantur corticem peruvianum & ferri ſcobem ſibi depoſcit, quam in ejusmodi caſibus LENTILIVS [a]) merito extollit, quaque RIVERIVS [b]) ruſticum miram quantitatem materiæ vireſcentis quotidie vomentem ſervatum recenſet. Non vero eſt ut aliquis ſibi perſuadeat, in enarratis ejusmodi rerum conditionibus omnibus, haud adeo multum mali patratura fore anodyna, ſi ſaltem aliis convenientibus medicaminibus in uſum vocatis jungantur, aut interponantur, namque longe aliter ſe res habet. Nimirum coacervationi cruditatum omnis generis in Ventriculo, fere ordinarie velificatur debilitas jam præexiſtens ipſius Ventriculi, aut per fabricam nativam ipſi propria, aut mala diæta & prægreſſis morbis inducta, qua fit ut ingeſta mutationem in bonum chymum haud patiantur, ſed in illam corruptionem abeant, in quam abiiſſent in loco æque humido & calido ut Ventriculus eſt, moras nectentia. Atque tum facile vomitionum malus habitus inducitur, ipſæque diuturnitate temporis qua adfligunt, Ægris & medentibus multas moleſtias faceſſunt, quales hiſtorias legere licet apud HOFFMANNVM. [c]) Valde vero inimicum etiam ſatis robuſto ventriculo eſt Opium, quare id jam debili debilitatoque minus convenit, ſed potius efficit, ut debilitate majori per opium inducta, vel vomitus a remanente cacochylia ſuſtentatus tanto diutius perduret, faciliusque recrudeſcat,

a) *Jatromn. p. 61. 62. & alibi.*

b) *in Obſervat. commun. No. 59.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 518. & 520.*

deſcat, vel ſi omnimode ſiſtatur, ut morbis aliis a debilitate ventriculi ſordibus onuſti oriundis, acceſſus facilitetur. Deinde bene notandum eſt, in omni vomitu liberum ſeceſſum alvi multum detrahere pertinaciæ morbi, non ſolum motum periſtalticum ſurſum excurrentem deorſum iterum determinando, ſed &, id quod hic maxime animadverti debet, materiam peccantem ad naturalem ſuam viam, per quam eliminanda eſt, ablegando, quare etiam clyſmata in omni vomitu ſine diſcrimine, ſemper boni aliquid, & multum ſæpe afferunt. Opium igitur quod periſtalſin naturalem labefactat, alvumque inhibet, ſemper eo tempore mali quippiam, aut multum ſubinde inducere debere, per ſe facile innoteſcit. Applicari tandem his omnibus ſpeciebus vomituum de quibus loquor poteſt regula practica HIPPOCRATIS: [d]) *Vomitum Vomitu curari*, licet alioquin valde limitanda, ſat certa tamen, & bona, ubi cauſa vomitus fluctuans latitat in Ventriculo, nullo ſui ipſius vitio quod contraindicaret, laborante, & commode ſatis, commodiusque aliquando breviori rectaque via per œſophagum, quam longiori per flexuoſos gyros inteſtinorum poteſt ejici. Tales rerum conditiones ſi adfuerint, vomitoriumque datum vomitui ſedando aptum fuiſſet, opium & portam inferiorem claudens, & cavens ſimul, ne ſuperiori qua irrepſerat eliminetur mali fomes, illum intus manere jubet, & in ſede quam tenet magis firmat, permittitque ut in corporis interiora gliſcendo ſuccis miſceatur, intimius eos contaminet, & morbos varios inducat. Nolo hic ſicco pede tranſire, quamvis ex jam dictis omnino dijudicari queat & debeat, vomitum illum matutinum, quotidie ut nulla dies ſit ſine linea, revertentem, cruditatibus in debili laxoque ventriculo per habitum quendam collectis, & commeſſationibus ac compotationibus in adultam noctem extenſis ſæpe debitum. Vidi fruſtraneam fuiſſe omnem operam, quando Opiatis ipſaque aromatica theriaca impugnabatur; debita diæta, &

d) *Epidem. lib. VI.*

cœna

cœna levis maximam opem tulit, cum ſtomachicis, aromaticis, amariſque; ſæpe vero opus, ut quisquiliæ acidæ & viſcidæ funditus everrantur, quo nomine acidulas egranas & carolinas thermas potas multum profuiſſe expertus ſum.

§. IX.

Sequitur vomitus a Venenis acribus corroſivis, & inſtar veneni talis agentibus purgantibus & emeticis validioribus, ſi nimia doſi, aut tempore minus opportuno exhibita fuerint. *Continuatio hujus argumenti.*

Inter Venenorum acrium irritantium, ſpasmos & convulſiones inducentium, & inflammatione deinde nata necantium antidota, optimo jure refertur Opium, ut ab aliis Medicis ita & a recentiore Scriptore Cl. LUDWIG; [a]) quare prima fronte vomitionum a veneno acri, & remediis draſticis acribus, præſentiſſima remedia Opiata haberi debent. Sane opiata ſola poſt antiquos Practicos in hyperemeſi & hypercatharſi commendat inter alios recentiores BOHNIUS, [b]) provocans ad SYLVIUM [c]) & WILLISIUM, [d]) quorum hic in ejusmodi caſu diaſcordium & theriacam præſcribit. At vero perpendiſſe ea juvat, quæ ſimul monet laudatus Cl. LUDWIG, ſpasmo quidem mederi opium a veneni actione enato, ſed de veneno irritante ipſo antea removendo (addam ego pace ejus, ſi celerrima remotio locum non habeat, obtundendo & enervando) ſollicitum eſſe debere Medicum. Jam vero Opium nec removet venenum, nec obtundit illud, ideoque ejus actioni perſeveraturæ nil detrahit, quin ſi vomitum quo id removeretur, nimis cito cohibet, lupum ſtabulo includit. Porro quoque licet ſpasmo contrarietur, alium effectum veneni vel pharmaci draſtici, eroſionem & excoriationem cruſtæ villoſæ Ventriculi, & inteſtinorum, qua ſenſibilitas harum partium multum intenditur, neutiquam ſolatur. Hæc omnia curatius expendenti clarum reddi debet, ea pharmaca quæ acre removent, & obtundunt, ejusque effectubus ſpasmo & exco-

a) *Therap. Gen. §. 1410.*

b) *diſſ. de Vomitu §. 32.*

c) *Prax. lib. I. c. 15.*

d) *Pharmacevt. Rat. Part. I. Sect. II. c. 3.*

excoriationi vere medentur, longiſſime præferenda fore Opio. Verum hos fines ſimul explent aquoſa tepida, Lac naturale, vel amygdalinum, cum omnibus oleis blandis mulcentibus. Palmam igitur præ opio talia ſibi decretam merentur jure, cum jugiter epota vomitum natum a veneno acri, vel pharmaco acri, veneni indolem adepto ſalubriter juvando, remotioni veneni, & ſua nativa dote ejus obtuſioni & enervationi inſerviant; palmam merentur, cum ſimul natas ſtricturas & criſpaturas fibrarum relaxent, nudatosque abraſa mucoſa veſte nervoſos villos involvant, & a ſtimulo defendant, adeoque omnibus indicationibus quæ ſapienter formari poſſunt, prorſus ſufficiant. Una ſumme notabilis hiſtoria quam HOFFMANNVS [e]) de imminentibus ab arſenico aſſumto funeſtis effectubus, lacte & oleo mature porrecto feliciter averſis, in pluribus Juvenibus, qui omnes ſine Opio ſervati ſunt, recenſet, robur aſſertis meis conciliat. Neque minus alia [f]) qua comitem 12. annorum poſtquam is per errorem pilulas ex extract. panchym. ʒj. ☿ii dulc. tantundem, & trochiſc. alhandal granis 6. compoſitas una vice devoraverat, lactis tepidi larga copia aſſumta ſine opio a metuendis ſonticis malis præſervatum deſcribit, ſufficienter opinor edocet, vires ſummas lactis & oleoſorum in cicurandis draſticorum virulentis actionibus in corpus noſtrum. Cum cura noto, Illuſtr. BOERHAAVIVM [g]) licet antea inter generalia antidota venenorum Opium retuliſſet, tamen dum dein de medela damnorum a venenis acribus, cauſticis, gangrænam creantibus agit, ſolam aquam tepidam acidiuſculam mellitam, jura pinguia, lac, oleum, butyrum commendare, de Opio autem tacere prorſus, atque ſimul monere, valde bonum eſſe, ſi venenum ſic vomitu & alvo rejici poteſt. Ut vero cum ſua efficacitate tutiſſima eſt hæc medicatio, ita illa quam per Opium molitur artifex, ſæpe valde damnoſa eſt, & quandoque lethifera, dum vomitu ſic præmature conſopito, acre

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. III. obſ. 3.*

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. I. c. V. p. 197.*

g) *Inſtit. §. 1129. & 1136.*

acre irritans in ventriculo remanet, & deluſo ægro deleteriam ſuam actionem proſequitur. In hujus veritatis fidem adduco hiſtoriam, quam recenſet celebris Chirurgus STEDMANN, [h]) *in actis edinburgenſibus*, a cita nimis Opii exhibitione ad hyperemeſes ſedandas, ſedulo dehortans. Sumſerat homo 49. annorum tartari emetici grana ſex, vomitionibus & purgationibus nimiis inſequentibus; earum pertæſus æger proprio impulſu deglutiebat laudani liquidi gt. XX, elapſa hora dimidia torminibus ceſſantibus melius habere videbatur, ſed altera hora dimidia ægre ſpirabat, & ſudore circa præcordia perfuſus brevi moriebatur, gratis advocato laudato STEDMANNO, qui Opium pulchrum eſſe remedium ad vomitionem & dejectionem alvi in ejusmodi caſibus cohibendis largitur, ſaltem monens, ſimul attendatur, an illud acre quod utramque ciet e corpore ejectum ſit, an minus. Quodſi ſolus ſuperſtes eſt, illo jam excuſſo, motuum impetus omnino Opium indicatur & permittitur, quemadmodum & tum, quando ille adeo enormis animadvertitur, ut citius ab eo mors metuenda judicaretur, quam eliminari & obtundi poſſet venenum, vel draſticum remedium motuum cauſa. Ita SYDENHAMUS [i]) ad quendam vocatus qui cholera laborabat atrociſſima, & enormi vomitione, (cujus cauſa in hoc morbo non alia eſt quam acre cauſticum verum venenum æmulans,) ad incitas redactus, cum ſudore frigido, & ſumma ſpasmorum violentia animam agebat, generoſas & repetitione auctas doſes laudani cum eximio fructu in uſum vocavit. Tutius vero eſt, niſi ſtimulus ejectus judicatur, ſimul cum opiatis, jugiter, & ſine intermiſſione, donec ſymptomatum pax impetrata fuerit, adhibere diluentia, emulſiva, oleoſa, ut ipſius ſtimuli involutio & in agendo inertia ſimul obtineatur. Sane ſine his, ſi acre rodens, inflammans, excorians, gangrænam inferens, vomitu ſopito retentum, non occidat, fallaces ſæpe ſaltem Opium præſtat inducias, & ſi repetitis etiam vicibus

h) *Tom. IV. No. 6.*

i) *Operum p. 372.*

vicibus & magnis doſibus adhibeatur, integrum morbum non tollit, ſed longiorem potius & pertinaciorem facit. Fœminam habet RIDLEY, k) quæ aſſumto, quod Medicaſter aliquis porrexerat, medicamento, per quatriduum vomitionibus & dejectionibus violentis, magno imminente vitæ periculo, laborabat; dabatur theriaca Andromachi, altera nocte opium colatum ad gr. jß, & nocte ſequente opium ad gr. ij cum galbano, atque eadem adhuc nocte bis ad gr. ij, repetendumque tertia quavis horam judicabatur, ſi ſymptomata urgerent. Sed dormivit ægra cum fructu per 9. horas. Cum vero ſudoribus frigidis perfunderetur, continuationem Opiatorum quam recidivæ arcendæ jam deſtinaverat intermittendam, & cardiacis utendum RIDLEY judicabat. Præter enema e juſculo ovino cum ovi vitello, nullum demulcens adhibitum lego; forte autem talia cum oleoſis emulſivis gutturi ſuperiori crebro infuſa, citius ægram ad ſalutem perduxiſſent, ſine tanta opiatorum vi in ſubſidium vocata. Non poſſum autem non hic Lectores meos commonefacere, me in his caſibus omnibus, opium ſincerum, ubi vere eo opus eſt, præferre decantatæ theriacæ & diaſcordio, utpote quibus ab Opio ſolo vis ſopiens eſt. Cur enim additamentis calidis, & acribus irritantibus otioſis, & non indicatis, eroſam cruſtam villoſam moleſte adficerem? cur iisdem pugnarem contra cauſam morbi, quæ ſi necaverit, ſemper inflammatione & gangræna excluſa per ſe necat, neque accedentium acrium calidorumque juvamine ad mortem inferendam indiget.

k) *Obſerv. 23.*

§. X.

*Ulterior continuatio.*

Accedo ad vomitum a tenui acri materie in humorum maſſa habitante, & verſus exteriora ableganda, circa ventriculum vero moras nectente; aut ab exterioribus quibus jam inhærebat, mala metaſtaſi ad Ventriculi tunicas retropulſa; aut ex aere in ventriculum deglutitione delata.

Huc

Huc ſpectat Vomitus a Variolis & morbillis imminentibus; Vomitus febrium quarundam, ut malignarum & epidemicarum, itemque dyſenteriarum; Vomitus ab arthritide & podagra retrograda, ab eryſipelate, ſcabie, purpura retrocedentibus & retropulſis, ab ulceribus chronicis conſolidatis. &c.

De Variolis & Morbillis, morbis inflammatoriis jam egi, monſtravique, quo magis febris ante excluſionem exanthematum urget, eo magis nocivum eſſe Opium, eoque magis id morbum benigniorem forte futurum, motu & calore auctis, in malignum convertere. Atque illud et accedenti vomitui ſymptomatico neutiquam quadrat, quem ſola methodus antiphlogiſtica morbo ipſi conveniens, & regimen perſpirationi favens mitigat, donec prodeuntibus exanthematibus ſponte ceſſet. Si hoc non fiat, verendum eſt, ne puſtulæ varioloſæ ipſum ventriculum obſideant, quas Opium haud removet, ſed remedia blandiſſima emollientiſſima mitius irritare faciunt.

In febribus acutis & putridis ſubtilis acrimonia, & quidem in initio earum & progreſſu, ſæpe ciet immanes vomitus & dyſenterias, vel utrumque affectum ſimul, quod nuper pulchre notavit Ill. de HAEN. [a]) Abſolutiſſima eſt ejus methodus quam tradit, ſecundum quam vena ſi febris nimis ardet, tunditur; atque oleo lini cum tantillo opii motuum impetus compeſcentis hauſto, enematibusque ex mero oleo lini acre obtunditur, ac nuda cruſta villoſa inveſtitur & munitur; decoctis ſimul emollientiſſimis ſine ſale & melle, talibusque fomentis in uſum vocatis. Horum ope conſopitis ſymptomatibus, febrem vel miteſcere vel facilem ſui curationem admiſiſſe vidit. Quam bene ex vaſto materiæ medicinalis apparatu hic in compendio conjunxit omnia Vir eximius, quæ conjungenda erant! Dicit vero ſimul, emetica & purgantia ſi hic data forent, irritatione eminentiore reddita, certam mortem inſecuturam fuiſſe. Interea

a) *Rationis Medendi Part. altera p. 3. 4.*

tamen non deſunt Practici celeberrimi, qui nauſeæ, Vomituritioni, ipſique vomitui in principio febrium malignarum, ad miaſma pituitæ & bili immiſtum, antequam totum humorum oceanum ingrediatur, cito excutiendum, datis emeticis ſubveniendum arbitrantur, quos inter numero bene multos HOFFMANNVM [b]) HVXHAMVM [c]) PRINGLIVM [d]) nominaviſſe ſufficiat. Sed notare convenit emetica in hujus generis febribus ad eximiorum horum Virorum & aliorum circumſpectorum Practicorum mentem, debere eſſe blandiora, ut oxymel ſquilliticum & ipecacuanha, aut levior tartari emetici doſis cum manna; deinde in principio principii, ſi nempe anxietas & ſtricturæ circa præcordia, lingua ſordida nauſea & vomituritio, ſuſpicionem faciant ſuſcepti, & humoribus in Ventriculo ſtabulantibus inhærentis contagii, cum multo potu tepido eluente, talia debere propinari; tandem ea non locum habere, ut ſeorſim monet PRINGLE, quando febris ſedem ſuam jam fixit, & vomitus malum ſymptoma accedit, cum in hoc caſu datum emeticum valde periculoſum foret. Multo minus ergo vera emetica qualicunque ratione ſtimulantia, prodeſſe poterunt, quando in principio & decurſu febris vehementiſſimæ & copioſiſſimæ vomitiones urgent, a ſola acrimonia tenui, ut in iis caſibus, quos ponit de HAEN. Febre jam invaleſcente, & morbo confirmato eveniens vomitus in malignis & petechialibus, ſemper notat diatheſin ventriculi inflammatoriam, cavendum vero ſummopere eſſe dicit HOFFMANNVS [e]) ne laudata ipecacuanha vomitus concitetur, quando inflammatio jam adeſt. In peſte, in qua poſt 7. & 16. horarum ſpatium a mali ingreſſu os ſtomachi jam cauteriſatum vidit HELMONTIVS, [f]) echaram gangrænoſam carbonemque vomitus portendit, tunc vero vomitorium exhibitum interitum maturaret. Utroque autem in caſu, ubi circumſtantiis omnibus ſobrie penſitatis, emeticum in malignis incipientibus indicatur, aut iis jam radicatis prohibetur, Opium haud con-

b) *diſſ. de cauto & præſtanti Vomitoriorum uſu obſ. 7. Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. I. c. 10. p 240.*

c) *de febribus c. VIII.*

d) *de morbis militum Part. III. c. 7.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 505.*

f) *Tumul. Peſtis.*

convenit. In priori, illa nauſea & vomituritio quæ blando emetico promovenda eſt, abeſſe vult antemeticum Opium, niſi ſubjungatur finitæ aut nimiæ emetici operationi, ad ſedandos tumultus, quod SYDENHAMO, HUXHAMO & PRINGLIO aliisque ſolemne eſt. In poſteriori quando inflammatione & gangrænoſa diatheſi jam laborat Ventriculus vomitu vexatus, antiphlogiſtica congrua ſi juvare poſſunt dare expediet, quæ inter phlogiſticum opium non pertinet, quod ut Sect. II. docui, in genere febribus malignis curandis, & earum ſymptomatibus non bene quadrat.

* * * * * *

In vomitu ab humore arthritico retrocedente oriundo, cum purgantibus damnat Opium HOFFMANNUS, [g]) & in corporibus præcipue infirmis lethalem inflammationem id parere dicit; præfert illi frictiones & pediluvia, pulveres cum camphora & liquorem anodynum cum ſpiritu bezoardico Buſſii, quibus extrorſum determinari mali materiem dicit. [h]) MUSGRAVIUS [i]) interea in vomitu arthritico aliquando præmittit vomitorium & cathartica, ut ſordes quibus irretitam materiem judicat, eliminentur, de quibus remediis inſecuris certe a me habitis, multa dicere jam meum non eſt; deinde ut podragoga retineat Ventriculus, vomitum antea laudano componit, quod hoc fine impetrato deinde tanquam nocivum omittendum vult. Interim tamen inter remedia ſelectiora miaſmati arthritico exturbando conferentia opiatam Theriacam Andromachi vel Mithridatium, vel Electuarium ſtomachicum Fulleri quod itidem theriacam venetam habet, diſertis verbis commendat. Ut ex his Experientiſſimorum Virorum inter ſe pugnantibus ſententiis emergamus, penſitandum eſt, HOFFMANNUM permittere & laudare remedium acre circulumque incitans camphoram & liquorem bezoardicum Buſſii, a quibus ſane non niſi ſpecifica ſedante virtute abludit Opium etiam acre

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III p. 510.*

h) *loc. cit. p. 504. 523.*

i) *de arthritide anomala.*

 & cir-

k) *Hiſt. Med. Aëtius p. 152.*

l) *vide Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. VII. §. XI.*

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III.*

& circulum incitans, ſimulque ut monet FREIND[k]) æque ac camphora validiſſime attenuans & diſcutiens. Non ergo bene perſpicitur cur adeo ab Opio hic cavendum velit HOFFMANNUS, analogis interim pharmacis bene fiſus; ſed omnis metus ab ejus hypotheſi pendet, Opium narcoſin facile inducere parti cui immediate applicatur, circulumque præterea debilitare. [l]) Id ſi ita ſeſe haberet, non conveniret Opium Ventriculo ob incumbens ipſi acre arthriticum diatheſi inflammatoriæ expoſito, ſed inflammationis peſſimum exitum potius maturaret; imo vero tanto minus conveniret, quo magis removendæ a ventriculo noxiæ materiei, & ablegandæ illi ad exteriora, dum virtutem vitalem debilitat, impar foret, quæ pro hoc fine neceſſario incitari debet. Verum enim vero, cum neque ſtuporem necroticum inducat parti, (de qua re, quando de Uſu Opii topico tractabo, fuſius acturus ſum,) neque circulum debilitet Opium, ſed potius eodem vegetiori reddito perſpirationem & ſudorem æque moveat ac camphora, & liquor volatilis Buſſii, maxime ſi regimen juſtum acceſſerit, eodem tempore, quo hæc bina remedia quadrant Arthritidi anomalæ a ventriculo averruncandæ, quadrabit & Opium. Verum eſt, ſi id ſedante virtute ſola polleret, ſine incitante circulum, & diaphoreſin movente, omnino indicationibus veris haud reſponderet; at vero, quia ad exteriora humores determinat, & ſimul vomitum compeſcit, quem non æqua potentia ſiſtit camphora & liquor Buſſii, ut & nec liquor anodynus, hoc poſteriore reſpectu his omnibus præponi debet. Ego vero dum Opio hic patrocinor, nil derogo cautelis, ſub quibus omnibus infirmis ſubjectis exhibendum eſt, ſique forte nimis alte inſederit ventriculi tunicis acre arthriticum, labemque viſceri intulerit, Opiumque tum nil juverit, ſine culpa maculam eidem adſperſam nollem.

Lego apud HOFFMANNUM[m]) hiſtoriam eryſipelatis inſperſo pulvere repulſi vomitusque inde nati, quem a

Medico

Medico ſpeciebus de hyacintho, terra catechu, & extracto anodyno oppugnatum lethum brevi excepit. Sed hic adſtringens pharmacum acrimoniam eryſipelaceam ad ventriculum delatam membranis ventriculi adfixit tenacius, juvitque in hoc viſcere excluſionem inflammationis, quæ jam aderat ſine dubio talis, ut fuerat ſat gravis in pede, ſimulque ſequelam ejus gangrænam produxit, ſingultu ſuccedente ſeſe manifeſtantem. Deinde datum Opium febrili æſtu præſente, minime conveniebat, quod ab omnibus febribus inflammatoriis ſive extus ſive intus malum lateat, penitus per ſuperius dicta, abeſſe debet. Tutior ejus uſus in arthritide anomala eſt, utpote quæ febris præſentiam neceſſariam haud ponit. *Sect. II. c. 6. p. 522.*

§. XI.

*Opium reliquis adhuc ſpeciebus vomitus applicatum.*

Sequitur vomitus a vaſis quæ per tunicas Ventriculi excurrunt, ſanguinem coacervatum non libero motu transmittentibus, nimis oppletis, diductis, obſtructis, anevriſmaticis, varicoſis, ſpaſmo conſtrictis, inflammatis.

Opplentur, diducuntur, & varicoſa redduntur vaſa ventriculi a ſanguine hæmorrhoidali exitum affectante & non inveniente, aut ob ſuppreſſum conſuetum fluxum ad ea regurgitante, in maribus. In fœminis menſes emanentes, ſuppreſſi, ob graviditatem haud fluentes, lochia non procedentia, ſanguinem ſuum aliquando in vaſa Ventriculi determinant. Conſtrictionem eorum parit frigus, conſtringentia ingeſta & omnis ſpaſmus a quacunque cauſa; obſtructionem & inflammationem omnis cauſa obſtruens & inflammans, numero multiplex.

Nondum dememini, me Sect. II. tractatione de hæmorrhagiis, jure Opio attribuiſſe virtutem hæmorrhoides moventem, emmenagogam, & ariſtolochicam, qua ſuppoſita in omni vomitu hujus generis Opium fore eximium remedium credibile evadit. Namque excretionibus ſanguineis de quibus hic ſermo eſt, reſtitutis, ceſſabit illico ab

earum anomaliis pendens vomitus, una namque ubivis eſt genuina indicatio easdem reſtituere, ſola graviditate excepta, & ætate, in fœminis. Verum obſervandum eſt, dum oppleta nimis ſunt Ventriculi vaſa, Opium aſſumtum tota ſua ſubſtantia primo in ea agere, atque ipſa ſanguinem congeſtum rarefaciendo, adhuc magis implere, & diducere. Sique tum vaſa hæmorrhoidalia & uterina ad excretionem minus ſint diſpoſita, ut durante hoc vomitu talia ſunt, (nam alioquin ſanguinem nunc vaſa ventriculi gravantem in ſe reciperent) magisque orgaſmo humoribus inducto reſiſtant, quam vaſa gaſtrica, Opium non exeret vim ſuam hæmorrhoides moventem, & emmenagogam, quæ in orgaſmo inducendo fere tota conſiſtit, & vaſa hæmorrhoidalia ac uterina ſat patula & aliis minus reſiſtentia ſupponit, niſi id forte hæc vaſa ſpaſmo conſtricta ſimul relaxet. Quemadmodum igitur in talibus vomitionibus nemo prudens Medicus adhiberet Aloën & myrrham, ita & non facile exhibebit ipſis analogum Opium, quod ut illa remedia non rite diſpoſitis viis hæmorrhoidum & menſium, loco reſtitutionis excretionum deſideratarum, quemadmodum omnia alia calida, facile vomitioni cruentæ aut diſpoſitioni inflammatoriæ anſam ſuppeditare poſſet, cauſam vomitus præſentem forte magis juvando, quam motus ab ea pendentes inhibendo. Melius ſeſe in hiſce caſibus omnibus gerent VS. in pede, clyſmata emollientia, fotus ejusmodi, inſeſſus, diluentia, ſaponacea & nitroſa, ſanguinem ad loca debita invitando, coacervatumque in vaſis ventriculi revellendo, attenuando, iisque onere ſublato ſuam ſyſtolen reſtituendo. Acida vegetabilia ventriculo gratiſſima & ſimul cauſæ reſpondentia, ut ſuccus citri in aqua fontana frigidiuſcula adjecto ſacharo, hic inſtar omnium ſopientium erunt, ut aliquoties vidi. Conſopito autem vel ad tempus vomitu, ſpecifica remedia ſanguinem ad loca hæmorrhoidalia & uterum determinantia in uſum trahi debebunt.

Venio

Venio ad vaſa Ventriculi maxime in ſucciplenis & plethoricis conſtricta, a ſpaſmo quovis, inter cujus cauſas ſæpe eſt potus frigidus poſt exæſtuationem corporis ſubito ingurgitatus. In ſpaſmum laxandum multum utique poteſt Opium, ſi modo ejus cauſa & morbus ſpasmodicus præſens reſpiciatur, atque de hac re adhuc ſeorſim exponam. Si ſpasmus a frigore vomitum cieat, cujus exemplum notabile legere licet apud HOFFMANNVM,[a]) relaxatio ejus, coagulique ſanguini inducti reſolutio magis attendenda, quam motuum conſopitio. Nocuerunt in ſimili caſu, animadvertente Viro ſummo, remedia opiata & adſtringentia, electuaria ex conſerva roſarum, hæmatite & ſpiritu vitrioli parata, ægerque poſtquam per 12. hebdomades vomuiſſet, animam reddidit. Sine dubio autem hic adſtringentia magis obfuerunt, quam Opiata. Forſan ad motus vomibundos nimios ſenſibilis Ventriculi interdum ſuſpendendos inſervire potuiſſet Opium, non figens ſanguinem, ſed ei potius fluorem inducens, neque vaſa coarctans ſed relaxans, dum illi quietem plenariam & coagulum roſarum folia, & rudis hæmatites, & acidum minerale vitrioli induxerunt, hærereque pertinacius in vaſis ſtrictioribus & rigidioribus redditis fecerunt. Forſan ſimul applicatis relaxantibus clyſmatibus, ſaponacea acida Ventriculo grata, cum diluentibus talibus, & nitro, extusque topica calida, cum acido vegetabili, reſolventiſſimo aceto adhibita permiſiſſent uſum interpolatum Opii, quando nimis urgebant vani conatus excuſſorii, quod cum his omnibus dextre porrectum non facile mortem invitaſſet.

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 515.*

Supereſt vera inflammatio Ventriculi, vomitu perpetuo, indicibilique dolore ſimulac aliquid ingeritur ſtipata. Ad utrumque qui attenderit unice, ſtatim clamabit urgeri Opium, illudque ambabus manibus liberalius ægro exhibebit. Neque negari poteſt ſpasmum & dolorem, quin & vomitum ſæpe inflammationem Ventriculi antecedere, hanc-

que demum ut effectum poſt ſe trahere ſolere, tumque ſi cum illis cautionibus detur Opium, quas in Cardialgiæ conſideratione Sect. II. exhibita expoſui, pulchre quandoque præoccupari poterit inflammatio vehementiſſima. Egregie hoc perſpexit & largitus eſt Celeb. HOFFMANNVS,[b]) quanquam in inflammatione jam nata nullum Opio locum concedat, ſed potius rem periculi plenam eſſe dicat, ubi Ventriculus & inteſtina ad inflammationem & ſphacelum inclinant, opiata propinare.[c]) Satis etiam certa eſt Cl. Viri ſententia, etenim in genere nulli inflammationi curandæ convenire Opium evici Sect. II. cum de medela febrium acutarum agerem. Mirum eſt monitum Lud. SEPTALII,[d]) Opiata in omnibus Ventriculi affectubus fugienda eſſe, niſi urgente dolore inflammatorio, id ſane vetuſtam hypotheſin de Opii frigiditate ſapit. Aliter hodie ſtatuitur; ne verbulo quoque ejus meminit in inflammationis Ventriculi therapia Ill. BOERHAAVIVS cum Ill. ſuo Commentatore. Sane quando in caſu quodam deſperatiſſimo[e]) XI. vicibus repetita VS, (in qua adminiſtranda nimis meticuloſus videtur HOFFMANNVS,[f]) ventriculum frigidam partem habens, ad ſtylum Veterum, immemor forte maximi apparatus arteriarum, quo hoc viſcus inſtruitur[g])) retundendo impetum, ardoremque internum intolerabilem reſtinguendo, profuit tandem; atque quando ad hunc caſum provocans in hos fines poſt BOERHAAVIVM, phlebotomen valde commendat van SWIETEN,[h]) facile clarum eſt, impetum febrilem augens & calefaciens Opium minus conveniens futurum. Sed & aliæ rationes ſonticæ ſuperſunt, cur id huic morbo neutiquam quadret. Silentio hic præteribo animadverſionem, quod quibusdam ſubjectis Opium Vomitum excitet, quibus igitur, cum in medela BOERHAAVIO[i]) monitore ſummopere a Vomitu cavendum ſit, eo reſpectu id maxime damnoſum foret; alia habeo quorum intuitu omnibus nocet. Scilicet eodem

BOER-

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 378.*

c) *l. c. & Tom. II. Part. II. c. VI. p. 276.*

d) *lib. VII. §. 3.*

e) *Medical Eſſays Tom. I. No. 29. p. 284.*

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 378.*

g) *Vide Halleri notas in Prælect. Bœrh. Vol. I. p. 259. & Heymanni Comment. in inſtit. Bœrh. Part. III. p. 190. ſeq.*

h) *Comment. Tom. III. p. 147.*

i) *aph. 954.*

BOERHAAVIO [k]) hortante, omnia pharmaca quæ ore aſſumuntur debent eſſe potus antiphlogiſtici, ſed leniſſimi, emollientiſſimi, demulcentiſſimi, ſummopere cavendo, ut a vomitu, ita & ab omni acri; atque Cel. HOFFMANNVS [l]) laudatiſſimum alioquin ſuum liquorem anodynum, ipſumque Nitrum in hac ægritudine non conducere ſcribit. Eouſque autem circumſpectus eſt Ill. van SWIETEN, ut potum lenientem in materia medica a Præceptore propoſitum propter trifolium acetoſum & rob ribeſiorum admiſtum, & acrimoniam qualemcunque horum, vix ferri poſſe in dolentiſſima Ventriculi inflammatione edoceat, atque antiphlogiſticum Nitrum, quod aliter largioribus præbiis in inflammationibus ſecure & feliciter porrigitur, dum tamen irritat, ad grana ſaltem x vel xij uni libræ juris pulli admiſceri velit. [m]) An igitur conducet dote ſua acri & irritante actuum in Ventriculum Opium? Dicis forte, quid damni ab acrimonia integri vel dimidii granuli? reſpondeo, forte hæc jam in inflammato & ſumme ſenſibili ventriculo hominis, qui eum non inflammatum habens Opium bene tuliſſet, vomitum noxium movebit; addo ſi refrigerans nitrum nocere acrimonia ſua poteſt, niſi dilutiſſimum fuerit, certius nocebit Opium calidum & acre, ſaltem hoc non ſit antiphlogiſticum, quanquam dilutiſſimum ubi fuerit, ejus acrimonia minuatur, eminentiſſima interim illius intuitu, quam nitrum habet, ut lingua judicium ferre juſſa de una & altera facile teſtabitur. Verum enim vero, permiſit Opium aliis omnibus agendis actis, ad ſtricturas placandas in inteſtinorum inflammatione BOERHAAVIVS, [n]) & van SWIETEN, quare ſub his conditionibus permitti etiam poſſe videri poterat, in inflammatione ventriculi, quod autem ab iis non factum eſt. Mihi quidem ſi rationem dare juberer, videtur magnam eſſe differentiam, ſi ſopiens quidem ſed ſimul acre Opium topice agat in ventriculum ægrum inflammatum, ſive Ventriculo utcunque ſano, aut ſi ſimul afficiatur, tamen proprie

k) *aph. cit.*

l) *loc. cit.*

m) *in Comment. Tom. III. p. 148.*

n) *aph. cit.*

non laborante receptum, effluvia ſua ſubtiliſſima ad nervos inteſtinorum laborantium diſpergat. Neque metus ab acrimonia ejus adeo vanus & imaginarius eſt, teſtantur quippe fida Auctorum experimenta in Animalibus quibus Opium exhibitum fuerat, inventam fuiſſe interiorem ſuperficiem ventriculi rubellam & phlogoſi affectam. Novi his fere contradicere doctiſſimam diſſertationem Cl. SPROEGELII experimenta circa varia Venena continentem. In cato quippe, cui ad ℥j datum fuerat Opium, Ventriculum non inflammatum Exp. XVI., nec in cane talem inventum experim. XXIV. declarat. Lego tamen etiam in alio cane tunicam villoſam ſubinflammatam inventam fuiſſe, quod interea non actioni Opii ſed longo jejunio neſcio an recte tribuitur, Experim. XXI. Verum injecta in jugularem ſolutio Opii effecit tamen, ut in necato cane ventriculus cum inteſtinis & omnibus viſceribus valde inflammatus inveniretur, Experim. XLIII. quare prona conſequentia ſtatui poterat, immediato contactu in ipſum Ventriculum agens eum tanto citius inflammaturum. Sane guſtu opii indoles urens inſtar piperis atque inflammans diſci poteſt, & alii graviſſimi Viri Ventriculos vere inflammatos ab Opio viderunt. Ita in cane ventriculum maculis rubris hinc inde notatum memorat BERGER, [o]) atque eadem ratione MEAD [p]) in cane hic illic rubri quid vidit, ut in inflammationis principio. Deinde in cane & fele ab Opio Ventriculum inflammatum conſpexit LINDESTOLPE, [q]) & in cane rubore ſuffuſum BVCHNERVS. [r]) Differentiam Ventriculorum in factis experimentis, modo in naturali ſtatu, modo cum ſignis inflammationis inventorum, fecit forte liquidorum diluentium major vel minor copia cum Opio pota, brevior vel longior ejus mora in Ventriculo, mucus vel copioſior & tenacior, vel parcior & fluidior villoſam cruſtam obliniens, Ventriculi ſenſibilitas major, minorve. Quid vero opus eſt multis, ſi unum ſanum cujusdam animalis ventriculum datum

opium

o) *diſſ. de Opii vi rarefaciente* §. 4.

p) *de Venenis pag. mihi* 134.

q) *de Venenis p.* 501.

r) *diſſ. de Opio* §. 32.

opium inflammavit majori doſi, qualem canes ſæpe ſine vitæ damno ſuperſtites ferunt, nemo ambiget, jam inflammato hominis Opii longe magis impatientis ventriculo id non convenire in minori, nec in minima. Præſtabit igitur ſemper ſummam ſenſibilitatem & irritabilitatem, ſpaſmosque & dolores & motus vomibundos, quæ indicare videntur Opium non intelligentibus, placare liquidis tepidis emollientibus, fibras relaxantibus, potu, clyſmate, fotu, adhibitis, quibus & ſimul ſtagnantes humores attenuantur, quam Opio ægrum adfectum morbo, ex quo etiamſi ſumma circumſpectione is tractetur, rarius emergit, in certam perniciem adaucta inflammatione, & invitata necroſi præcipitem dediſſe.

§. XII.

*Vomitus ſine materia.*

Nunc autem vomitus commemorandus eſt, qui ſine materia a ſolo motu inordinati liquidi nervorum, ob ſyſtema horum nimis irritatum, aut per fabricam ſuam naturalem facillime irritabile & mobile, exoritur.

Hæc ſola ſpecies vomitus eſt, cui Illuſtris BOERHAAVIVS [a]) qui vomitus cauſas ad cauſas majoris nauſeæ refert, cum quiete, aqua frigida, & auſteris, narcotica deſtinat, cum in aliarum ſpecierum ſanatione eorum mentionem non faciat. Pulcherrime notat Commentator Ill. van SWIETEN, [b]) ob commercium quod Ventriculo cum encephalo a quo nervorum origo eſt, intercedit, hoc cum toto nervoſo genere turbato, facile vomitum ſequi. Atque inde pendere hyſtericarum, virorumque mobilibus nervis præditorum, navi, curruque, ſi retrogradi ibi ſedeant vectorum, pathematibus animi agitatorum, vomitum aſſerit. Notabile eſt, ejusmodi a ſola ſpirituum ataxia obortum vomitum, vertiginem ſemper fere antecedere aut ſaltem comitari, a qua tamen quemadmodum et a delirio, ſpaſmoque, & tremore, ſignis hujus vomitus pathognomonicis, non ſemper concludendum eſſe dicit, ad ſolos nervos affectos, niſi lim-

a) *aph. 658. 655. & 644.*

b) *ad aph. 642. Tom. II. p. 222.*

pida urina ſimul adſit, cum cauſa quædam vellicans haerere poſſit in Ventriculo & caput afficiendo eadem ſymptomata producere. Ad motum vero inordinatum liquidi nervoſi compeſcendum, ſi hic ſolus ſit cauſa vomitus, narcotica omnium efficaciſſimam medelam exhibere notat laudatus van SWIETEN; [c]) ſimulque rationes ſuppeditat, cur quies Sydenhamo commendata, ſimul neceſſaria ſit, atque aquæ frigidæ potum, auſterorumque remediorum uſum ſuadet, quo utroque fibræ laxæ, debiles, irritabiles, firmantur; tandem ut omnis diſpoſitio tollatur, corroborantia vſurpanda monet. Alibi [d]) adhuc egregie animadvertit, fieri poſſe, ut in illo vomitu, qui acrem putrem viſcidam materiam pro cauſa habet, hac jam per naturam & remedia expulſa, nihilominus maneat vomitus ob ſenſibilitatem & mobilitatem Ventriculi ſuperſtitem, tumque Opiata quæ omnes hos tumultus ſopiunt, & acriorem ventriculi ſenſum obtundunt, maximum uſum habere dicit. Liceat mihi Conſiliis ſapientiſſimi Viri, quamuis nil iis addi poſſe videatur, aliqua adhuc adjicere ſpecialiora monita.

c) *ad aph. 644. Comment. Tom. II. p. 227.*

d) *ad aph. 658. Tom. II. p. 261.*

De vomitubus hyſtericarum & hypochondriacorum quae obſervanda ſint dixi §. 2. & 5. hujus capitis, repetique ſedulo velim cautiones ibi traditas, circa adhibitionem Opiatorum.

Eos quos attinet qui curru vecti facile vomunt, placet mihi referre caſum, virginis, quæ quoties retrorſum ſedebat, poſt aliquot horæ minuta, vehementiſſimis vomitubus ad animi deliquium usque adfligebatur, parentibus interim paulo durius volentibus, ut huic motui corporis adſueſceret. Suaſi, ut quadrante horæ antequam currum ingrederetur, ſumeret pilulam opiatam, eidemque ſuperbiberet bina cochlearia aquæ Cinamomi, ſic bene ſe habuit, et ſenſim malus hic habitus expugnatus eſt. Aliis in ſimilibus caſibus hauſtum Vini rubri gallici, vel et largam quantitatem TRæ marcialis in aqua quadam Aromatica aſſumtam profuiſſe novi.

Vomitus

Vomitus ille imaginatorius cujus meminit HOFFMANNVS[e]) qui ex viſis aut tantum auditu perceptis rebus ingratis memoria eas refricante ſuboritur, quemque BOERHAAVIUS[f]) oblivione et vitatione ſimilium aboleri dicit, ſi urſerit nimis, cum licet in ſolidis et fluidis nil mutatum ſit, cogitatio tamen ataxiam motuum excitet, et fluidum nervorum exagitet, Opiatis mitigandus & ſopiendus erit.

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 498.*

f) *aph. 642. 644.*

A ſubitaneo terrore ſi enatus fuerit hic affectus, Opium cardiacum aliis cardiacis et analepticis junctum pulchrum ſolet edere effectum, dum & motus inanes ſopit, & humorum iter ad exteriora dirigit, quorſum villos vaſorum grato iis ſtimulo incitantia ſimul egregie faciunt, neque enim aliæ indicationes hic poſſunt enaſci. Quin & in hoc caſu Opium animum dejectum erigit.

In vomitu ab iracunda animi commotione, et turbis ſpirituum inde obortis, Opium maximopere convenire videtur ad eas compeſcendas. Sed non ſufficit ad has reſpexiſſe. Certum eſt, licet non facile explicari ratio ſeſe patiatur, iram omne nervoſum ſyſtema exagitando ſpeciatim tamen in ductus nervoſos biliarios agere, atque efficere, ut hi ſpaſmo & convulſione affecti bilem copioſius exprimant, quæ & tum eminentiore acrimonia prædita deprehenditur. Omnes hos motus pacat Opium, ſed effuſæ bilis, quae vel ſedatis motubus ab affectu animi, ſua irritatione et roſione novos excitare apta eſt, correctionem haud praeſtat, ſtimulique hujus novi corporei vim haud enervat. Atque hæc eſt ratio, cur in ejusmodi vomitu ab ira, qui in bilioſum vomitum per ipſum affectum animi degenerat, blandiora acida, ut ſuccus citri cum aqua frigidiuſcula & pauco ſacharo aſſumta itemque phlegma vitrioli, ac ſpiritus acidi dulcificati adeo pulchre proſint, quæ aucto ſimul ab ira motui ſanguinis magis conveniunt, quam Opium. Interdum etiam hæc acida, bilioſæ acrimoniæ antidota, curam haud exſolvunt, ſed opus eſt, vt illa ſive ſat correcta ſive minus, e corpore prorſus

prorſus ejiciatur, quorſum tartari cremor, & rheum præcipue facit.

Aliquando & vomitiones ſuſcitantur a mœrore eodemque diutius protracto præcipue, quæ tamen non bene adeo anodynis impugnantur, maxime ſi in habitum abierint. Namque per ſe mœror omnis appetitum deſtruit, & digeſtionem labefactat, totique functioni ventriculi contrariatur, quare amara aromatica, & corroborantia cum vini generoſioris hauſtu ejus uſum longe anteeunt. HOFFMANNUS[g]) merito balſamum ſuum vitæ cum liquore anodyno, balſamum embryonum, & aquam Cinamomi commendat.

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 507. & 508.*

In genere adhuc tenendum eſt, cum vomitus omnis a ſola ſpirituum Anomalia originem trahens familiaris ſit debili laxaque nervorum fabrica inſtructis hominibus, opium quod ejusmodi ſubjectis valde inimicum eſt, non adhibendum eſſe, niſi alia haud juverint, aut non opem latura judicentur, vel ſaltem uſum non præter rem repeti & extendi debere. Juvat ſæpe ſolus liquor anodynus mineralis Hoffmanni, vel quæ concentratus liquor anodynus eſt, Tinctura ſolaris dicta MANZINI, a qua eximios effectus ſæpiuſcule vidi. Novi etiam profuiſſe celebre antemeticum Riverianum, ex ſale abſynthii & ſucco limonum cum Vino rhenano a BOERHAAVIO[h]) in hac ſpecie vomitus a ſola turba ſpirituum præciſe laudatum, ſi in ipſo actu efferveſcentiæ potetur, ubi Opiata nil juverant. Multum id laudabat tot adhibitis remediis aliis, & a me, & ab alio Medico non adjuta Illuſtris quædam Comitiſſa, licet alia cauſa gravior quam nervei liquidi irregularis motus ſubeſſet, qui tamen concurrere videbatur. Scilicet dum efferveſcentia perdurat in Ventriculo, per eam, ut rem explicat Cel. van SWIETEN[i]) mirus ſtimulus ejus nervis inducitur, atque illius ſpaſmi & convulſiones feliciſſime tolluntur, agit autem non expellendo, aut corrigendo materiam, in ventriculo & inteſtinis hærentem, ſed tantum mutando impetum nervoſi liquidi,

h) *Mat. Med. ſect. 644.*

i) *Comment. T. II. p. 201. ad aph. 658.*

liquidi, in has partes. Facile autem patet actionem hujus remedii in ipſos ſpiritus irregulariter motos ceſſare, ſimulac ceſſat in Ventriculo effervefcentia, tumque id abiens in ſal ſalſum non aliter agere, ac ageret ingeſtum aliud quodvis ſal enixum. Nil ſpeciatim addiderat RIVERIVS [k]) de neceſſitate aſſumtionis ſub effervefcentia, ſed ſcripſerat ſaltem ſal abſynthii ad ℈j cum ſucci limonum cochleari mixtum remedium eſſe præſtantiſſimum in vomitu. Forte eapropter non perſpexit uſus methodum PITCARNIVS, [l]) qui commendans famigeratum illud RIVERII ſaltem ſalis abſynthii & ſucci limonum meminit, & monet ut ſemper addatur laudanum Opiatum, de quo RIVERIVS prorſus tacet, quodque additum ſali medio nato ex concurſu ſalis abſynthii & ſucci limonum, aliud prorſus remedium emergere facit, quam Riverianum eſſe debebat Opii comitatu non egens, ſed ſola effervefcentia nervos adficiens, alia ratione, ac opium. Neque Illuſtris HOFFMANNVS [m]) ad eam attentus fuit, tacet totum remedium dum capite de vomitu ea enarrat, quæ motus ventriculi convulſivos ſopiant, atque deinde in vomitu febrili, ſpeciatim in Variolis & morbillis, in quibus facta eruptione vomitum ſponte ceſſare dicit, Mixturam laudat ex aquis deſtillatis ſucco limonum & ſale abſynthii concinnatam, quam etiam in tertianis ſuo uſu haud carere dicit. [n]) Quod vero magis notari debet, vocatum ad Ægrum iliaca paſſione adfectum, ut vomitum componeret, ſe præſcripſiſſe refert Mixturam Riverianam, quæ componatur ex aquæ communis libra, ſucci Citri uncia & Salis abſynthii drachma per vices aſſumendam. [o]) Clarum ex his eſt de effervefcentia non cogitaviſſe optimum Virum, ita vero in aquis dilutum ſal ex concurſu acidi & alcali natum mediæ naturæ ut tale utile eſſe poteſt, poteſt ſuo ſtimulo incidere viſcidum, poteſt alvum leniter aperire, & prodeſſe in febribus acutis ubi ſalia talia proſunt, intermittentibusque maxime, nulla vero tali remedio eſt vis ſpecifica

k) *Prax. Med. lib. IX. cap. VII. p. 284.*

l) *Elem. Med. Phyſ. math. lib. II. c. 19. p. 175.*

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. 6. p. 501.*

n) *l. c. p. 508.*

o) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. 4. obſ. 6.*

cifica ant-emetica. Adhuc annotare hic non intermittam, quando hæc expetitur, curandum eſſe, ut in formula præſcriptum ſal abſynthii ſit verum alcali, congreſſurum cum ſucco limonum. Solent quippe Pharmacopœi, ne paratum deliqueſcat, & melius aſſervetur, id exponere fumo ſulphuris, non curantes, hujus acidum immutare totum ejus ingenium, & ſal abſynthii tum abire in ſal enixum. Supereſt antequam vomitum a ſolis turbis ſpirituum derelinquam, ut eximios fructus non ſilentio prætercam, quos a topicis vel ſolis ſæpe, regioni Ventriculi admotis ſperare fas eſt, quanquam & in aliis hujus affectus ſpeciebus rite ſelecta & internorum uſui juncta medelam egregie promoveant. Elegantia leguntur apud RIVERIVM & BOERHAAVIVM in *mat. med.* HOFFMANNVM & alios, neque opus ut ea excerpam. Palmam multis præripit Cataplaſma ex fermento panis, Vino generoſo, aceto & ſpiritu Vini camphorato cum pulvere aromatum, quo ſæpe utor. Laude dignum etiam eſt Emplaſtrum ex theriaca, de quo fuſius agam, ubi de Opii uſu topico verba facturus ſum.

## §. XIII.

*Vomitus a conſenſu nervorum, & vitio ſolidorum.*

Jam devolvor ad vomitum a nervis Ventriculi ob conſenſum affectis per partes alias, morbo ſuo proprio laborantes, ſpaſmo, dolore, convulſione, vulnere, inflammatione, obſtructione, induratione.

Huc ſpectat inteſtinorum tenſio a flatubus, dolor a colica, ileo, dyſenteria, cholera; eorum inflammatio, exulceratio, induratio, ſcirrhus, incarceratio in hernia, obſtructio ab induratis fæcibus, irritatio a vermibus.

Morbi hepatis, ejus obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, vomicæ, exulceratio, veſiculæ felleæ turgor a collecta bile, a calculis, ductuumque ejus ſpaſmodica affectio.

Morbi lienis, pancreatis, meſenterii.

Diaphra-

Diaphragma convulſum in tuſſi, vel inflammatum in paraphrenitide.

Ureteres calculo transgredi moliente irritati.

Morbi capitis a dolore, concuſſione, contuſione, compreſſione, vulnere, inflammatione pendentes.

Spaſmus univerſalis in febribus intermittentibus.

Facile clarum eſt in omnibus his caſibus vomitum non niſi ſympatheticum eſſe, neque ſanari Opio, ſed ſaltem eodem palliari; ac interdum non ſine magna morbi principis noxa. Hunc ex artis legibus ſanare convenit. Flatus, colica, ileus, dyſenteria, cholera, inteſtinorum inflammatio, ſpaſmi ductuum biliferorum & ureterum, tuſſis, Opium pulchre ferunt ſi id aliis pharmacis adjungatur, vel ſubjungatur. Morbi reliqui, capitis præcipue, inflammationes, febres, ejus uſu certo exacerbantur. Expoſui vero jam multa huc facientia ſub morborum ſingulorum medela, & exponam reliqua in ſequentibus.

* * * * * *

Nolo ſilentio præterire vomitum a Vitio in ſolidis Ventriculi circa cardiam vel maxime pylorum hærente, ſuppuratione, ulcere, ſcirrho, callo, cartilagine, de quibus omnibus triſtes hiſtoriæ apud Obſervatores leguntur. Has inter notatu digniſſima eſt, & de ſummo judicii practici acumine teſtatur, quam *Act. phyſ. med. Nat. Cur.* inſerendam tradidit celebris olim apud nos Medicus de HELWICH. [a]) Miſerrimum hic ſolamen ab Opio. Diæta modica, tenuis, emollientiſſima, vix quidem ærumnas tollit, ſed tamen unice lenit, donec mors iis finem imponat. Vidi hujus rei flebile Exemplum. Lectiſſima 20. annorum Virgo Ducis legionarii filia unica vomere inceperat & præcipue brevi poſt prandium & cœnam. Pauco tempore elapſo deficere inceperant menſes, qui antea juſto tempore idonea copia fluxerant tandem ſupprimebantur, ſtatis tamen periodis adhuc

a) *Vol. IV. obſ. 107.*

 aliquo-

aliquoties cum dolore gravativo & tendente in pube mucus rubellus parva copia & urina cruore leviter tincta excernebatur. Varia per annum & dimidium adhibuerant bini Medici doctiſſimi e noſtris pharmaca, ad ſedandos vomitus, & reſtituendos menſes, quorum ſuppreſſioni mœſtiſſima Mater omnia tribuebat. Nil interim profuerant topica omnis generis, liquores anodyni, diaſcordiata, theriacalia ipſumque Opium ad priorem, nil diluentia, lentorem ſolventia, emmenagoga, fotus, balnea, ad poſteriorem ſcopum; ſed corpore indies magis contabeſcente, & vomitu pertinaciter perſeverante nullum, diu veſtigium alicujus menſtruæ purgationis apparuerat. Vocabar tandem ego feſſis fere a lateris lavatione duobus laudatis Medicis. Omnibus auditis & expenſis, in perplexo rerum ſtatu dubius hærebam, an vomitus qui corpori nutrimentum debitum detraxerat, eſſet cauſa ſuppreſſorum Menſium, an menſes ſuppreſſi, cauſa vomitus. Non deerant mihi ad caſum poſteriorem facientia exempla, unum ſaltem momentum erat, quod ut prius crederem me adducebat, quia nempe omni tempore perinde, neque certis periodis gravius, aut remiſſius, & vix unquam vomebat, niſi aliquid ciborum vel potulentorum adſumſiſſet. Eapropter autem ob triſtes anxietates, & inanes egerendi conatus, quas tum experiri tenebatur, abſtinere amabat ab omnibus ingeſtis, precibus ſaltem Parentis utriusque interdum cedens, eadem ſemper ſcena omnibus adſtantibus luctuoſa, ludi ſolita. Mihi quoties ipſe oculatus teſtis eram perpetuo obverſabantur verba Beati Præceptoris HOFFMANNI,[b]) fere inſtar regulæ eſſe, quod qui diu maxime a ſumtis epulis vomuerunt, pylorum habeant male conſtitutum, ſimulque non poteram non recordari Obſervationis jam citatæ quam Ill. de HELWICH Medicis communicavit. Utut vero locum affectum Ventriculi digito præmonſtrare præciſe non auſus eſſem, non dubitabam tamen ſtatuere, ſive hic, ſive alibi, & in ipſo fundo forte, aut

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. 6. p. 494.*

aſit in ipſo pancreate, aliquid calloſi, indurati, & tumidi ſubeſſe. Dum autem mali ingenium ita mihi præfigurabam, parum boni ſperabam ab Opio, & remediis quibuscunque, quæ ſine exceptione omnia ſtatim rejiciebantur, ſuadebamque ſaltem, ut ſepoſitis omnibus alimentis ſolidis, ſi vel molliſſima eſſent liquida ſaltem ut juſcula carnium, avenacea, lac, potum ſuccolade, ſæpe per diem & parciſſima copia ſorbillaret. Sed ne quidem cochleare parvum talium deglutire poterat, ſine vomitu eodem pene momento temporis proritato. Non poteram aliam facere prognoſin niſi acerbam, quoties oſſulentam maciem puellæ, antea pleno & florido corporis habitu indutæ & cauſam illius præfracte ad omnia artis molimina rebellem contuebar, quamvis nulla adhuc manifeſta adeſſet febris hectica, nec pedes intumeſcerent. Ut ergo famæ meæ conſulerem, nullaque culpa a Parentibus filiam ſervari nocte dieque anhelantibus in me devolveretur, petebam ut me doctioris & magis exercitati Medici conſilium imploraretur. Renuentes primo, tandem optabant tamen, ut ad Principem Medentum Illuſtrem van SWIETEN hiſtoriam perſcriberem, quod illico faciebam. Non conveniebat mecum Sententia Viri ſummi, dum principium omnis mali a menſibus ſuppreſſis deducebat; licebit ſpero, bona ipſius pace reſponſionem totam huc tranſcribere, & publici juris facere, cum, ut ſolent omnia tanti Medici, multa utiliſſima ſcitu Practicis omnibus complectatur, inter ea quæ humanitatem & comitatem ſingularem erga tenuitatem meam loquuntur.

* * *

*Balthaſari Ludovico Tralles*
S. P. D.
*Gerardus L. B. van Swieten*

*Sedulo legi, cum cura expendi difficilis morbi hiſtoriam, doluique nobilis ægræ vices, quod a prudentibus & in arte exercitatis Viris data auxilia non potuerint hactenus vincere*

*pertinax malum. Quamvis autem minime credam, me efficaciora præſtare poſſe, in morbo jam inveterato, libere tamen, cum ſic juſſeris, dicam quod ſentiam.*

*Hiſtoria morbi docet ſuppreſſionem menſtruorum primam malo dediſſe originem: periodi tamen tempore urgeri vaſa, ex vagina aliquid mucoſi ſanguinolenti exire, urinam ſanguinolentam eſſe.*

*Unde videtur concludi poſſe, per uterum non potuiſſe exire ſanguinem, pauculum tantum per vaginæ vaſa exprimi, & veſicam urinariam vicinam.*

*Neque nativa mala conformatio culpari poterat, cum antea larga ſatis copia & debito tempore fluxerint, adeoque novi quid contigiſſe debet utero poſtea, nihil autem de cauſa prægreſſa cui hoc tribui poſſet, in morbi hiſtoria invenio.*

*Dum evolvo illa, quæ de hac re ex propriis obſervatis vel ex Medicorum libris collegeram, inveni jam Hippocratem & Galenum ſimilia vidiſſe, & uteri os concretum, compreſſum, a ſitu naturali mutatum, ſcirrhoſum, obſervaſſe. Simul notaverunt menſes ſic interceptos nunc ad pulmonem verſos lethalem feciſſe tabem, alias vomitum moleſtum feciſſe, urinas ſanguinolentas prodire &c.*

*Certe in Gravidis dum incipit turgere uterus, toties moleſtus vomitus oritur, licet nil mali in Ventriculo ſit, intumeſcentia autem & durities circa pubem ſuadere videntur uterum eſſe diſtentum.*

*Operæ pretium foret, ut perita obſtetrix prudenter examinaret, an aliquid obſtaculum hic hæreret, quod manu tolli poſſet? an os uteri induratum foret?*

*Si nil tale obſervaretur ſequentia ſuaderem.*

*Vomitus ille ſi pergat, maraſmum corporis ex defectu alimenti inducet, ille ergo primario curam requirit, vidi autem profuiſſe ſequentia.*

*Sumat gelidam aquam cum ſucco limoniorum, & pauco ſacharo cochleatim ſæpius de die; hunc potum retineri*

*novi,*

*novi, dum omnia reliqua ejicerentur vomitu, ſimul theriaca andromachi ſuper alutam inſtar emplaſtri extenſa applicetur ventriculi regioni, & renovetur quotidie.*

*Si ne his cederet vomitus, dentur mane & veſperi octo guttæ laudani liquidi etiam augendo doſin quod tuæ prudentiæ facile relinquo.*

*Si Ventriculus retinere incipiat ingeſta, paulatim augeatur quantitas aquæ gelidæ, cum ſucco limoniorum, ut tam diu contractus ventriculus incipiat diſtendi ſenſim.*

*His factis per aliquot dies ſumtis abſorbentibus deleatur illud acidum in primis viis, & lac adhibeatur cujus coagulum in ventriculo facile cavebitur, ſi bis de die grana decem ſaponis Veneti deglutiat.*

*Interim dum hæc fiunt, ſuaderem ut panno laneo perfricarentur pubes, perinæum, femora quotidie, per mediam horam.*

*Si incipiant Vires refici, & vaſa parum repleri, tunc ſuaderem ut ſex diebus ante periodum menſtruam omni mane & veſperi ſumeret cochlear infuſi quod fit ex uncia dimidia radicum helleb. nigr. & libra dimidia aquæ ſtillatitiæ rutæ. Si alvus inde moveatur minuenda doſis hellebori, certius emmenagogum vix habetur.*

*Eisdem his diebus balneum vaporis adhibeatur, quod vaginam alluat, bis de die ex infuſo rutæ, ſabinæ, artemiſiæ, & ſimilium.*

*Hæc ſunt quæ poſt ſedulam meditationem, in hoc caſu profutura credo & voveo. Tu interim Vir expertiſſime Vale, & ſincerum tuorum meritorum cultorem amare perge. Dabam Vindobonæ 9. Dec. 1752.*

Adeo ſolide & docte exaratum Conſilium adeptus religioni mihi duxiſſem, ſi vel latum unguem ab eo receſſiſſem. Intempeſtivo pudore prohibebatur Obſtetricis acceſſus, ſed in muliebria inquirens Mater, nil præternaturale ibidem deprehendi ajebat. Dabatur aqua gelida cum ſucco citri,

ſed

ſed dilutiſſimam etiam & blandam ejus acrimoniam non diu ferebat ſiccus & benigno muco in exſucco corpore non amplius oblinitus œſophagus, neque ab hujus remedii cautiſſima adhibitione tantillum remittebat vomitus, ſed ſilens antea ſtatim revocabatur. Exhibebatur laudanum quo jam uſi erant Anteceſſores mei generoſa doſi, ſed cum parco ſuo vehiculo ſtatim reddebatur; conficiebam de extracto opii aquoſo pilulam veſperi ſumendam ut eo certius hac forma moras nexura pacatior redditus Ventriculus mane forte lactis vel juſculi pauxillum retineret, ſed nulla quies donec excuſſum eſſet. Tegebatur ſcrobiculus cordis ſcuto theriacali, adverſus hoſtem adeo ſeverum & dirum, erga amabilem etiam ſub ipſo venuſtatis occaſu puellam, ſed immanſuetus & vitæ ejus infeſtus inſtabat, & imminentem brevi interitum minabatur. Intumſecebant ſuperiori corpore prorſus emarcido pedes, pulſusque debiliſſimus licet, celerius tamen micabat, ſurgebat confeſtim non diu frigidum & pallidum œdema, ſed humoribus qui reſidui in vaſis erant ob nullum novi chyli acceſſum jam acribus redditis & alcaleſcentibus, brevi rubore phlogiſtico imbutum, qui lividis & cœruleſcentibus maculis gangrænæ adventantis comitibus cito ſtipabatur. Neque tamen aderat miſeriarum finis; ſtupeſcens vidi, dum officioſus Medicus extendere vitam morte multoties pejorem debebam, efficaciam ſummam remediorum Bœrhaavianorum in oppugnanda gangræna, hisque condimentis antiſepticis per tres menſes duos pedes ad Genua exſiccatos, & a putredine defenſos conſpexi, ac ſi ad ægyptiacam aliquam Mumiam pertinerent. Expertus vero ſimul ſum, dum de aliquot per diem lactis vel juſculi cochlearibus vix ſexta pars, quæ humectare ſaltem obiter fauces & œſophagum poterat, in corpore remanebat, valde parum requiri ad Vitam minimam vivendam. Neque tamen hæc minutiſſima tandem reddita amplius ſupereſſe poterat, ſed arido ore, ruinoſi domicilii nimis diu tenax anima

exſpira-

exſpirabatur. Serio flagitabam inciſio cadaveris permitteretur, namque lubentiſſime vel uteri vel ventriculi vitium oculis uſurpaſſem, verum male locata in defunctam filiam Parentum pietas reſiſtebat omnibus petitis. Acquieſcere igitur debebam & poſt ſuperatos tot inanes labores quos ſubieram, laudare meam fortunam, quod illorum occaſione Swietenianam methodum ipſius Magni Autoris manu exaratam, vomitum pertinacem a menſium ſuppreſſione oriundum perſanandi, adeptus eſſem; quam non ſine gratiarum actione ſuam nunc facient Lectores mei.

§. XIV.

Poſt conſideratas omnes vomitionum idiopathicarum & ſympatheticarum ſpecies, reſtat adhuc vomitus criticus ſe ipſum, & alios morbos ſolvens. Hunc vero omnium minime Opio oppugnari, ſed juvari potius liquidis tepidis debere facile perſpicitur. *Argumenti hujus coronis.*

Verum ex omnibus quæ excuſſi attente perpenſis nunc clarum eſt, plus quam crederetur Judicii practici requiri, ut determinetur cum certitudine, ſineque fluctuatione, dandumne ſit vomentibus Opium an minus. Neque ego ullibi offendi cautiones & regulas pulchriores, quam illas quas tradit HOFFMANNVS,[a]) quasque colophonis ad inſtar huc transſcribere licebit: *Vomitiones materia nondum remota, anodynis ſiſtere velle, pernicioſiſſimum eſt, ſopitis enim motubus graviora ſuccedunt ſymptomata, magnæ præcordiorum anxietates, cardialgiæ, inquietudines &c. Locum hæc remedia tantum habent, ubi motuum magis vitium ſubeſt, nec amplius peccat materia, ſive inter motum & materiam nulla eſt proportio, vel ſi hæc paulo ſubtilior parcaque mole peccaverit, & motus vomibundi ſint vehementiores.*

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 506.*

§. XV.

Aliquam affinitatem cum Vomitu Singultus alit, quare jam de hoc affectu, tanto ſæpe motuum impetu ſtipato, ut totum corpus concutiatur, & coſtæ diffrangi videantur, *Singultus, ejusque indoles.*

dictitante rerum ordine agendum erit. Non adeo autem facilis eſt explicatio quomodo eveniat ſingultus, ubi ſedem ſuam præcipuam habeat, quasque partes potiſſimum adfligat, quanquam cauſæ ſæpe ſine difficultate cognoſcantur. Confeſſus eſt pro ſua ſinceritate SYDENHAMVS [a]) ſe ſibi diſquirenti de cauſa (proxima nempe) ſatisfacere non potuiſſe; neque mirum, nam optimo Viro magis curæ erat, obſervare decurſus morborum, hiſtoriisque eorum & curationibus conſignandis inſudare, quam in ſubtiliorem eorum ætiologiam inquirere. Id certum videtur, convelli ſingultientibus diaphragma, totumque Ventriculum, cum annexo œſophago; ventriculique totius & ſimul œſophagi afflictionem in diuturniore ſingultu, tandem moleſta ſenſatio circa fauces, cardiamque, ac regionem ſcrobiculi cordis ſatis evincit. Sed notari debet, ſub aëris inſpiratione maxime ſingultum evenire, ſub ea autem diaphragmatis fornix deorſum in planitiem extenditur. Igitur in ſingultu adeſſe conſpicitur motus præternaturalis, omnium harum partium, & ſurſum & deorſum eas agitans, convulſio nempe Oeſophagi motum ventriculi & diaphragmatis ſurſum alliciens, dum interim ſubito convulſum diaphragma iterum has partes & maxime Ventriculum deorſum trahit. Ita fere ſingultum comparatum eſſe præcipue docuit BOERHAAVIVS, [b]) quem ſecutus eſt Eximius Commentator van SWIETEN. [c]) Non ergo abſolvitur ejus ingenium una convulſione diaphragmatis, ut aliquibus PLATERVM potiſſimum ſequentibus viſum eſt, nec ſolius ventriculi affectus eſt, ut Veterum mens fuit, [d]) eorumque qui recentiori ævo cum SENNERTO veſtigiis illorum inſiſtere æquum duxerunt. Potior ſedes, recte ſi quid video, ab HOFFMANNO [e]) in diaphragmate, cui ſuperius Ventriculi orificium firmiter implexum eſt, collocatur, licet cauſæ modo in Ventriculo, modo in ipſo diaphragmate reſideant, irritatioque præternaturalis ſingultum creans modo hoc primo, modo illum adficiat, vitio

a) *Operum p. 86. 87.*

b) *inſtit. §. 808.*

c) *in Comment. Tom. II. aph. 659. p. 265.*

d) *vide Piſonem de cognoſc. & cur. Morb. lib. III. c. 7.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 423.*

vitio motus ex una parte in alteram repente, quod optime jam introſpexit noſter de HELWICH, [f]) divortium ſententiarum de ſede morbi inde ortum declarans. Prorſus etiam ita ſentit WEPFERVS [g]) ſingultum edi præcipue a diaphragmate profeſſus, probante hoc vibratione circa præcordia obſervata cum reſpirationis vitio; diaphragma tamen etiam frequenter ad hunc motum incitari a Ventriculo, præcipue circa ſtomachum afflicto. Verum enim vero dum ventriculi & œſophagi fibræ muſculoſæ convelluntur, a pharynge etiam propagari ſpaſmus videtur, ad vicinum laryngem, quem, qui de Ventriculo & œſophago ſimul laborante prorſus tacet, diaphragmate convulſo ſimul conſtringi aſſerit de GORTER. [h]) Neque ego crediderim abs re, nam dum ſingultiunt locuturis ſermo intercipitur, aerisque tum ingreſſus ad tempus prohibetur. Nolim vero cum eo ſonum ſingultuoſum ab aere aut non, aut parum laryngem ingrediente deducere, cum ſonus omnis ab aere laryngem egrediente formetur, ipſamque vocem ſonum exſpiratione formatum SCHREIBERVS [i]) definiat. Quodſi igitur ut cartilagines laryngis & imprimis Glottis vocis inſtrumenta ſunt, ita & ille ſonitus ſingultientibus familiaris notante Cl. HAGUENOT, [k]) in mutuas aëris, tracheæ & cartilaginum laryngis colliſiones refundendus eſt, exſpiratione durante ille oborietur ſine dubio. Fallitur omnino eximius HOFFMANNVS, quando, aeris continuo a nobis deglutiti portionem intra gulam comprehenſam magno impetu ſurſum propulſam & agitatam in fornicato palato ſingultuoſo illi clangori efformando unam ſufficere putat. Optime jam ſcripſit laudatus WEPFERVS, [l]) ſonitus in ſingultu non tam oritur a flatu per gulam emiſſo, quam ab aëre per aſperam arteriam eliſo & in larynge fracto. Mitigatur enim quandoque ſingultus & omni modo ceſſat ab aeris retentione, ſeu voluntaria exſpirationis inhibitione. Sed de his

f) *Hiſt. Morb. Vratisl. Anno 1700. p. 86.*

g) *de Cicut. aquat. p. 82. 83.*

h) *Comp Med. Part. I. p. 110. & Syſt. Pr. Med. Tom. II. p. 59.*

i) *Almageſt. Med. Part. I. lib. V. c. 2.*

k) *diſput. Anatom. ab Hallero editarum Vol. I. p. 536.*

l) *loc. cit.*

 ſatis,

ſatis, ad practicam potius ſingultus conſiderationem pedem jam promoveamus.

§. XVI.

*Opiatorum laudes.* Veterum Medicorum methodos medendi ſi conſulamus, inter alia remedia etiam opium in Philonio, Mithridatio, Theriaca, ipſis pro componendo ſingultu in uſu fuiſſe facile perſpiciemus. Philonium in ſingultu uſurpatum fuit GALENO, [a]) qui & ſpeciatim laudat remedium Aſclepiadis, tanquam ad omnes in ſingultu intentiones occulta proprietate faciens, quod ex galanga, croco, ſpica nardi, roſis, maſtiche, aſaro, aloë, & opio paratur. PISO [b]) qui placita Veterum collegit, Philonium, & ſi ſingultus ſit fortiſſimus, theriacam recentem extollit. Inter recentiores SENNERTUS [c]) ad ſenſum Ventriculi hebetandum, niſi vomitu opus ſit, poſt leniora Philonium, Theriacam, & laudanum opiatum commendat; atque RIVERIUS [d]) narcotica ſola pertinacem ſingultum aliis remediis minime cedentem facile compeſcere ſenſum obtundendo affirmat. Pertinacem hunc affectum HORSTIUM ſanaſſe laudano cum Theriaca & Conſ. Roſarum recenſet CHESNEAU, hocque remedium eapropter ordini remediorum alphabetico obſervationibus annexo inſeruit. SYDENHAMUS [e]) cum ut ſpecificum laudatum ſemen anethi & alia nil proficerent, diaſcordio ad ℥ij dato ſe a ſcopo non aberraſſe enarrat. Opio ſæpe cedere ſingultum Autor etiam eſt FREIND. [f]) Verum enim vero noſtræ rigidiori inquiſitioni hæ auctoritates practicæ, & aliæ plures nondum ſolæ ſufficiunt, quare recepto more verum & varium ſingultus ingenium cauſarum differentium intuitu, contemplabimur ordine. Ut convulſionem ita etiam ſingultum a repletione aut evacuatione fieri ſcripſit HIPPOCRATES, [g]) addit vero cum aliis recentioribus irritationem RIVERIUS. [h]) Valere autem juſſa repletione & inanitione, irritationem ſolam cauſam ſingultus eſſe voluit SENNERTUS. [i]) Ego ob rationes in tractatione convulſionum traditas,

a) *de Comp. Med. lib. IX. c. 4. & lib. VIII. c. 3.*
b) *de cognoſcendis & curandis morbis lib. III. c. 7. p. 84.*
c) *Lib. III. Med. Pr. Part. I. Sect. II. c. X. p. 140.*
d) *Pr. Med. lib. IX. c. 6. in fine.*
e) *p. 86. 87.*
f) *Emmenol. cap. XIV. p. 139.*
g) *lib. VI. aph. 39.*
h) *Pr. Med. lib. IX. c. 6. p. 280.*
i) *l. c. p. 136.*

ditas, omnes has tres claſſes generales cauſarum, exploſa nulla, retinebo, cum ad illas optime referri poſſe omnes ſingultus cauſas proximas certum ſit, earumque multæ ad ſolam repletionem & inanitionem reduci nequeant.

§. XVII.

Ad repletionem, itaque refero I. Ingurgitationem nimiam liquidorum varii generis, ingeſtionemque celerem & copioſam ciborum, taliumque maxime, quæ digeſtionis viribus obſequi renuunt. *Singultus ab ingeſtis mole peccantibus.*

Dum hanc ſingultus ſpeciem conſiderationi ſubjicio, ſilentio tranſeo leviorem illum & tranſitorium, diæteticum HOFFMANNO vocatum, qui inſpiratione diutius protracta, dolore alicubi excitato, profunda cogitatione, & terrore ex improviſo excitato, facile abigitur. Illum ſaltem hic loquor, qui pertinacius ex eminentiore diætæ vitio adfligit & perdurat.

Dixit HIPPOCRATES ſect. I. aph. 13. Omnium minime pueros ferre jejunium, & ex his qui inter ipſos ſunt alacriores. Eapropter dum voraces furtim quandoque & avide ingerunt, quicquid gulæ placiturum arripiunt, ſingultum contrahere ſolent. Sed & adultis Ventrem deum colentibus, ejusque ſaginæ indulgentibus, a mole & pondere aſſumtorum non raro evenit. In hoc autem caſu, niſi ſponte transeat malum, aut Natura quæ ſibi oneri ſunt, excutiat, antea de vacuando Ventriculo, quam de motuum conſopitione cogitandum erit, quos ſi Opio minus opportune aggrediatur imperitus artifex, diſtenti ventriculi robur magis debilitando, & digeſtionem deſtruendo aut recidiuis, aut malo in habitum abituro graviorique morbo facile viam ſternere poterit, ut Viro illi evenit, cujus ſingultum Opio chronicum redditum deſcribit HOFFMANNVS.[a]) Vomitum moviſſe ſtatim non autem fortiori emetico, ſed quæ ſæpe ſufficit eluente aqua tepida, oxymelle ſquillitico, addito, alvum interdum duxiſſe purgante congruo, vel cly-

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 443.*

N 3 ſmate

ſmate paulo acriore gravantem ſarcinam deorſum invitaſſe potius expediet; deinde etiam quæ aromatico ſtimulo agunt in villos ventriculi, ſtomachicorumque nomine veniunt, cum epithematibus aromaticis & ſpirituoſis conducent. Vix vero hic quadrat anodynum, niſi forte ad motus ſuperſtites refrænandos, ſublata materia nihilominus urgentes, aut ad tumultus a Vomitorio dato conſopiendos, ſub qua conditione id commendat de GORTER. [b]) Purgantibus in hiſce caſibus, ut ſolet in aliis, pilulas de cynogloſſa vel de ſtyrace admiſcet HOFFMANNVS. [c]) Mallem vero ſi opus, has purganti ſubjungere, quam adjungere, ob rationes alibi expoſitas. Accedit interdum febribus intermittentibus ſingultus, etiam extra earum paroxyſmos a cacochylia in primarum viarum latibulis ſtabulante, qui vero minuitur, tolliturque per decentem illarum repurgationem, opioque non indiget. Succeſſiſſe eum febri typumque febris ſervaſſe obſervavit HOFFMANNVS, [d]) ob neglectum catharticorum uſum, præmaturamque corticis exhibitionem, ſed clyſmatibus, & mannæ cum rhabarbaro ſtatim ceſſit. Aliquando etiam in ſubjectis viſcerum atonia laborantibus viſcidorumque & lentorum humorum colluvie ſcatentibus, hæc ſenſim congeſta plicis ventriculi & inteſtinorum ita agglutinatur, ut chronicus ſingultus inde emergat, unaque ſerie, vel per certas periodos affligat, cum vel ſine vomitu intercurrente. Talem commemoravit LENTILIVS, [e]) aromaticis ſtomachicis & martialibus ſanatum. Talis quoque meminit HOFFMANNVS [f]) attenuantibus, amarisque & evacuantibus, ac aquis mineralibus optatam curationem ſuccedere affirmat, BONETI ſuffragio ſuum effatum corroborans. Caſu vero ſingulari probat, [g]) Opiata in eo rerum ſtatu non adeo feliciter ad ſingultum applicari, cum potius atoniam augendo malum exaſperent, digeſtionemque alimentorum magis impediant. Quantam autem prærogativam præ iis vel ſola evacuantia, taliaque quæ ſimul efficaciter lentorem ſolvunt,

b) *Comp. Med. Part. I. p. 110.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 431.*

d) *l. c. p. 445.*

e) *Iatromn. p. 286. ſeq.*

f) *Med. Syſt. l. c. p. 435.*

g) *l. c. p. 443.*

ſolvunt, promereantur, vel una hiſtoria apud RIVERIVM docere poteſt, Puellæ ab integro anno ſingultu laborantis, per intervalla unica doſi diagrydii & mercurii dulc. perſanatæ.

§. XVIII.

Sequitur Singultus ab inflammatione eryſipelacea, vel phlegmonode Oeſophagi, Ventriculi, inteſtinorum, ſepti transverſi, hepatis, aliorumque viſcerum abdominalium enaſcens, ſive hæc ſit morbus princeps, ſive ceu ſymptoma accedat febri acutæ continuæ ardenti, tanquam inflammationi univerſali, aut febri lyngodi dictæ, aut febribus putridis malignis; ſive fiat a metaſtaſi. Interdum tamen eſt criticus, cum ſignis coctionis Vomitum futurum indicans, aut diarrhœam. [a]) *Singultus inflammatorius febrilis.*

Omnes ejusmodi ſingultus, qui dum febre ſtipantur, perpetuo timendi ſunt, ALPINO [b]) monitore, quosque toties mali eſſe ominis ipſe HIPPOCRATES [c]) notavit, ſi curabiles adhuc fuerint, quod rarum eſt, curationem morbi inflammatorii deſiderant, adeoque remedia antiphlogiſtica poſcunt, inter quæ ut aliquoties monſtravi, opium neutiquam referendum eſt. Pertinet ad hanc claſſem etiam ſingultus qui febribus malignis ſociatur, namque hic niſi in principio a recens ſuſcepto miaſmate pendeat, non aliunde quam a diatheſi inflammatoria in gangrænam inclinante, & circa ventriculum ac diaphragma hærente, ſuos natales ducit, extiſpiciis hoc ipſum manifeſte commonſtrantibus. Singultum qui peſtem comitatur, debitum fuiſſe carboni alterutra in parte hærenti conſpexit DIEMERBROECK. [d]) Methodus medendi genuina malignis febribus competens in uſum hic vocanda, dolendum ſaltem quod exquiſitiſſima ſæpe nil juvet. Recepto more per manus a Veteribus tradito, ad theriacam & alexipharmaca dicta, fere ad hunc diem confugiunt Medici. In principio, ſi malum a veneno per contagium hauſto pendeat, theriacalia, ipſam aquam theriacalem,

a) *Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 427.*

b) *de præſagienda Vita & Morte lib. III. c. 9. p. 199.*

c) *Singultus ab ileo malum VII. aph. 10. ab hepatis inflammatione malum VII. aph. 17.*

d) *Cap. XIII. §. 5. & c. XV. annot. 15.*

riacalem, cum antiſpaſmodicis, nitroſis, camphora, cinnabari, diaphoreticis mixta optimum polliceri levamen aſſerit HOFFMANNUS. [e]) Sane ſi humoribus jam immiſtum judicetur miaſma malignum, methodum diaphoreticam aptiſſimum locum habere conſtat; mallem vero nitrum, camphoram, acetum ut diaphoretica antiphlogiſticam & antiſepticam virtutem ſimul cuſtodientia, præferre calidioribus acribus, ut jam monui, cum Sect. II. febrium malignarum medelam ex inſtituto explicarem. Quoties vero brevi antea adhuc ſanus homo graſſantibus febribus mali moris, ſubito inter ſigna receptum contagium manifeſtantia, ſingultu afficitur, miaſma ſedem ſuam adhuc maximam partem figere circa primas vias, & bilioſis humoribus, quibus innidulari amat, intermiſtum eſſe, credibile evadit. Rebus itaque ſic adhuc ſtantibus, diaphoreticum calidum theriacale exhibitum cum regimine, tanto certius efficiet, ut cito per omnem humorum oceanum diffundatur totum miaſma, ſicque vere arte juvabuntur ejus effectus, maxime dum tale remedium miaſmatis vires neutiquam enervat; neque enim exiſtimandum eſt, ut id, licet non enervatum, cito ſeſe ex humorum omnium maſſa ejici per diaphoreſin patiatur. Longe ſatius tunc erit dare operam, ut emeſi, ſed blandiſſima, antequam vim inferat ipſi Ventriculo, quam ſub initium morbi nondum intulit, cum colluvie cui inhæret excludatur, aut longiori licet via, ſi brevior hæc non ſatis conveniens & tuta viſa fuerit, per guttur inferius proſcribatur. Non pœnituit in epidemia urbi noſtræ anno 1758. exeunte graviſſima, inſtitiſſe veſtigiis Cl. HUXHAM, [f]) atque clyſmatibus, purgantibusque ſubacidis & antiſepticis, Manna, tamarindis, rheo, cremore tartari, ſale polychreſto primas vias a ſordibus repurgaſſe, atque ſic excluſo ſimul bonam partem miaſmate, omnem reliquum Morbi decurſum minus periculoſum præſtitiſſe, cardialgia, nauſea, vomituritione, ſingultu ſtatim mitigatis. At vero non æque facile ſingultus reme-

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. ſect. II. c. 4. p. 433.*

f) *de febribus c. 8.*

remediis auſcultat, quando febri malignæ in ſtatu conſtitutæ confirmatæque jungitur. Unanimi conſilio iterum hic recurrunt Practici ad alexipharmaca & opiata, quos inter ſi ſingultus aliter ſedari nequeat, laudanum opiatum, philonium vel theriacam SENNERTVS [g]) commendat; neque deſunt obſervationes fauſtos effectus talium memorantes. Exhibent *Miſc. Nat. Cur.* [h]) Singultum in febre maligna, qui die jam quarta ægrum corripuit, atque mithridatio, laudano opiato, & miva cydon. veſperi oppugnatus quieſcereque viſus mane atrociori conatu reverſus eſt, lapide prunellæ autem camphora & laudano opiato aliquoties in pulvere exhibitis, ſenſim remiſit, Theriaca ſimul foris admota. Alibi LEDELIVS [i]) theriaca cœleſti cum lapide bezoar ſingultum in febribus malignis ſtitiſſe recenſet, plena ſanitate redeunte. Rurſum alio loco [k]) ſingultus in febre maligna ſolo emplaſtro ſtomachico Cratonis cui Theriaca admixta erat, licet ingens periculum minaretur, ceſſaſſe legitur. Exſtat quoque ut alios Autores taceam, Obſervatio apud RIVERIVM [l]) quæ in febre maligna 12. die morbi ſingultum emulſione ſem. 4. frigidorum cum ſale prunellæ & laudano intra horam ſanatum loquitur. Memoratu interim dignum eſt notare HOFFMANNVM, [m]) potius anodyna opiata decurſum legitimum talium febrium turbare, & ſingultui anſam dare. Sane in caſibus memoratis levior cauſa hujus ſymptomatis adfuiſſe debet, idque ſine dubio critica excretio aut alia ſigna bona comitabantur, quando theriacalia profuerunt. Vix vero ea juvant, imo vero certo certius juvare nequeunt, quando vere, ut nimis ſæpe ſolet, inflammatoria diatheſis ſubeſt. Ipſe quem laudavi RIVERIVS, [n]) dum in Praxi Medica de ſingultu agit, HIPPOCRATEM [o]) citat: Si quis in laborioſa febre ſingultiat, illum peſſimo morbo laborare, aſſerentem atque ad VALLESIVM ſimul provocat, qui in febre maligna nullum ſervatum vidit, cui ſingultus ſupervenerit. Atque qui bezoardica ſapida & in-

g) *de febribus p. 581.*

h) *Dec. II. Ann. IV. obſ. 156.*

i) *Dec. III. Ao. VII. & VIII. obſ. 127.*

k) *Dec. III. Ao. IX. & X. obſ. 250.*

l) *Cent. IV. obſ. 78.*

m) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. 4. p. 425.*

n) *Operum p. 280.*

o) *in Coacis Prænot.*

ſipida cum theriacalibus olim adhibuerunt Medici Vratislavienſes, fateri nihilominus coacti ſunt, p) quicquid agatur, fere fruſtra agi. Ita & Cl. FVLLERVS q) Julapio ſuo moſchato, quo præſtantius remedium ſe ignorare contendit, quodque adeo Opiatis ſibi ſatis alioquin familiaribus antepoſuit, in febribus mali moris tamen ſingultum ſe domare, mortemque depellere nequiviſſe, candidus edicit. Vix bene intelligunt ſingultus in febribus malignis malignum ingenium, minusque eidem adverſam, quin potius velificantem Theriacæ & diaſcordii indolem, qui ad horum præſcriptionem faciles convolant. Hæſit mihi mederi juſſo ſæpius aqua, & hanc, & illud, contuito; ſi enim Vomitui ab inflammatione gangrænam minitante excluſo haud convenit Opium, ſi in tali Vomitu ſollicite cavendum eſt religioſiſſime ab omni acri, quomodo conveniet opium & theriaca ſingultui, a ſimili prorſus cauſa prognato? Dubitavi ſæpe, an quæ impenſe vult totus decurſus febris malignæ remedia cardiaca, antiphlogiſtica, & antiputrida, dum tamen acria ſunt, & irritantia, ſingultui malignarum convenirent. Forte acetum, nitrum, camphora, vinum rhenanum, adulti & in fatalem exitum jam ruentis morbi hoc ſymptoma urgens exacerbant, quod nondum natum avertere potuiſſent. Qua ergo fiducia ignea irritatione agens in ventriculi villos cum diaſcordio, theriaca præſcriberetur? Quomodo congrueret delirio leviori vel graviori haud raro ſingultum comitanti, ut alia mala ſocia taceam. Vidi fatale hoc peſſimorum horum ſymptomatum connubium, ut apud alios ægros febribus malignis decumbentes, & peremtos, ita præcipue ſummo animi affectu, apud Theologum e noſtris eruditione & pietate inſignem. Octava die vocatus poſtquam alius Medicus ipſi adfuerat, cum hoc de iis quæ ſingultienti, inter intercurrentia primo, deinde fere perpetua deliria prodeſſe poſſent, conſilia ſincera miſcebam. Secta fuerat in principio principii vena, data fuerant ſubacida & infuſa ſcordii & rutæ

p) *Hiſt. Morb. Vratisl. 1700. p. 87.*

q) *Pharm. extemp. p. 206.*

una

una cum gratis cardiacis; admota etiam fuerant veſicatoria & regioni Ventriculi emplaſtrum theriacale applicatum, ob ipſum ſingultum. Cum id nil auxilii attuliſſet, conveniebamus de epithemate ex fermento panis, aceto, vino rhenano & Spiritu Vini camphorato conficiendo. Ego autem dum pro uſu interno omnia acria repudiabam, proponebam Emulſionem nitrum & camphoram ea quantitate habentem, ut utriusque hujus remedii irritans acrimonia ſub oleoſo tegmine lateret, parcius pro doſi ſed ſæpius hauriendam. Impendebantur horum uſui tres dies & pene totidem noctes, clyſmata etiam emollientiſſima injiciebantur, ſed ſine fructu, ægro inter ſingultus & deliria fatis cedente.

* * *     * * *

*Singultus ab excretionibus ſuppreſſis.*

Non infrequens etiam in Praxi eſt Singultus ab excretionibus ſanguinis & ſeri ſolennibus ſuppreſſis eveniens, humore excernendo ad Ventriculum & diaphragma regurgitante. Talis apud fœmellas menſium ataxia, & apud mares hæmorrhoidum anomaliis laborantes obſervatur. Caſum ſingularem ſingultus nocturni, ab emanſione menſium legere licet apud HOFFMANNUM.[r]) Memini ego Virginis nondum menſtruatæ quæ ſingulis menſibus per aliquot dies, nullo vitio diætetico cui ſufficiens culpa tribui potuiſſet, commiſſo, per intervalla ſingultum patiebatur, poſtquam menſes fluere incepiſſent, & ſtatis periodis perrexiſſent penitus ſilentem. Eo tempore VSes in pede, balnea, clyſmata, pediluvia, aquæ minerales una cum illis quæ ſpecifica virtute movendi catameniorum & hæmorrhoidum fluxum pollent, præcipue locum habent. Princeps ſcilicet medela a reſtitutione ſuppreſſæ excretionis pendet, ſine qua anodyna vix juvant. Monſtrat hanc veritatem Obſervatio Cl. HAZON[s]) de ſingultu quodam periodico. Suppreſſis nimirum menſtruis & ſuppreſſa pariter evacuatione ſeroſa ex ventriculo proveniente, & per os abunde fluente, ſingul-

r) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 438.*

s) *Recueil periodique d'Obſervations de Medecine*



tus

*&c. par M. Vandermonde à Paris 1756. Tom. V. Menſe Jul. p. 39.* tus ſtatim obortus per 36. horas duravit. Dein per 24. horas remittens, per vices rediit. Contra omnia remedia tonica & anodyna rebellis curatus tandem fuit evacuatione ſeroſa.

§. XIX.

*Singultus ab ingeſtorum acrimonia,* Tranſeo ad Irritationem, ubi primo loco allegandam habeo Cacochyliam collectam in ventriculo & inteſtinis, non mole & pondere ſaltem, ſed acrimonia præcipue peccantem, ab ingeſtis jam acribus, vel ob digeſtionis defectum in corruptelam acrem fatiſcentibus. Hæc acrimonia ſive ſalſa fuerit, ſive acida, ſive bilioſa & alcalina, ſuis remediis contrariis oppugnari debet, ut ſingultus inde natus amoveatur, qui opio vix ac ne vix quidem palliaretur ſaltem. Quandoque ſola aqua tepida enervando & eluendo quamcunque acrimoniam curationi ſufficit. De GORTER *Syſt. Med. Tom. II. p. 60.* acrimoniæ educendæ & motui ſingultuoſo ſimul ſedando deſtinat purgans anodyno miſtum. Sed melius mea ſententia hoc illi ſubjungitur. Ut vero triplex hæc acrimonia ab ingeſtis naſcitur, ita dum aucto motu circulatorio humores inquilini a blanda ſua temperie deſciſcunt, atque inter eos bilis in liquamen acerrimum & putridum convertitur, ſpeciatim in febrium declinatione ab acri bile os ventriculi obſidente, ſingultum ægrorum minus periculi quam terroris habentem deducit TVLPIVS.[a]) Hac nempe die 12. ſupra vel infra expulſa malum id tædii pleniſſimum varios ægros derelictum iviſſe enarrat. Atque hic ille eſt ſingultus criticus, qui vomitum aut diarrhœam inſecuturam, cum bonis ægri rebus prænunciat, de quo antecedente §o verba feci.

a) *Obſerv. lib. IV. c. 24.*

* * * * * *

*a vermibus,* Ad cauſas ſingultus ab irritatione, etiam refero Vermes in ventriculo & inteſtinis hoſpitantes, qui ſua ſibi peculiaria remedia poſcunt. Ruſticum vidit Cl. RAMAZZI-

NVS

NVS[b]) ex febris acceſſu rigentem, atque una valde ſingultientem; cum vermes antea rejeciſſet, ſingultum a cujus moleſtia ſe potiſſimum liberari inſtabat, a vermibus ſtomachum laceſſentibus fieri aſſeruit RAMMAZZINVS. Cum vero æger jam præſcriptum a Medico alio pulverem Chinæ in promptu haberet, permiſit ut illum aſſumeret. Siluit febris cum ſingultu, atque cum rediret, ſingultus tamen abfuit, necatis ſine dubio vermibus ab amaricante Cortice peruviano, cujus vim anthelminticam etiam alia occaſione in pueris ſe obſervaviſſe ſcribit. Quamvis autem datum ad grana iij correctum Opium alii Ruſtico colica laboranti a Cl. DOLÆO,[c]) lumbricos viginti mortuos etiam expulerit, nollem tamen in ſingultu a Vermibus opium vel ſolum vel in diaſcordio & Theriaca aliis miſtum adhibere, cum alia certa anthelmintica proſtent, neque opus ſit, ut eorum apparatui Opium addatur.

b) *Conſtit. epid. ruralis ao. 1690. Operum p. 127.*

c) *M. N. C. Dec. III. Ao. V. obſ. 63.*

* * * * * *

Draſtica quoque purgantia & vomitoria, itemque venena acria cauſtica, corroſiva ſingultum pariunt, quæ omnia dum & mucum naturalem abradunt, & ſic ventriculi ſenſibilitatem augent, malum omne deterius reddunt. Atque hoc in caſu quæ ſubtiles aculeos obtundunt, involvunt, & ſuperficiem internam Ventriculi obliniunt, atque ita a puncturis defendunt, optima præſidia habentur, quorſum juſcula demulcentia, lac, emulſiva, oleoſa omnia & mucilaginoſa pertinent. Si nihilominus motus perdurent aut nimia vi inſurgant, ut ab iis æque grave periculum, ac ab ipſo veneno ægro immineat, Opiata anodyna benedicta & unice indicata ſunt remedia; Simul autem ſi draſticum liquidorum magnam vim emunxerit repletioni ſtudendum eſt, de qua re alibi dicam. Vidit SYDENHAMVS[d]) ſæpe ſingultum ortum ex turbis ac tumultu ab aſperioribus medicamentis in ventriculo locisque vicinis excitato ortum ducere, naturæ

*a Draſticis,*

d) *Operum p. 87. 88.*

 viribus

viribus ad pacem priſtinam reducendam haud ſufficientibus, & ingenti periculo imminente. Dedit tum diaſcordium larga doſi, atque rebus ita ſeſe habentibus, caſus obtinet in quo hoc remedium pulchre prodeſſe poteſt, cum in aliis nocentiſſimum evadere queat. Sub iisdem circumſtantiis quoque HOFFMANNVS præmiſſis pinguibus, oleoſis, mucilaginoſis, effrænes motus anodynis compeſcendos eſſe inculcat. Saltem ſemper conſiderandum eſt, opiata acre quod corrigi & obtundi debet ſibi relinquere, quare illa quæ hoc præſtare poſſunt nunquam negligenda ſunt.

* * * * * *

*ab acrimonia humorum,* Aliquando ineſt toti maſſæ humorum acrimonia tenuis & rodens, quæ ad ventriculum & diaphragma delata ſingultum ciet; vel & talis excerni incipiens aut ad loca externa, ignobiliora depoſita, ſi inhibeatur, aut iterum retrocedat, ipſum inducit, id quod de materia ſcorbutica, eryſipelacea, dyſenterica, arthritica, purpuracea, petechiali, dicendum eſt. Conſulendum hic morbo principi, & excretio congruis remediis reſtituenda, acreque ad ſua loca invitandum. Diarrhœæ & dyſenteriæ nimis cito opiatis cohibitæ, ob acre ejus improvido conſilio intus detentum, non raro ſingultus accedit qui ſane Opio ſeſe cicurari haud patietur, ſed quæ excretionem repreſſam iterum reſtituunt, clyſmata & benigna alvum laxantia una cum demulcentibus, opem deſideratam adferent. e) Si vero Eryſipelati retropulſo vel arthritidi anomalæ ſingultus debeatur, ut talem ex arthritide WELSCHIVS f) inter alios notavit, loca quibus inſidere materiem expediebat, emollientibus topicis admotis relaxanda ſunt, ut reſiſtentia minuta eo invitetur, vel rubefacientibus & veſicatoriis applicatis, affluxus humorum extrorſum eſt alliciendus. Quodſi autem his factis ſimul intus data opiata & theriacalia boni quid præſtant, ut ſub his conditionibus præſtare poſſunt, non quatenus motus ſopiunt, ſed

e) *vide Hoffm. Med. Syſt. Tom IV. Part. III. p. 426. 434. 439.*

f) *Hecatoſt. II. obſ. 54.*

ſed quatenus a centro ad peripheriam fluida movent, circuliquе virtute aucta cauſam motuum ad exteriora determinant, bonum effectum edunt. Atque tum vere juvare poſſunt, ſi paulo fortior exagitatio liquidorum permittatur, nullaque febre laboret æger, quamvis alia calida, vimque vitæ intendere apta idem præſtitiſſent.

Scorbutica humorum intemperies vel alia ſpecifica acrimonia corrigenda ſuis appropriatis pharmacis.

Iſchuriæ accedens ſingultus, ab acri retento nervos diaphragmatis laceſſente & ordinarie cerebrinas functiones ſimul turbante, inſtantem jam mortem deſignat, nec curatur unquam.

* * *    * * *

Interdum dolor ingens partium ventriculo & diaphragmati vicinorum irritationem ad hoc & illum propagando ſingultum excitat, quare colica, dyſenteria, volvulo, vermibus laborantibus accidit, & nonniſi principe morbo rite oppugnato abigitur. *a dolore, & nervorum mobilitate.*

Alio tempore ſola nimia ſolidorum mobilitas, & ataxia ſpirituum, hos in nervos phrenicos & gaſtricos confertim, & ſine ordine influere faciens, ſingultum proritat, quare debilibus & tenerioribus hominibus, itemque hypochondriacis & hyſtericis adeo familiaris eſſe obſervatur, quamvis tum nullum periculum involvat. Hic ſingultus curari ſolet mutando determinationem ſpirituum, actione aliarum partium intenſiore reddita, aut irritatione alibi locorum proritata, eorum motum a diaphragmate & ventriculo avertendo, vel & motum ipſum huc copioſius affluentium inhibendo. Priori modo cogitatio profunda, ira ſubito mota, aut terror inductus, dolor in aliquo loco excitatus, inſpiratio & exſpiratio profundior, & per HIPPOCRATIS [g]) effatum ſternutatio prodeſt. Poſteriori juvant pharmaca omnia quæ volatili principio pollent, & vel ſuaveolentia

g) *Sect. VI. aph. 13.*

veolentia vel graveolentia effluvia de ſe ſpargunt. Inter illa numero plura moſchum ſpecifica virtute præditum eſſe aſſerunt Angli; [h]) inter hæc cum antihyſtericis fœtidis Opium quammaxime referri debet, in ſingultu ſolius motus vitio ac ſine materia affligente ſane egregium, quod & Ill. van SWIETEN [i]) hiſce conditionibus obtinentibus commendat, ſub quibus etiam SYDENHAMO, licet haud ſpeciatim huic morbi ſpeciei deſtinetur, laudatum diaſcordium aptiſſimum locum invenit. Ad ataxiam ſpirituum etiam referendi ſunt flatus, a quibus ſingultum toties oriri notant Autores. Si aſſumta maleque digeſta alimenta aërem multum in ſe incluſum habentia, qui ſui juris factus calore naturali rareſcit & flatus gignit, ſingultum concitaverint, everrenda ante omnia erit materies, ſolus vero motus inordinatus liquidi nervoſi, ſine cacochylia peccante, ſi ſpaſmos in inteſtinis, & intercepto ſic libero aëris per canalem inteſtinorum itinere in hac vel illa ejus parte flatus produxerit, poſt externa linimenta, poſt blandam conſtrictionem abdominis per vincula, poſt cucurbitas GALENO jam laudatas & ut aliis neotericis ita & RIEDLINO [k]) in ſingultu magni factas, inter alia carminantia etiam primo carminantium Opio ſuus locus erit. Hoc ad ſingultum a Ventoſitate cum acribus calefacientibus in Philonio SCHENCKIUS [l]) in Theriaca Vetere & Mithridatio ad ſingultum talem jure laudat SENNERTUS. [m]) Neque minus de GORTER [n]) in hac rerum facie cum ſtomachicis & carminantibus Anodyna commendat.

h) *Vide Nucleum ſic dictum univerſæ Medicinæ p. 51. edit. germ.*

i) *in Comm. Tom. II. ad aph. 659. p. 266.*

k) *lin. med. Ao. I. Aug. obſ. 4.*

l) *Obſerv. lib. III. p. 327.*

m) *Med. Pr. lib. III. p. 141.*

n) *Comp. Medic. Tract. XXVII. §. 4.*

* * * * * *

Vomitus etiam violentus nimiſque diu durans, ob viciniam Ventriculi cum diaphragmate, arctumque nexum cum eodem, & irritationem nervorum propagatam, ſingultum interdum poſt ſe trahit, malo ſæpe per HIPPOCRATIS [o]) effatum

o) *lib. VII. aph. 3.*

effatum omine. Tunc vero genuina vomitus prægreſſi remedia unice ſingultui ab eodem nato competunt.

* * * * * *

Sequitur ſingultus cum febre intermittente complicatus, non ille, qui a materia morboſa in ventriculo ſtabulante excitatur, de quo in ſuperioribus jam actum, ſed qui aut omnino abſente tali materia, aut jam excluſa, ſpaſmo univerſali febrili frigore durante invadit, & a nervoſarum fibrarum criſpatione in ambitu corporis ſenſubus uſurpanda, ventriculum quoque & diaphragma per conſenſum male habente, exoritur. Hic ſingultus peſſime tractaretur Opio, cujus ſub frigore febrili exhibiti noxas, in ſuperioribus ſatis expoſui, cum de febribus intermittentibus agerem. Levatur vero calidis potulentis, topicis convenientibus, & iis omnibus quæ frigori febrili minuendo conveniunt ex artis legibus. Si ut ſymptoma urgens, repurgatis etiam primis viis paroxyſmum comitetur, cedit omnino, per corticem peruvianum mature datum, fugata febre. Remanet tamen etiam quandoque poſt curationem febris & ſponte non cedit, inter ſymptomata a febre relicta numerandus ſingultus, tumque optime continuato uſu corticis abigitur, ut pulchre notavit de GORTER.[p]) Cavendum ſaltem ne nondum remotis cruditatibus primas vias gravantibus præmature cortex ingeratur, ita enim, ut jam monui in ſuperioribus, qui febre durante non adfuerat ſingultus, febre præpoſtere depulſa mala medicatione generari poteſt, ut accidit illi generoſo Viro, quem habet HOFFMANNUS[q]) febrili recidiva, ſed ſub ſingultus moleſtiſſimi larva latente, male eapropter mulctato, repurgata autem inteſtinorum arundine ab eo feliciter ſanato, in quo certe caſu diaſcordium & theriaca certiſſimas noxas induxiſſent.

*Singultus febrium intermittentium.*

p) *Comp. Med. Part. I. p. 111.*

q) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 444. 445.*

Liceat mihi illum a SYDENHAMO[r]) notatum ſingultum hic adhuc producere, qui ſub finem febris non intermit-

r) *Operum p. 656.*

tentis accedit, & per dies aliquot perſeverat per intervalla, a quo tamen ægro nil eſt periculi. Si non ſponte faceſſat, ſed in longum tempus decurrat, illum etiam cortice peruviano certius quam alio quovis remedio e celebratiſſimis ſublatum vidit Vir optimus, de diaſcordio ſuo hic tacens.

§. XX.

*Singultus a refrigeratione.*

Ut vero febrile frigus ab internis cauſis in corpore præſentibus pendens, ita quoque frigus aëris externi incaute admiſſum ſingultum aliquando producit. Namque per illud perſpiratione ſuppreſſa humores nimis introrſum ventriculum verſus & diaphragma urgentur, inſuper autem ſua natura frigidum omne veraci HIPPOCRATIS [a]) effato Nervis inimicum hos concutit, irritat, atque ad motus præternaturales tremulos & ſpaſticos fibras motrices diſponit. Tanto vero nocentius frigus eſt, ſi corpus offendat ex cauſis qualibuscunque æſtuans & ſudans, tum enim vel ſola obambulatio nudis pedibus per pavimenta frigida ſingultum ciere poteſt, quem natatio & ſubmerſio in aquis gelidis etiam non raro producit, auraque frigidiuſcula veſpertina æſtivis diebus inclinantibus, cum voluptate excepta. Maxime autem rigidus aquilo & brumale frigus ejus geneſi velificatur, hocque durante ex obſervatione RIVERII, [b]) graviſſimo ſingultu quotidie aliquoties affligebatur 13. annorum puella, æſtate accedente ab eodem immunis. Sed & intus Ventriculo immediate applicata actu & potentia frigida malum quod loquor facillime excludunt. Ex fructubus horæis paratæ gelatinæ ex cellis menſis impoſitæ, glacieque adjecta magis refrigerantes redditæ, frigida aqua, ut magnatum pernicioſus mos eſt, cum ſucco limonum & glacie dum canicula ardet, ingurgitata, non raro eidem natales ſuppeditant, quemadmodum evenit illi Chiliarchæ apud TIMÆVM, [c]) qui refrigerans nitrum aquæ frigidæ adjecerat, eamque ſitibundus affatim ingurgitarat. Quin laudabilis per ſe therapevtica refrigeratio, ſi nimia fuerit, aliquando ſingultum

a) *lib. V. aph. 18.*

b) *Cent. III. obſ. 42.*

c) *Caſuum med. lib. III. caſ. 5.*

gultum ciet. Ita in febribus ab uſu aſſiduo julapiorum refrigerantium ſingultum notavit SCHENCKIUS, [d]) atque eadem de cauſa eum quoque obortum conſignarunt Medici Vratislavienſes. [e]) Omnis vero ejusmodi ſingultus a refrigeratione curatio juſta nil requirit, niſi ſtricturarum fibris inductarum relaxationem, atque reſtitutam determinationem humorum a centro ad peripheriam. Ad binos hos ſcopos impetrandos collineant calidum regimen externum, epithemata calida actu, vel calefacientia, potus tepidus, Aromatica & volatilia blandiora nervis amica, quæ omnia ab Autoribus commendata leguntur. Ipſa etiam balnea calida adjectis herbis aromaticis, quæ in ſingultu a potu frigido exacerbato & chronico facto, remediis omnis generis, conſultationibusque Medicorum variorum nil juvantibus, tandem ſalutaria fuiſſe refert RIVERIUS, [f]) ſaltem duplici illo nomine proficua fuerunt. Jam vero de Opio etiam certum eſt, quod perſpirationem moveat, & ſpaſmo criſpatas fibras ſubito relaxet. Quis ergo dubitaverit, id egregie profuturum in omni ſingultu a refrigerio, ſi citata remedia præmiſſa, quæ ſæpe ſufficiunt, forte non juverint. Sane ſi ſuadente SENNERTO, [g]) intus & extus ventriculum calefacientia aromatica cum vino hippocratico adhiberi debent, non alienum etiam tum erit ab intentione Medici calefaciens & aromaticum Opium ſolum, vel aromatibus in variis compoſitionibus admiſtum. Si narrante SCHENCKIO, [h]) inconſulta temeritate Medicorum, potionibus nimis refrigerantibus productum ſingultum contra omnium opinionem vini potus ſuſtulit, cur non liceret vini loco vel cum Vino uti Vino analogo Opio, quod præter calefacientem ſingulari virtute ſedante inſtruitur, qua Vinum omnino orbum eſt. Si TIMÆUS Medicinam faciens ſuo Chiliarchæ, calefacientibus aromaticis fruſtra uſus tandem confugiens ad confectionem anacardinam voto ſuo potitus eſt, cur non in uſum trahere vellemus diaſcordium, theriacam & mithridatium con-

d) *Obſervat. Medicinal. lib. III. p. 327.*

e) *Hiſt. Morb. Vratisl. an. 1700. p. 86.*

f) *in Obſervationibus infrequentium morborum Obſ. I. p. 583.*

g) *Med. Pract. lib. III. p. 140.*

h) *l. c.*

ſectiones opiatas in caſu ſimili anacardinæ multo ſuperiores futuras, quæ aut ſimpliciter aromatica eſt, aut myrobalanis omnis generis fœta non bene quadrantibus, quando in Ventriculo nil expurgandum adeſt.

* * * * * *

*Singultus a Vitio oſſium,*

Aliam autem irritationis ſpeciem, pro ſingultu excitando, præbet luxatio, diſtorſio, & fractura coſtarum inferiorum, aut cartilaginis xiphoidis, quibus omnibus ventriculus premitur, atque ad motus anomalos cum diaphragmate ſollicitatur. In hoc caſu Chirurgo potius quam Medico opus eſt, repoſitione quippe luxati, & fracti conſolidatione, cura ſæpe abſolvitur feliciter. FERNELIVS [i]) ſingultum memorat ex coſtæ extremo intorto & Ventriculo ſeſe inſigente, blande & molliter erecto protinus ceſſantem, repetentem tamen, quoties coſtam denuo incurvari contigiſſet. Ubi cartilago enſiformis luxata, aut preſſione & contuſione externa rudiori ita verſus interiora reflexa fuit, ut preſſu pylorum laceſſet, & male habeat, atque ita toto ventriculo & diaphragmate in conſenſum abrepto ſingultuoſam convulſionem cieat, optime conferunt cucurbitæ ſine ſcarifatione ſcrobiculi cordis regioni admotæ. His nempe aëre qui in cavo earum continebatur igne candelæ rarefacto, ſubito dein applicatis, id efficitur, ut cutis ſubjecta nitatur in vacuum, atque ſimul extrorſum moveatur cartilago, hacque ratione ventriculus ab onere irritante levetur. Ego tragicam valde diaphragmatis, ventriculi, & annexi œſophagi convulſionem ſingultuoſi quid habentem, ſed peculiari quodam ſonitu ac ſi baculus ligneus diffringeretur, aures adſtantium ferientem obſervavi in Duce bellico. Huic fervente ante mœnia noſtra Marte, globus plumbeus intrans & pergens ſub cute dextri lateris, dein circa ſcorbiculum cordis ad interiora penetrans, in ſiniſtro fixus ſub integumentis hærens, coſtas duas ſpurias diffregerat. Facile exime-

i) *lib. VI. de partium morbis & ſympt. c. III. p. 568.*

eximebatur globus, ſed miſer inter ſummos angores, irritis VSibus, & aliis multis Medicinæ & Chirurgiæ moliminibus, ob partium internarum læſionem & ſanguinem extravaſatum ſexta die moriebatur. Ita omnino credendum erat, agnati quippe cadaveris inciſionem permittere recuſabant.

* * * * * *

Sed novam iterum faciem ſingultus contemplari debemus, eandemque ad Medicum magis ſpectantem. Si quacunque de cauſa deterſus & ablatus fuerit naturalis ille mucus, villoſam tunicam ventriculi obliniens, atque tenerrima nervoſa lanugo detracta ſua veſte nudata fuerit, vel deglutitus aër, aut mollis aquula, tantoque magis qualecunque acriuſculum, nedum acre, inter incommoda cardialgica ſingultum creare poteſt, aut per intervalla recidivum, aut diutius ſine longa remiſſione perdurantem, ex ſolo ob exquiſitiſſimam ſenſibilitatem, motus vitio. Memini me aliquot talia exempla vidiſſe in Praxi, poſt purgantia & emetica draſtica aſſumta, non ab ipſa eorum operatione fortiori, ut aliquando etiam ſolet fieri, ſed diu poſt eandem, ob excuſſum a parietibus ventriculi mucum. Tum vero ſolis blandis emulſivis, oleoſis, mucilaginoſis, gelatinoſis uſus ſum, opiumque, quod in ſe ipſum acre eſt, fere miſſum feci penitus, aut ſaltem modo laudatis remediis interpoſui, urgente neceſſitate, vel ſubjunxi. Sine dubio illa Vetula octuagenaria apud FORESTVM [k]) per ſemiannum ſubinde ſingultiens, aridam & ſmegmate naturali minus humectatam habuit in ſuo Ventriculo cruſtam villoſam, cum omnia remedia nil juvarent, excepto loch ſano quod ex demulcentibus & incraſſantibus compoſitum, alioquin tuſſi, vocis aſperitati, & raucedini deſtinatur.

*a denudata cruſta villoſa,*

k) *lib. XVIII. obſ. 12.*

* * * * * *

*ab aphthis,* Sequitur ſingultus & ab aphthis naſcentibus, atque adhuc ſtabilibus, & a relicta ab iis excoriatione villoſæ tunicæ, quando ab interna œſophagi & ventriculi ſuperficie, quam obſederant, decidunt, locis affectis ſenſibilibus, acutiſſime dolentibus, & ſubinflammatis remanentibus. Creatur prior ſingultus ab aphthis, dum hæ naſcentes cruſta ſua ſenſim obducunt orificium ventriculi ſuperius cum œſophago, vaſculaque minutiſſima obſtruendo & diducendo minutiſſimos nervulos tendunt, & irritant. Hincque ubi ſingultus in febribus earumque incremento & ſtatu adeſt, antequam in faucibus & oris interni ambitu compareant aphthæ, eas brevi hæc loca occupaturas toties ſagaces Medici prædicunt. Ut vero adſcendentes ſenſim ex œſophago in fauces & linguam aphthæ, pejores ſunt illis quæ primo in labiis & lingua ſeſe manifeſtant, ita & ſingultus qui adſcendentibus complicatur, peſſimi non raro ominis eſſe ſolet. Sique cum illis curationem admittit, ea non aliis remediis obtinebitur quam laxando & emolliendo lapſum cruſtæ facilem reddentibus, & ſimul blandiſſima ſua dote ſubjectis locis ſenſibiliſſimis parcentibus.

Oritur autem etiam ſingultus cruſtis jam deciduis, ſumme moleſtus, & ab attactu pene omnium quæ degluttiuntur exacerbandus. Hic nonniſi oleoſis & demulcentiſſimis linctubus, potubusque blandis parca copia ſæpe aſſumendis delinitur. Talibus ſyrupus papaveris albi aut de meconio bene additur, aut ſi opus videatur dilutiſſimum parciore doſi Opium, quod minus dilutum in ſe topico effectu irritans magis videtur, quam anodynum. Hac arte ſi excipiatur ab hac cauſa pendens inque declinationibus febrium eveniens ſingultus, rarius periculoſus obſervatur, ſed ſenſim ſilet, ægro cum ſanitate in gratiam redeunte. Talem ab aphthis ſed ſub finem febris enatum habent TULPIUS [1]) & SYDEN-

[1]) *Obſerv. lib. IV. c. 25.*

SYDENHAMUS qui nil periculi eum alere dicunt. Si vero nec aphthæ nec ſingultus ſponte faceſſant, facile fugari utrumque malum cortice peruviano aſſerit SYDENHAMUS, [m]) ſuperbibendo hauſtum lactis, officioſam nimis ſedulitatem Medici in ſanando per multa remedia malo, ſerio diſſuadens.

m) *Operum p. 656.*

* * * * * *

Ad irritationem quoque ſpectant cerebri læſiones, quæ propter par vagum ad ventriculum & diaphragma excurrens, ſingultum excitare queunt, & ſolent. Is eapropter a contuſionibus & vulneribus cerebri, ab hujus & meningum inflammationibus, a fracturis cranii exoritur, juſtaque methodo his morbis ſpeciatim conveniente curari debet. Opium autem vix prodeſt quicquam, ſed potius humores ad caput determinando nocet, qui in ejusmodi caſibus omnibus, omni data opera a capite revellendi ſunt, ut in aliis morbis capitis ſine exceptione. In hoc momento magnum latet medicationis arcanum, cum maxima noxa ægro immineat, ſive vulnere, contuſione, fractura, inflammatione in ſupremo Ventre laboret, ab affluxu nimio humorum, quem omnia hæc mala alliciunt.

*a læſionibus cerebri,*

* * * * * *

Supereſt pus acre aut genitum in ventriculo, prægreſſa febre inflammatoria, verumque hujus viſceris ulcus involvens, a quo ſine phlegmone manifeſta prævia, ſingultum portentoſum & inſolentem habet RIVERIUS; [n]) aut ex alia corporis parte ulceroſa reſorptum, & ad Ventriculum & diaphragma depoſitum. Pertinet huc quoque ichor gangrænoſus ſerumque putridum ſphaceli ſoboles. Eapropter ſive in ipſo diaphragmate, vetriculoque & inteſtinis ſphaceloſa corruptio hæreat, ſive aliud viſcus prægreſſa inflammatione occupaverit, ſæpe ſæpius oboriens ſingultus tragœdiæ inſtan-

*a pure.*

n) *Obſervat. Communic. I.*

inſtantem finem prænunciat, extiſpiciis deinceps mortis cauſam oculis uſurpandam exhibentibus, ut in hominibus ileo & dyſenteria demortuis. Verum & ab externis adeo partibus gangræna & ſphacelo laborantibus reſorberi venulis bibulis ſepticum ſerum poteſt, atque ad diaphragmatis fornicem & ſtomachum deponi, ſicque non minus ſingultus lethalis induci. Sphacelum a calcanei contuſione, & a femoris & brachii fractura enatum, ſingultuoſas febres generare paucis diebus occidentes conſignavit HIPPOCRATES. *) Tragicum ejusmodi eventum a tibiæ fractura arctiore forte deligatione excepta, quarto die vidi Juvenis in fratre dilectiſſimo propriæ Matris athletice antea valente; qui gangræna ſubito ad femur propagata inter ſingultus perpetuos ſuorum amplexubus eripiebatur. Idem fatum a tali fractura ſubire tenebatur Mercator e noſtris, die 12. poſtquam fomentis ex ſelectiſſimis antiſepticis, & cortice peruviano, fruſtra dimicatum eſſet. Non obliviſci poſſum hac occaſione Viri inter noſtrates ſpectatiſſimi, e Mercatorum ſenioribus. Hic ulcere in pede per 16. annos laboraverat, nil inde mali præter leviora quædam incommoda, ſentiens. Potius dum ex eodem ceu ex fonticulo ſerum acre in corpore abundans excernebatur, emolumenta in corpus ſucci-pleniſſimum redundabant. Ob nimium autem motum & adſcenſum ſcalarum, ob largiorem ingurgitationem vini, atque iram per multas hebdomades intus ſuppreſſam, totum pedem prehendebat phlegmone, non obſtante antiphlogiſticorum internorum & externorum adhibitione brevi in gangrænam abiens, ſimulque moleſtiſſimo ſingultu inter ſummas anxietates, æger afficiebatur. Facile prævidebatur omnia fruſtranea fore, data interim inter alia ad motus exorbitantes paululum mitigandos theriacalia & diaſcordiata ſine ullo fructu, namque ad ultimum fere vitæ momentum ſingultiebat miſer.

*o*) *de fracturis* §. 12. & 38.

§. XXI.

## §. XXI.

*Singultus ab inanitione.*

Reſtat adhuc ſingultus ab inanitione, cujus genuinam indolem non ſemper bene explicant Auctores. Id executu difficile eſſe fatetur RIVERIVS,[a]) cum enim ſingultus ab inanitione eſſentia conſiſtat in defectu, neminem dicturum ait, naturam inſurgere ad defectum expellendum, quæ potius attractricem quam expultricem facultatem motura ſit. Deinde ipſis magnis evacuationibus ſimpliciter culpam haud tribuit, ſed potius malignæ cuidam qualitati, quam medicamentum evacuans ventriculo impreſſerit, ut helleborus. Facile clarum eſt, vim inanitionis in relinquendo poſt ſe influxu inæquali nervoſi laticis, in muſculos, RIVERIVM haud perſpexiſſe. Illuſtris HOFFMANNVS [b]) ſub vocabulo inanitionis Hippocratem intellectam velle nimiam ſpaſticam ſtricturam autumat. Pace vero Beati Præceptoris dixerim, & a repletione, & ab irritatione, & ab inanitione oborientem ſingultum, involvere ſpaſmum ventriculi & diaphragmatis, eundemque cum relaxatione motricium fibrarum utriusque viſceris alternis vicibus repetentem, quo ipſo omnis convulſio producitur. Probabilius multo eſt, & verum ſane, HIPPOCRATEM de convulſionibus ab inanitione locutum, ſemper intellexiſſe evacuationes & fluxiones nimias humorum qualiumcunque, convulſiones præcedentes, hisque cauſam præbentes. Atque a tali inanitione pendens ſingultus ob liquidorum pauperiem generalem, ponit influxum inæqualem nervoſi liquidi in organa motricia illa, quibus affectis hic morbus ponitur, ita ut æquilibrium motus fibrarum motricium tollatur. Igitur in aliquas vel plane non, vel non ſufficiente copia influente liquido nervoſo, aliæ aliquantiſper majori ejus copia, non obſtante generali penuria, irroratæ, adeoque exceſſu virium inſtructæ conſtringuntur, ſicque partis convulſio exoritur. Videmus eapropter Practici ſingultum a Vomitu nimio, ab omnibus evacuationibus alvinis, diarrhœa, dyſenteria,

a) *Med. Praxeos lib. IX. c. 6.*

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 444.*

paſſione cœliaca, lienteria, ab hæmorrhagiis omnis generis, a cauſis internis & per externa vulnera enatis, a Venere nimis culta, &c. Hujus commatis ſingultus mali plerumque ominis eſſe ſolent: a Vomitu nimirum ſingultus malum. Sanguine multo effuſo convulſio aut ſingultus ſuperveniens malum. Purgationi immodicæ convulſio aut ſingultus ſuperveniens malum. [c]) Summa eapropter arte in cura opus eſt, & præcipue replentibus quæ ſuccos deperditos reſtituant, adeoque cauſam hujus ſingultus inanitionem tollant. Simul vero excretio præternaturalis quæ inanitionem produxit ſiſtenda venit, ſi adhuc perduret, ſique huic excretioni compeſcendæ inter alia ſiſtentia vere quadret Opium, cum replentibus ſimul adhiberi poteſt, & urgente excretione ſæpe debet. Notavit SYDENHAM [d]) ſingultum plerumque ſenibus accidere poſt copioſas evacuationes, vel per ſeceſſum ex diarrhœa, vel maxime per vomitiones, atque tum ſæpe mortem præ foribus eſſe. Fatetur ſe ætiologiam hujus mali non cognoſcere, refert vero ſe iis in caſibus, & ubi tumultus ex aſperioribus medicamentis ſingultum induxerint, & ingens periculum immineat, diaſcordium larga doſi proficuum valde deprehendiſſe. Quo ipſo ſimul quod cum cura notari volo, limites juſtos uſui hujus remedii ponit, & adhibitionem felicem circumſcriptam exhibet, cum male ad omnem ſine diſcrimine ſingultum compeſcendum traheretur. Non autem opus eſt ut hic longior ſim, in explicando uſu dextro Opii in ſingultu ab inanitione, cum in Convulſionibus ab inanitione eum in ſuperioribus jam ſatis deſcriptum dederim.

c) *Hipp. lib. VII. aph. 3. lib. V. aph. 3. lib. V. aph. 4.*

d) *Operum p. 86. 87.*

* * * * * *

*Singultus chronicus.*

De habituali & chronico ſingultu, vitia nervorum diuturna, & malam conformationem partium, indurationemque earum, pro cauſa habente, multa dicere nil attinet, namque

namque ille miſeram ſaltem palliationem ab Opio, ut ejusmodi vomitus experitur.

Antequam autem hoc argumentum derelinquam notare adhuc debeo, ſi vehementiſſimus ſit ſingultus, ita ut ægri vires ſubito proſternat, aut ſi metus ſit, ne cito malum ſe gravius inducat, ut convulſiones univerſales, rerum neceſſitatem exigere, ut ad Opium confugiatur primo, antequam de oppugnanda cauſa cogitetur, niſi hanc vere in ſua actione hoc remedio juvari conſtet. Si vero hæc removeri ocyus poteſt, præcipua cura ipſi omnino deſtinari debet.

§. XXII.

*Tuſſis, & laudes Opii in ejus medela.*

A ſingultu pergo ad tuſſim, in qua quidem, maxime ubi vehementior & clamoſa fuerit, feliciter domanda, Opii uſus fuit antiquiſſimus. Opium tuſſi auxiliari jam ſcripſit DIOSCORIDES, a) deinde AETIUS b) Theriacam commodare veteri & recenti tuſſi notavit. Pilulas de cynogloſſa, quas ad noſtram ætatem toto die tuſſientibus præſcribunt Opio etiam non faventes Medici, jam deſcripſit & collaudavit ALEXANDER TRALLIANUS. c) Uſus etiam pilularum de ſtyrace quæ illis analogæ habentur, ac ſpecifica virtute mederi tuſſi creduntur a Practicis, ita ut SCHROEDERO d) aſſerente, pertinaciſſimam etiam tuſſim ſedent, ſatis vetuſtus eſt, ab Arabibus quippe ad nos derivatus. Inter Neotericos HEURNIUS e) opium in Theriaca multis ſatis acribus & irritantibus admiſtum fœminam a pernicioſa tuſſi, omnium Medicorum ſuorum medelas fruſtra expertam, ſtatim liberaſſe refert. Non minus ei favens LUDOVICI f) Opio nullum eſſe præſentius remedium in deſtillationibus acrioribus, præcipue tuſſi, & raucedine eſſe dicit. Adeo autem magnifice inter multos alios de Opiatis in Tuſſi ſentit WEDELIUS, g) ut ea eſſe ὑγεία καὶ μυστήριον, nullamque tuſſim ſine illis feliciter tam cito, tam tuto, tam jucunde, tolli affirmet. Agnovit etiam vim Opii tuſſim & catarrhos ſolventem Cel. FREIND. h) Nemo autem in ſe ipſo

a) *lib. IV. c. 55.*
b) *Tetrabibl. IV. ſerm. I. c. 96.*
c) *lib. V. capite de tuſſi.*
d) *Pharm. Med. chym. lib. II. p. 252.*
e) *de Morbis Capitis c. 29.*
f) *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. Ao. IV. & V. obſ. 207.*
g) *Opiol. p. 109.*
h) *Emmenol. c. 14. p. 139.*

ipſo ſummam virtutem hujus remedii ad inhibendam tuſſis vehementiam melius expertus eſt, quam quidem Cl. YOUNG. A ſumtis 20. guttis laudani per totam noctem ceſſavit tuſſis, cum mane reverteretur, eadem doſis illam denuo fugavit. Auctior ad 30. & 40. guttas doſis quamvis ſiccitatem oris, raucedinem, aliquamque in reſpirando difficultatem poſt ſe traheret, tamen tuſſim conſtanter abarcuit. Unde etiam Vir Clariſſimus opium in tuſſi omnibus remediis pectoralibus præfert. Quemadmodum autem ab omni ævo ad noſtram ætatem Opium, ita & eo leniora diacodiata & papaveracea, ad latrantem tuſſim demulcendam, aptiſſima judicata ſunt. Poteram omnes per omnia ſecula Medicos nominare, harum rerum teſtimonia exhibiturus, ſed nimis longa, & inanis hæc foret opera.

§. XXIII.

*Tuſſis indoles.* Quanquam vero omnino, ſi in ullo morbo alio, in tuſſi certe Opii uſus ſit ſæpe tutiſſimus, ægris dies & noctes aliquando moleſtiſſima corporis totius concuſſione abſumentibus jucundiſſimus, & aliis omnibus remediis citius, aut auxilium, aut inducias afferat; tamen & aliquando multum nocet, aut inutilis eſt, quod ipſum ut clarius exponam, operæ pretium erit. Tuſſim vocamus Medici violentam & ſonoram, aeris in pulmones inſpirati, larynge antrorſum moto & elevato, excuſſionem, qua id quod per vias aereas ejici poteſt, impetuoſe per os ejicitur. Oritur autem, ab irritatione nervoſæ & ſenſibilis valde membranæ interioris aſperæ arteriæ & bronchiorum, indeque fiente conſtrictione villorum, veſicularum, & canalium bronchialium, ab inferioribus ad ſuperiora, & convulſione diaphragmatis, muſculorum thoracis, & abdominis. Tuſſis ita naſcens equidem ſuam ſedem per data ſemper habet in pectore, namque ut erudite monet Cel. SCHREIBER, [a]) non poſſumus aliam notionem habere, de cauſa tuſſis, quam quod ſit omne id, quod poteſt irritare nervos laryngis, aſperæ arteriæ, & bron-

a) *Almageſt. Med. Phyſiol. Part. I. lib. V. c. III. §. 401.*

bronchiorum. Interim tamen cauſa irritans ſive ſtimulus, ſine quo nulla tuſſis, ſede ſua differt; modo enim hæret in ipſa trachea, & bronchiorum membrana, organiſque reſpirationi inſervientibus, pulmonibus, diaphragmate, pleura, mediaſtino, muſculis intercoſtalibus, modo in diſſitis locis habitat, & demum per conſenſum nervorum intercoſtalis & paris octavi, ad pectus, irritabilemque præcipue illam membranam propagatur. Hinc idiopathica & ſympathetica tuſſis emergit, de utraque ſigillatim.

§. XXIV.

Ad primam claſſem refero illam, quæ ab atomis acribus & ſepticis, ſpecie fumi, vaporis, pulviſculi, exhalationis cum aëre remixtis, & cum eo inſpiratis, ſicque interiori membranæ aſperæ arteriæ applicatis, & infixis exoritur. Hæc morbi ſpecies artificibus nonnullis ſatis familiaris eſt, de qua paſſim aliquid habet Cl. RAMAZZINI in diatriba *de Morbis Artificum.* Ita a ſpirituum acidorum mineralium, & aceti calidi effluviis, a ſulphuris fumo, tuſſiunt non raro graviter Chemici & Pharmacopœi; a farina volatili cum ſpiritu in aſperam arteriam tracta Molitores; a tenuiſſimis arenulis inſpiratis lapicidæ & ſtatuarii; ab aere igneis corpuſculis gravido Vitriarii. Sic inter plumbum & lithargyrium verſantes ab horum pulviſculis metallifoſſores ac figuli, ſic & fabri murarii a calcis vivæ atomis ore hauſtis tuſſire ſolent. In his caſibus omnibus laudant Practici incraſſantia, mucilaginoſa, ut decoctum raparum, & oleoſa, ut oleum amygdalarum, quin & panem butyro illitum talibus artificibus commedendum commendat ETTMULLERUS. Neque ego talia diſſuadeo remedia, at quoniam deglutita in ventriculum communes vias decurrere debent, antequam interiori ſuperficiei tracheæ queant applicari, citius auxilium ſpondent, evitatis quantum poſſibile eſt cauſis ægritudinem inducentibus, vapores ex aqua & lacte ore hauſti, vel infundibuli miniſterio ſucti, utpote immediate

*Tuſſis ab inſpiratis irritantibus,*

laryngis rimam ſubeuntes, & membranæ interioris nerveos villos blando rore inungentes, ſpicula irritantia & pungentia involventes, eorumque excuſſionem a locis quibus infixa ſunt, lubricando facilitantes. His actis ut decet, ſi aliquis ad motus coercendos Opium neceſſarium judicaverit, non ſane a recta medendi via aberrabit.

## §. XXV.

*a peregrinis in aſpera arteria hærentibus,*

Sequitur tuſſis a peregrinis corporibus inter edendum rimam glottidis epiglottide non tectæ intrantibus, neque minus a muco viſcido, hærente in lacunis membranæ aſperam arteriam intus veſtientis, vel thrombo, aut calculoſa materie in Ventriculis laryngis hoſpitante, tum & a polypoſis concretionibus, & tumoribus varii generis cavum aſperæ arteriæ occupantibus.

Exempla ejusmodi tuſſis paſſim exſtant, apud Obſervationum practicarum ſcriptores. Peregrina corpora illapſa, ſæpe violentiſſima tuſſi, quam irritatione movent, iterum excutiuntur, maxime ſi liquida fuerint; ſi ſolidiora & majora exiſtant, quam quæ commode egredi queant rimam laryngis, in quam vi quadam intruſa fuerant, inevitabilis eſt dura ſuffocationis neceſſitas. Funeſtos ejusmodi caſus legere licet apud MARCELLVM DONATVM. [a]) Ego vero ipſe memini, me Lipſiæ adfuiſſe ſectioni pauperculæ mulierculæ, quæ inter edendum tuſſi correpta ſubito ceciderat mortua, & apoplexia diem ſuum obiiſſe reputabatur. Sed nil exhibebat cadaveris inſpectio, quod hunc morbum ſubfuiſſe loqueretur, cerebrum quippe, ut omnia viſcera medii & infimi Ventris, ab omni labe immune conſpiciebatur; neque conſtabat qua ratione ſubitaneo adeo interitui fuiſſet ſubjecta. Dum vero forte pulmones demonſtraturus Excellentiſſimus WALTHERVS ſtylum immittebat per rimam laryngis, obſtaculum intus percipiebat, reque curatius inquiſita, fruſtulum de carne bubula ſtupens inveniebat,

a) *in hiſt. Med. Mirab. lib. III. c. 7.*

ac

ac ſtudioſis adſtantibus cauſam convulſivæ tuſſis, & mortis eam extemplo excipientis, exponebat.

Mucus induratus, calculi & thrombi vix ſciuntur niſi ejecti, vixque oppugnari poſſunt ut decet, inhalationes tepidorum vaporum emollientium princeps alioquin forent remedium. Polypi & tumores inter cauſas latentes & immedicabiles referendæ.

## §. XXVI.

Pergo ad ariditatem interioris tracheæ, quæ raucam ſiccamque tuſſim ingenerat, a defectu humidi in corpore oriundam, febribusque continuis, inflammatoriis & ardentibus familiarem, in quibus eam inter alios notavit PLATERUS. [a]) Si glanduloſa compages tracheæ ob quamcunque cauſam, non ſuppeditet ſmegma illud molle, quod inungendo ejus toti velo membranoſo ſecundum naturam dicatur, villique nervei attactui aëris illabentis eam ob cauſam nudi exponantur, hic ſolus ſtimuli vices in excitanda tuſſi, vel purior & ſerenus ſubit, tantoque magis inſalubris, & inquinamentis ac irritamentis variis refertus. Sed præcipue motus citatior humorum & calor in febre obvius abigit liquidiora ſanguinis, ſerumque ejus denſat & inſpiſſat, igitur ut linguæ, & toti oris cavo, ita quoque interioribus tracheæ deeſt benignum illud humidum quod fibras mites & molliuſculas reddit. Deinde dum aër pulmones ingreſſus, ob rapidum trajectum ſanguinis per eos calidior redditur, & fervidus exſpiratur, loca quæ prætergreditur, is confeſtim exſiccat, eapropter fibræ ſiccidiores redditæ, moleſta tenſione, doloroſi quippiam habente afficiuntur, tuſſimque excludunt. In caſu vel febrili vel non febrili, præſtantiſſimum remedium ſuppeditat aër inſpiratus per artem tepida humiditate prægnans redditus, in priori methodus antiphlogiſtica adjungenda eſt, acidis, utpote irritantibus, cautius adhibitis. Laudat hic oleum amygdalarum SYDENHAMUS, [b]) miraturque abhorrere ab eo Medicos, quod inflammabile

*a ſiccitate tracheæ.*

a) *lib. I p. 2[illegible].*

b) *Operum p. 84.*

mabile ſit. Non puto ego eapropter id abeſſe debere, namque in ſe ſpectatum flammæ febrili fomitem non addit, ſed vix pervenit ad interiora tracheæ, aut ſi perveniat, calore febrili immutatum eſt, & rancidum, atque acre redditum, blanditiaque ſua orbum, adeoque tuſſim tunc juvaret potius, quam infringeret. Præferendæ ergo oleo ſunt emulſiones amygdalinæ tenuiores in acidum potius quam in alcali vergentes, quæ idonea copia potæ omnem humorum maſſam mulcente indole imbuunt. Poteſt & in confectione earundem adjici demulcens ſemen papaveris noſtratis. Nunquam vero Opium hujus tuſſis foret conveniens remedium, quod prorſus a febre continua, & ab omnibus ejus ſymptomatibus abeſſe debet.

Ariditati tracheæ jungi debet vera membranæ ejus inflammatio, ſive magis ſuperficialis eryſipelacea, ſive profundior, ſive morbus princeps ut cynanche, ſive ſymptoma prægreſſæ febris inflammatoriæ univerſalis. Tuſſis inde nata ſicca, ſtridula, clangoſa, moleſtiſſima eſt, ſed curari vult cum morbo principe. Vapores blandiſſimi aquoſi optimi quoque hic uſus ſunt, multisque modis magis eam ſolantur, quam nocens in hoc caſu Opium.

§. XXVII.

*Tuſſis catarrhalis.* Memorari vero jam debet tuſſis, quæ cum coryza, gravedine & raucedine complicata, ab acri tenui ſero, tracheam internam ſollicitante provenit, atque catarrhalis nomine Medicis venire ſolet.

Catarrhum vocamus ſeri naturali majorem ex glandulis circa caput & fauces effluxum, in ſtrictiori ſenſu; ſi ad omnes glandulas corporis extendatur hæc definitio, diarrhœa catarrhi inteſtinorum, fluorque albus catarrhi uteri nomine venire poteſt. Nimis dictionem catarrhorum extendit SCHNEIDERUS, in prolixo ſuo Opere. Hic ſaltem de faucium & aſperæ arteriæ pulmonumque catarrho ſermo eſt. Innumeræ vero glandulæ deſcriptæ habentur potiſſimum

tiſſimum apud MORGAGNUM,[a]) quæ inhærent toti ſuperficiei interiori canalis aſperæ arteriæ, præcipue in poſtica parte, & in interſtitiis cartilaginum. Illæ omnes telæ celluloſæ intertextæ perforant ſuis oſtiolis interioris tracheæ membranam nervoſam, eamque muco pellucido, blandiſſimo, unctuoſo, a BOERHAAVIO[b]) egregie deſcripto perpetuo illiniunt; talesque glandulæ & in ipſis bronchiorum ramificationibus copioſæ inveniuntur, quare in omnes has partes catarrhi notio facile cadit. Ut vero catarrhus omnis, niſi habitualis fuerit, & a coctione ventriculi depravata omniumque humorum ſeroſa intemperie, in glandulas labefactatas depluente pendeat, quammaxime & cito exoritur, a ſuppreſſa ſeri tenuiſſimi excretione, per corticem corporis, qua & acrimonia ſui generis in corpore genita perpetuo difflatur; ita & retenti ſeri perſpirabilis regreſſu & depoſitione ad hæc vel illa loca glanduloſa, aſperæ arteriæ, & pulmonum catarrhus ſæpe ſæpius originem ſuam habet. Sed & in ipſa interna tracheæ & bronchiorum ſuperficie, inſpiratus aër frigidus perſpirationem ſupprimit, vaſculorumque exhalantium minutiſſima oſtiola conſtringit, hinc accumulantur a tergo appellentes humores, vaſaque extenduntur, & ab extenſione ſola fit irritatio. Accedit cumulatæ ſeroſæ colluviei per minuta oſtiola tranſudare molienti, immiſta pungens acrimonia, quæ dum in coryza tanta eſt ut nares & os partesque cute tectas arrodat & excoriet, quid mirum ſi in ſenſibiliſſima tracheæ membrana tuſſim irritando proritet, ut in membrana pituitaria Schneideri ejus ſæpe comitem ſternutationem, in oculo ex glandula innominata elabens ardentem & doloroſam lippitudinem, in faucibus anginam aquoſam. Hujus tuſſis catarrhalis, a perſpiratione extus in cute, intus in pulmonibus ſuppreſſa, oriundæ, rationalis medela ſine dubio poſcit, ut ſerum acre luxurians in corpore, tracheæque præcipue incumbens revellatur, & per convenientia colatoria eliminetur, quod optime fiet per inteſti-

a) *Adv. I. Tab. II. Fig. I. O O.*

b) *Opuſcul. anatomico de fabrica glandularum p. 20.*

inteſtinorum, per renum, & per cutis glandulas, per quas potiſſimum exire & difflari naturali ordine debuiſſet; deinde ut acrimonia irritans tracheam involvatur, & actio ejus enervetur; tandem ut motus exorbitantes irritatione excitati, maxime ſi dictis omnibus ut requiritur actis, cauſa nempe eorum partim exturbata, partim enervata, non ſileant, placentur. Ad alvum movendam, nil magis hic convenit emulſione mannata, acre ſimul feliciter involvente, ad reliquas intentiones facientia pharmaca in vulgus nota ſunt, a quorum apparatu omnes ſpirituoſas & acres ſic dictas eſſentias anti-catarrhales longe abeſſe velim, de uſu opii in hujus tuſſis curatione ſaltem mihi verba facienda ſunt. Non ſane abs re inter alios Practicos edixit ETTMVLLERVS, [c]) ſi a frigore admiſſo tuſſis cum coryza immineat, mature ipſam theriaca, ad drachmam unam ſub ingreſſum lecti aſſumta, poſſe curari. Sane pharmaco opiato & titillatio tuſſiculoſa verſus veſperam ordinarie ingraveſcens, ſomnumque præpediens impeditur, & ſimul quod maximi momenti eſt, perſpiratio ſuppreſſa egregie reſtituitur, ruereque incipiens in pulmones acre ſerum divertitur, & e corpore eliminatur. Atque ob has rationes nondum placere deſiit recentioribus etiam Medicis Theriaca & Mithridatium, quod inter incraſſantia cum diaſcordio ingreditur bolum bechicum FVLLERI, qui eum pulchrum remedium dicit, ad tuſſim veſpertinam, a frigore ſuſcepto ortam, & in lecto inclementer divexantem. Ego vero miſſis omnibus acribus irritantibus, calidis, minus certe ſero acri calido irritanti convenientibus; quæ habentur in diaſcordio, mithridatio & theriaca, apta potius doſi do opium ſolidum vel liquidum, ſine quo illæ compoſitiones nullius frugi forent, ut in aliis morbis, ita & in tuſſi catarrhali. De Opiatis in genere omnibus, nullo reſpectu ad hoc vel illud compoſitum habito, teſtatur WEDELIVS, [d]) quod optime ſe habeant in tuſſi, præcipue quando id quod influit, tenue eſt & acre, thoraxque

ſecre-

c) *Operum Tom. II. cap. de tuſſi.*

d) *Opiol. lib. II. ſect. II. cap. 3. initio.*

recrementi copiam non habet, & quando fluxio tenuis a capite in aſperam arteriam defluit, quæ propter inſequentes tuſſes dormire non permittit. Atque qui in proprio corpore effectus Opii ediſcere alloboravit Cl. YOUNG [e]) horripulatione cum tuſſi catarrhali aliquando vexatus ſumſit viginti guttas laudani liquidi, ante lecti ingreſſum, beneque ſilente tuſſi dormivit. Cumque altera die hæc recrudeſceret, eadem doſis levamen attulit, dum majores poſtea, tuſſi equidem placata, alia mala inducebant. Opium igitur ſolum ſufficit, neque enim pilulæ de cynogloſſa, quæ ſecundum excellentiam catarrhales inſcribuntur in diſpenſatorio Viennenſi, & pilulæ de ſtyrace, quæ ibidem catarrhum ferinum & tuſſim pertinaciſſimam ſiſtere dicuntur, tueri poſſent hoc quod vere ipſis debetur elogium, ſi Opio deſtituerentur. Sane cum eo data reliqua ingredientia in minuta paucorum granulorum doſi vix quicquam præſtare valent, quid enim granulum ſtyracis & ſucci liquiritiæ, quid tertia vel dimidia pars grani benzoes, olibani, & myrrhæ effatu dignum efficeret? Nonne conſultius acribus nocivis in theriaca, & innocentibus inutilibusque in minuta doſi balſamicis, prorſus miſſis, ſi demulcens velimus additum ſumere opium cum ſyrupo de Alth. vel cum emulſionis oleoſæ hauſtu, vel cum bona portione ſucci liquiritiæ in pilulis. Pulcherrime ſane non in incipiente ſaltem, ſed in adoleſcente etiam, & magna vi adfligente catarrho pectoris medicatio ſuccedit, ſi mane ſumto purgante mannato, a meridie potionibus demulcentibus & emulſionibus acre temperantibus, diaphoreſinque & diureſin ciere aptis remediis in uſum vocatis, veſperi poſt tepidum pediluvium, exhibeatur Opium. Centenas & millenas forte tuſſes catarrhales ſuſtuli ſimplici hac methodo, alia remedia haud conquirere coactus. Prætuli autem opium ſolum poſt purgans ejusque operationem abſolutam datum, admiſto purganti Opio, quod in pilulis de ſtyrace cum aloephanginis pilulis dari vult

e) p. 59.

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 383.*

g) *de Viribus remediorum p. 239.*

h) *Operum p. 655.*

i) *Opiol. lib. II. ſec. II. cap. III. p. 109.*

vult HOFFMANNVS [f]) & SCHVLZIVS, [g]) atque in pilulis ſuis catarrhalibus ex Rufi pilulis, & pilulis de ſtyrace compoſitis, exhibet FVLLERVS, easdem irritationis ſenſum obtuſuras, poſtero vero die materiam per alvum leniter ſubducturas, novumque ejus influxum præpedituras, credens. Utrumque mea ſententia melius ſuccedit, ſi purgans & Opium ſibi ſubjungantur, quam ſi ambo ſibi invicem miſceantur, atque hoc illius irritationem neceſſariam ſopiente vi, illud hujus ſopientem vim vi ſua irritante interturbet, & impediat. Dixi de hac re alibi, & præcipue cum ſect. II. de paſſione iliaca agerem, in cujus medela variis doctiſſimis Medicis hæc ſibi contrariantia remedia unita exhibere placet. Sane ſi obſervante SYDENHAMO [h]) hypnoticum hora ſomni datum cathartici poſtridie deglutiendi quantumvis ſero aſſumatur, vim & operationem ſufflaminare, & ſi non in totum retundere, tamen ejus efficaciam imminuere aptum eſt, quid fiet ſi Opiatum ſtatim comitetur in corpus aſſumtum catharticum, & cum eo arctiſſimum connubium ineat. Quando igitur ſerio purgatum ægrum volumus, frænum purganti haud injiciamus, quemadmodum & ſi motus quosdam ſopitos volumus, ſine irritante quocunque Opium propinemus. Dum vero mane hauſto purgante, Opium ſine purgante veſperi captum, ſola ſua intemerata virtute anodyna quietem pectori præſtat, & concuſſiones perpetuas inhibet, certo reſpectu etiam incraſſat, & coquit materiem. Laudat in ſuffocationem molientibus catarrhis Opiata WEDELIVS, [i]) quod tuſſim tollant, materiam peccantem coquant, & ad naturalem ſtatum deducant, ut excerni poſſit, & ſine moleſtia hoc fiat. Multi inſuper Practici de Opio affirmant, quod ſerum tenue & acre incraſſet, quod primo intuitu mirum videri debet, dum ipſum acre & acerrimum exiſtit, maxime cum hanc incraſſationem non bene intelligant, nec ſatis explicent, licet ea omnino per opium ſuccedat. Scilicet mordax ille & rodens ſtimulus, qui

qui ineſt tenui ſero catarrhoſo, quique advolutus cum eodem impingitur & infigitur villis trachealibus nervoſis, crudum humorem & peregrinum ſerum eſſe facit, quod blandum, & ſine omni acrimonia eſt ſecundum naturam. Igitur ſerum hoc coqui debet, id eſt, ita immutari, ut naturales dotes recipiat, vel ut peregrinum manens commode excerni queat. Prius dum non facile ſuccedit, mitigatione & incraſſatione præparandum eſt, ad excretionem. Huic autem intentioni repugnat tumultus motuum, quin perpetua concuſſione pectoris, & præſens acre actuoſum magis redditur, & ulterior ejus commeatus allicitur. Verum interdiu blandiſſimis demulcentibus humorum Oceano infuſis, & noctu per opium quiete impetrata atque excretione tracheali ad tempus ſuſpenſa, difflatisque ſimul auctiori perſpiratione tenuibus ſordibus acribus per cutem, dum hæc halcyonia durant, in glandulis tracheæ bronchiorumque ſecernitur hactenus deficiens liquidum inquilinum, benignusque mucus naturali ſimilis reſtituitur. Hoc ergo non ſaltem membrana valde ſenſibilis oblinitur, ſed & acre peccans incraſſatur, ut quaſi velo obvolutum commodius expectoratione deinde queat ejici; Opio interim per ſe nec incraſſante, nec coquente, quod potius ſua dote humores attenuat & ſolvit. Ejus vero ſub memoratis conditionibus virtutem incraſſantem jam per experientiam ſubolfeciſſe videtur HELMONTIVS, [k]) qui etiamſi dato opio inſomnes noctes nihilominus urgeant, πεπασμῷ tamen materiam vitioſam in melius mutari per hoc remedium ſcribit. Sed accuratius multo Cl. YOUNG ex effectubus Opii in ſe ipſo tuſſi catarrhali laborante obſervatis concludit, id humiditates oris, naſi, bronchiorum, tracheæ, inſpiſſare.

k) *Ius Duum Viratus* §. 62.

### §. XXVIII.

*Pectoralis humida, eaque habitualis Tuſſis.*

Excipit tuſſim catarrhalem, Tuſſis pectoralis humida habitualis Medicis dicta, a materia lenta viſcida magna copia & diu in pulmones delabente originem ſuam habens.

Ut glandulæ tracheales & bronchiales quando ſerum tenue & acre fundunt, catarrhalem tuſſim progenerant, ita ſi lentam & viſcidam pituitam, cui nil vel parum acris immiſtum eſt, ſuppeditent, pectoralem mucoſam tuſſim provenire faciunt. Favet hujus geneſi catarrhus nimis diu durans, Medicique peccato nimiis vel ſolis bechicis emollientibus lubricantibusque tractatus, ac glandulis dictis a cauſis aliis qualibuscunque inducta relaxatio; qua fit, ut ingens fiat acris lentique ſeri in humoribus oberrantis ad pectus decubitus, qui mole ſua gravante tuſſim producit, fluorisque albi pulmonalis nomine venire poterat. Hæc tuſſis ſæpe in praxi perperam confunditur cum phthiſi, in eam tamen facile poteſt tranſire, quando acrimonia muco perpetuo huc allato admiſta, vel ob moram ab eodem contracta, molliuſculum parenchyma pulmonale ſenſim exeſt, labemque eidem infert. Quin & per tuſſis vehementiam vaſcula retis malpighiani extenſa nimis & labefactata poſſunt disrumpi, ſicque ex vulnuſculis quæ interdum ſanguinis pauxillum muco excernendo admiſceri faciunt, hinc inde ulcuſcula exilia naſci, niſi majori vaſe diſrupto hæmoptyſis & ex eo major Vomica exoriatur. Verum & ſine læſione continui, ob ſolam glandularum vaſorumque laxam debilitatem eouſque procedere poteſt accumulatio humorum, ut omnia ingeſta quæ corpus nutrire debebant, in pulmone non aſſimilentur, ſed in mucum inertem fatiſcentia bonam partem expectoratione rejiciantur, & perdantur, maxime ſi oleoſis mollibus & lubricantibus decoctis, ſyrupisque dulcibus morbus excipiatur. Curatio ejusmodi mali poſcit.

1. Ut ingerantur quæ corpus nutriant ſuccis noſtris jam analoga facile ſolubilia, neque vim fortem pulmonis aſſimilatricem requirentia, ſimulque digeſtioni proſpiciatur.
2. Ut materia lenta mobilis reddatur & affluxus perpetuus a pectore avertatur, aliis excretionibus inſtitutis.

3. Ut

3. Ut tuſſis quæ novum ſemper affluxum non obſtante proritata evacuatione vicaria allicit, ſi nimis urgeat, veſperi conſopiatur;
4. Ut vaſa pulmonis roborentur, ſicque decubitum habitualem muci detrectent.

Igitur diæta convenienti commendata, incidentibusque & ſaponaceis congruis præſcriptis, quammaxime videndum, ut ad renes & alvum determinetur materies, cutis cribro viſcidis ſordibus tranſitum haud concedente. Aliquando leni diarrhœa per dies aliquot, quin & hebdomades, manna, corroborante rheo, vel ſi viſcidum nimis peccet lentorem ſolvere aptis purgantibus reſinoſis, mercurio dulci acuatis proritata, cum alvus monente HOFFMANNO [a]) propria ſit mucidarum quisquiliarum latrina, multum ægris meis profui. Interpoſui autem vel ſubjunxi uſum balſamicorum lenium, myrrhæ, ſuccini, olibani, maſtichis, gummi ammoniaci, aloes, terebinthinæ, cum ſucco liquiritiæ in pilulas redactorum ac ſic præſtitis ſimul veſperi induciis per anodyna, chronica & minacia mala quandoque ſuperavi. Recordor cum voluptate, valere juſſis omnibus bechicis relaxantibus, talibus ſanitati plenariæ reſtituiſſe derelictam & ad incitas redactam fœminam, quam pro phthiſica deplorata habebant omnes. Eadem pene methodo ſuperiore anno ſanavi Illuſtriſſimum Comitem, qui per ſeptimanas incredibili copia tuſſi rejiciebat viſcidam ex flavo viridescentem materiem, purulentæ colluviei ſimillimam, corpore mirum quantum contabeſcente, ad hunc diem optime valentem. Quanquam autem ut motubus nimis tumultuantibus frænum injicerem, Opio omnino uſus ſim, multa tamen cautione in hac quam loquor tuſſis ſpecie, illud exhibui. Quando enim per experientiam ſcitur, id quod antecedente §o modo monui, Opium liquida in trachea & bronchiis per glandulas ſecreta inſpiſſare, ſponte, opinor, perſpicitur, ſi cellulæ bronchiales largiore copia viſcoſi glutinis fartæ fuerint,

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 383.*

rint, tuſſim medium eſſe, quo ab onere incumbente liberetur pulmo, ſique hæc nimio uſu anodynorum ſuſpendatur, facile aſthma non levioris momenti ſuccedere, cujus medela dein revocationem intempeſtive ſuppreſſæ tuſſis efflagitat. Hoc ipſum ſolerter inculcat WEDELIVS, [b]) qui abundantibus craſſis humoribus in pulmonum bronchiis minus convenire opiata ait, cum ſuffocationem intentare queant, quare refractæ doſi ſaltem locum eſſe affirmat, ſi decenter maritetur cum incidentibus aut hæc interponantur. WILLISIVS [c]) etiam in tuſſi cum ſputo copioſo & craſſo, opiata rarius & non ſine cautela, & prudentis Medici conſilio, adhibenda eſſe monet. Neque minus Cl. HOFFMANNVS [d]) eapropter addenda vult opiatis purgantia, quia ab illis ſolis adhibitis tuſſim ſuppreſſam, & gravitatem pectoris cum aſthmate prognatam vidit. Eadem ratione Cel. de GORTER [e]) ſi multum viſcidi adſit, anodynis ſæpe ſuffocationem induci notat. Verum omne malum ab uſu eorum abeſt, ſi non nimis cito, nempe nondum ſatis inciſa & evacuata materia, exhibeantur, ſique purgantia & incidentia interponantur, ſobrieque cogitetur, lenimini morbi non ſanationi eadem dicata eſſe, cum hæc cauſæ remotionem primarium ſcopum ante oculos haberi velit. Prævalent certe ſi liberando a ſarcina pulmoni per evacuantia ſtuduerit Medicus, opiatis roborantia laxum ejus parenchyma, quæ omnium optime morbum expugnant, utpote decubitui habituali humorum perpetuo obicem ponentia. Non vero adeo facile eſt, dejectis a tono ſuo cellulis & vaſis pulmonalibus priſtinum robur reſtituere. Omnia pro corroborantibus habita agunt in eas partes primario, quas primo attingunt. Omnia corroborantia laxa vaſa adſtringunt, vel quod idem eſt, ampliora coarctant. Quando ergo conſtringunt & coarctant vaſa, per quæ primo decurrunt, antequam ferantur ad pulmones, id efficiunt, ut in iis contenta fluida determinentur aliorſum; quia vero jam in pulmone

b) *Opiol. lib. II. Sect. II. c. 3. p. 109.*

c) *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VI. p. 192.*

d) *Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 391.*

e) *Med. dogmat. Cap. III. p. 219.*

minima eſt reſiſtentia, determinabuntur maximam partem ad pulmones, ideoque his corroborantibus malum quandoque augebitur. Ex his conſiderationibus liquet, non ſimul & ſemel conſuli poſſe laxis pulmonibus, & quo fortius adſtrictururn ſit remedium, eo ſæpe minus illud robur ipſis conciliaturum fore. Magni uſus eſt rheum ſenſim roborans & ſimul revellens, neque tamen uſu caret cortex peruvianus in decocto, ſed maxime juvat ſi id levius primo, dein ſaturatius exhibeatur melle edulcoratum. Pulchre quoque proſunt jam laudatæ pilulæ ex olibano, maſtiche, ſarcocolla myrrha, ſucco catechu terebinthina ſucco liquiritiæ exceptis. Vix vero datur præſentius & præſtantius roborans pulmonicum, quam aer ſerenus & ſiccus, ſub equitatione maxime in hoc viſcus immediate admiſſus; vel fumo ex adſperſo prunis ſuccino, maſtiche, olibano, ſtyrace, gummi benzoes, medicinalis redditus, & crebro inſpiratus, quo membrana tracheæ & bronchiorum egregie firmatur. Talia ſuffimigia in genere laudantur a MEIBOMIO & SCHVLZIO diſſertationibus peculiaribus. Fumum ex ejusmodis gummi-reſinis balſamicis, vel ore vel naribus attractum, dum immediate tangit latera laryngis & tracheæ, idem ibi facere dicit de GORTER [f]) quod fieri experimur in ſuperficie corporis, ubi ille vapor facit exſiccationem & roborationem partis, inhibetque humorum ſpontaneam corruptelam, quare hujusmodi fumum in tuſſi humida cum membranæ internæ relaxatione, excellere dicit. Prodeſt quoque ejusmodi ægris, ut obſervavi ipſe, vere & æſtate ruſticari, & verſari inter abietes & pineta, atque ibi aerem terebinthinaceis effluviis gravidum inter ambulandum inſpirare.

f) *Med. dogm. Cap. III. p. 207. 215.*

## §. XXIX.

*Tuſſis epidemica.*

Venio ad tuſſim epidemicam, cujus cauſa cum aëre excepta ipſi tracheæ & bronchiis ſeſe infigere apta eſt.

Generari poſſe in aere acrem ſtimulum, huncque in corporibus plurimorum hominum, cum illo ore exceptum varios morbos epidemice graſſantes producere ſolere, ſatis inter Medicos evictum eſt. Ut vero talis ſtimulus in Ventriculum & inteſtina deglutitione delatus cardialgias, vomitiones, diarrhœas, dyſenterias, febres epidemicas excludit, ita etiam alio tempore tracheam inſpiratione ingreſſus tuſſes epidemicas ſolet excludere, vel ſine febre affligentes, vel febre ſtipatas, quando nempe ſimul villos cordis & arteriarum laceſſere & ad crebriores contractiones invitare aptus eſt. Leviores tuſſes epidemicas a ſolo aere frigidiori, calenti præcipue corpori admiſſo, catarrhales dicendas, jam explicui. Graviores vero etiam, quæ flante auſtro & aquilone aërisque ſubitis viciſſitudinibus, nil acris & maligni habentis exoriuntur, cutisque ſpiraculis modo patentibus, modo ſubito iterum excluſis debentur, ad catarrhales ſaltem referendas cenſeo, ſecus ac illas, quæ poſt calores æſtivos valde tepido aut frigidiuſculo autumno graſſantur, atque aliquid putridi & ſeptici in aëre oberrans ſupponunt, quod ſpeciatim villos nervoſos tracheæ irritat, licet perſpirationis ſuppreſſio queat concurrere. Ejusmodi tuſſis ſtimulo epidemico debita, ut dixi, vel ſola affligit, vel febrem habet ſociam, ut de Catarrho & tuſſi epidemica, quæ anno 1580. totam fere Europam pervagata eſt notavit SENNERTVS,[a]) aut eam facile habet pediſſequam, ut de Tuſſi epidemica anni 1675, cui febris pleuritica & peripneumonica ſupervenie bat, SYDENHAMVS[b]) memorat. In medicatione rationali talium tuſſium, conſtitutionis epidemicæ ratio, ſibi non ſemper ſimilis, indaganda eſt; in illa quam deſcripſit SENNERTVS, omnes fere moriebantur, quibus vena aperiebatur, in illa quam deſcriptam dedit SYDENHAMVS, profuit VS., & catharſis. In priore, nulla prorſus anodynorum, cum fere purgantibus & incraſſantibus pectoralibus cederet, mentio injicitur a SENNERTO; in poſteriore, non

a) *de febribus lib. IV. c. 17.*

b) *Operum p. 304. ſeq.*

non vacaſſe periculo tuſſim narcoticis & anodynis aggredi, periculoſa etiam fuiſſe calida remedia refert SYDENHAMUS. [c]) Facile clarum eſt, non aliam ob cauſam calida remedia, ad quæ etiam Opium pertinet, nocuiſſe, quam quod febri omni acutæ inflammatoriæ in genere, tum & pleuritidi non conveniant. In alia etiam tuſſe epidemica febrili, in cujus medela ſudorifera non tuta fuerunt & data facile pleureſin invitarunt, Opium non adhibuit Vir optimus, illam adeo ſine pectoralibus omnibus, VSe; catharticis & epiſpaſtico expugnans. [d]) Opium certe abeſſe prorſus debet a febre & pleuritide, (niſi hæc pertinax poſt copioſas evacuationes nihilominus perduret, quo in caſu epotum oleum cum grano opii laudat Cel. de HAEN. [e])) melius ſemper id fert ſimplex ſine febre manifeſta Catarrhus.

c) *p. 308.*

d) *p. 302. ſeq.*

e) *Ration. Med. Part. I. p. 41. 42.*

## §. XXX.

*Tuſſis ab acrimonia humorum.*

Non obliviſcar jam illius tuſſis, quæ cauſam habet omnem humorum maſſam acrimonia ſpecifica infectam, in aliis viſceribus alia incommoda, in pulmonibus membranam tracheæ irritando, tuſſim progenerante.

Huc ſpectat cachectica, arthritica, ſcorbutica, rhevmatica, eryſipelatoſa, varioloſa, morbilloſa acrimonia, aqua hydropis calidi, pus & ichor humoribus inhærens. Facile vero patet hic curandum eſſe morbum principem, non tuſſim, quæ donec ille ſanatus eſt, ſi nil contraindicet, opio quandoque falli poteſt. Semper tamen antea ſollicite ponderandum, an morbus ipſe, & ejus decurſus, ejusque ſolutio opium ferat, an forte hoc remedio dum mulcetur tuſſis ſymptomatica, morbus gravior reddatur. Cachexiæ, Arthritidi, Scorbuto, Rhevmatiſmo, Eryſipelati pro ſuo ingenio magis obeſt Opium, quam prodeſt, ut antea paſſim evici. Variolis & Morbillis ſaltem ſub certis conditionibus, quas ſuo loco expoſui, convenit. De Hydrope & Phthiſi adhuc dicam alibi.

Ad latus vero huic tuſſis ſpeciei poni debet illa, quando acris materies antea hærens in partibus ignobilioribus externis, inque has vi vitæ depoſita, mala metaſtaſi autem ad interiora iterum repreſſa, in tracheales & bronchiales glandulas deponitur, tuncque demum membranam nervoſam ſuperincumbentem irritat.

Huc ſpectat tuſſis ex ſcabie, tinea, achoribus, gutta roſacea, arthritide, podagra, ſero œdematoſo, ſudore pedum, acribus ſordibus ex vetuſtis ulceribus pedum, recedentibus, vel retropulſis.

Revellentia a pectore, & attrahentia ad loca quibus antea inſidebat materies, hic ſunt indicata remedia, quare alvum laxantia, pediluvia, fomenta, epiſpaſtica, veſicantia, fonticuli, diuretica, ſudorifera, pulchre proſunt. De tuſſi ab arthritica materie retroacta ſpeciatim legi meretur MVSGRAVIVS. [f]) Neque vero in his omnibus tuſſis ſpeciebus reformidanda ſunt Opiata, non enim ita comparata eſt earum materies, ut excerni per aſperam arteriam queat, & eapropter motus excuſſorios mitigaviſſe, periculoſum haberi queat. Quin potius ſi hi nimii fuerint, & eos componunt hæc remedia, & valide ſimul ab interioribus ad exteriora acres humores determinant, diaphoreſin movendo, ſicque intentioni Medentis, quæ nulla alia eſſe poteſt quam hæc, non ſaltem non adverſantur, ſed exacte reſpondent.

f) *de Arthritide Anomala Cap. XI.*

§. XXXI.

*Tuſſis plethorica.*

Nunc autem contemplari mihi liceat Tuſſim ſiccam Juvenum plethoricorum, narium hæmorrhagiis antea adſuetorum, virguncularum & fœmellarum menſium emanſione aut ſuppreſſione laborantium. Hæc pro fundamento habet, affluxum ſanguinis largiorem ad pulmones, vaſculaque ejus diducta & tumida, ſenſimque anevriſmatica & varicoſa

ricoſa reddita. His nempe adjacentes membranoſæ cellulæ bronchiales premuntur & irritantur.

Hæc tuſſis violentis concuſſionibus, iisque repetitis facile in hæmoptyſin abit, dum per illas tumor varicoſus vel anevriſmaticus facile rumpitur, ſanguinemque ſuum in cellulas & bronchia effundit. Ex hac morbi idea fluit, Curationis cardinem in eo verti, ut impetuoſus ſanguinis affluxus revellatur a pulmone, rupturæque periculum a vaſis arterioſis & venoſis avertatur. Utendum igitur, repetitis ſi opus, miſſionibus ſanguinis, purgantibusque antiphlogiſticis, ſed talibus, quæ ſine acri ſtimulo agunt, tum & emulſionibus, nitroſis, & pediluviis. Ita onere levato vaſa pulmonica ſeſe contrahent, atque ſic ceſſabit veſicularum preſſio, irritatio, & tuſſis. Dum autem hæc aguntur, cavendum erit ſollicite ab omni cauſa, quæ ſanguinis curſum accelerat, & ad pulmones determinat, quare motus corporis paulo fortior, omnia acria aromatica, calefacientia, comeſſationes, vinum procul debebunt abeſſe. Nonne vero Opium, quod hæmoptyſi jam natæ ſi congruis remediis jungatur, apprime convenit, & huic tuſſi hæmoptoen minanti coercendæ æque aptum erit remedium? Reminiſcamur cautionum illarum, quas ſect. II. Cap. I. de hæmoptoe agens circa adhibitionem opii ſuppeditavi. Revocemus in memoriam, Opium accelerare motum ſanguinis, ſanguinemque rarefacere ac eſſe remedium acre & aromaticum, agere ut vinum, igitur his dotibus noxium magis eſſe, quam ſua ſopiente virtute ſalutare, atque inſuper inſita vi hæmoptyſi ciendæ par eſſe. In hæmoptoe jam nata, cruoreque in veſiculas extravaſato, ſi ſumma vehementia adfligat tuſſis ſymptomatica, aliis agendis ſimul actis, hujus ſolius reſpectu indicatur opium. In hac tuſſi quam nunc loquor, ſanguine ſuis vaſis dilatatis licet, adhuc coercito ne hæmoptyſis ſymptomatica accedat, una horum exinanitio ſæpe pro remedio ſopiente erit & ſufficiet. Si ſine hac præſtita officioſus

Medicus porrexerit Opium circulum augens & humores rarefaciens, eo citius poterit efficere, ut vaſa anevriſmatica & varicoſa dilatationis majoris impatientia crepent, atque in maribus anceps hæmoptoe, in fœmellis cum ea menſium fluxus per pulmones in actum deducatur. Nequaquam ergo, licet toties alias tuſſes ſecure mitiget hoc pharmacum, hic in uſum id trahi poterit, ſed abeſſe debebit, ut alia pharmaca alioquin tuſſi optime convenientia. Emollientia & lubricantia volo, quæ vaſa turgida relaxant, affluxum majorem invitant, atque ii præſertim nulla evacuatione prægreſſa a mole diducente liberata fuerint, eorum dehiſcentiam & crepaturam faciliorem reddunt, & hæmoptyſi viam ſternunt.

Jam adhuc agere deberem de tuſſi phthiſica, ſed phthiſi reſervo ſpecialem tractationem.

§. XXXII.

*Tuſſis ſtomachalis.* Pertractavi hactenus tuſſes idiopathicas, ſequantur ſympatheticæ, inter quas primo loco referri meretur Pathologis Stomachalis appellata.

In hac, cauſa latet in Ventriculo variis cruditatibus ſcatente, a quarum mole & acrimonia irritatio propter nervum intercoſtalem & par vagum, propagatur ad diaphragma, ad pulmones, tandemque ad ipſorum membranam nervoſam, tracheam & bronchia intus veſtientem. Multum quoque facit adhærens aſperæ arteriæ œſophagus, nervulorum utrique propriorum communio, tranſitusque œſophagi per diaphragma. Talis tuſſis quando junctis ſibi ſymptomatibus, gravitate & intumeſcentia ventriculi, dejecto appetitu, nauſea, ſordibus linguæ, cardialgia, vomituque ſaburræ, quo ſæpe tuſſiendi paroxyſmus finitur, & ſtimuli ſenſu in ſcrobiculo cordis, quoties hic inſtat, & aucto ſtimulo poſt paſtum, ventriculum affectum aperte loquitur, indicationes pro ſui curatione ipſa indigitare videtur. Volunt autem hæ, 1. ut acrimonia illa quæ irritat obtundatur, & viſciditas incidatur, 2. ut minera morbi ex ventriculo excutiatur.

tiatur, 3. ut functio ventriculi languens reſtituatur. His poſitis ſtatim liquet pectoralia dicta omnia relaxantia, demulcentia, incraſſantia, mucilaginoſa, dulcia, oleoſa, nil facere ad hanc tuſſim, quin potius cauſam juvare, dum Ventriculi robur relaxant, enervant, viſcidasque ſordes in eodem magis confirmant. Multo vero nocentiora ſunt opiata, quæ digeſtioni maxime inimica habentur, atque fibras motrices totius canalis alimentorum ſenſu & motu privant, ita ut omnis vis qua excuti & promoveri ad inferius guttur poſſet mucoſa ſaburra, prorſus extinguatur, atque aſſumta omnia minus concocta in vitioſam cacochyliam fatiſcant. Turpiter igitur opiatorum exhibitione peccat Medicus, morbumque omnem quem amoliri debebat, altiores radices ſiniſtra ſua opera ipſe agere jubet. Rectiſſime Cl. STAHLIVS [a]) maleficum eſſe effectum Opii dicit, quando illud tuſſi ſtomachali ſedandæ per imprudentiam adhibetur, cum in tali caſu nil certius efficiatur, quam ut lentores in ventriculo vel & hepate hærentes velut in poſſeſſione ſua confirmentur, & qualiscunque tandem adhuc elidendi conatus reprimatur, & aſthmaticæ anguſtiæ ſuccedant. Miſſis ergo Opiatis omnibus vomitum potius ipecacuanha moviſſe, aut mannato pharmaco pauxillo tartari emetici acuato, ſimul ſurſum & deorſum exturbaſſe mali fomitem juvat. Proſunt vero etiam ſalia cum rhabarbaro, & aloe, omniaque amaricantia & aromatica digeſtioni amica; quandoque & abſorbentium aut alcalicorum præciſe ſalium ſi acidum adfuerit, uſus valde proficuus deprehenditur. Hoc apparatu ſine omni ſopiente pharmaco non raro tuſſes ſtomachales perſanavi, didicique aromatico & ſalino ſtimulo agentia, licet in aliis tuſſium ſpeciebus malum exacerbent, in hac, tantum abeſt ut irritent magis, potius pededentim morboſam irritationem medica ſua irritatione ſuperare, & extinguere.

a) *de impoſtura Opii §. 24.*

*Tuſſis cachectica.* Stomachali tuſſi jungo Tuſſim habitualem cachecticam ſeorſim conſiderandam.

Cum vitium primæ concoctionis raro emendetur in ſecunda, fieri non raro conſuevit, ut ſtomachalis tuſſis diutius durans, aut non juſta medicatione excepta habitualis reddatur, abeatque in cachecticam. In hac ergo cauſa non in ſolo hoſpitatur ventriculo, neque ab eo ſolo irritatio ad pectus propagatur, verum & ob læſam digeſtionem acribus & viſcidis ſuccis in omnem liquidorum maſſam invectis, hi deferuntur ad ipſos pulmones, ibidemque ſtabulantes tuſſiculoſam irritationem pariunt, novo commeatu ob coctiones læſas ſemper ſuccedente. Multum vero geneſi tuſſis cachecticæ ex ſimplici ſtomachali favet uſus dulcium & oleoſorum, Opiatorumque, quæ omnia digeſtionem jam læſam magis pervertunt, efficiuntque ut crudi humores per vaſa lactea in omnem liquidorum oceanum migrent, atque tum luridus pallor corporis ingruat, hocque totum grave & languens reddatur. Ut hoc ipſum Opio intempeſtive adhibito jure imputat Cl. STAHLIUS, [b]) ita inconſiderato uſui in ſedanda tuſſi ſtomachali, adeo febrilia lenta & ſenſim tabida incommoda poſſe ſuccedere, rectiſſime pronunciat. Quo enim magis laxa eſt eo tempore glandularum pulmonalium fabrica, eo magis ſentina vitioſorum humorum in easdem decumbit, quin & ſmegma blandum quod intus lubricat tracheam & bronchia, a naturali ſua dote deſciſcit, & acrimoniam præternaturalem contrahit. Facile patet, cachexiæ morbo univerſali illum mederi debere qui talem tuſſim expugnare ſtudet, opium autem inter anticachectica ullo jure referri vix crediderim. Unice hic indicantur amara aromatica, ſalina, gummi-reſinæ, ſaponacea martialia quæ viſcidum ſolvunt & actionem omnium viſcerum chymi, chyli & ſanguinis elaborationi dicatorum vegetiorem reddunt. Atoniæ

b) *diſſ. de impoſtura Opii §. 24.*

niæ pulmonum ſpecifice medentur motus corporis in aere ſereno, equitatio, & ſuffimenta ex reſinis balſamicis. Atque his præſidiis diæta congrua adjutis aliquando curari pulcherrime ſolet ejusmodi tuſſis, quæ phthiſicum jam mentiebatur, ab eo tamen differens, quod materia viſcida ex viridi flaveſcens quæ copioſius ejicitur, ſit gluten iners, non verum pus, quodque febris abſit, quæ pus in corpore ubicunque latens ſemper ſolet comitari.

* * * * *

Sequitur Tuſſis hypochondriaca, cujus fomes non ſaltem in Ventriculo, ſed profundius etiam in inteſtinis, & in omnibus imi Ventris viſceribus, debilitate & obſtructione laborantibus latet. *Tuſſis hypochondriaca.*

Hæc tuſſis ſeſe adeſſe monſtrat, non ſaltem incommodis circa Ventriculum, verum & omnibus aliis ſymptomatibus hypochondriacis, anxietatibus, ſpaſmis inteſtinorum, & flatibus. Aliquando prorſus ſicca eſt, tumque aut ſolum motus vitium ſubeſt, a mobilitate & irritabilitate ſolidorum ad tracheam propagatum, aut in colo latent ſordes & ſcybala dura, aut ſanguis per ſyſtema Venæ portarum non rite motus ſtagnando diducit & irritat nervoſas inteſtinorum membranas; aut hepatis vel lienis obſtructio & ſcirrhus diaphragma cui connectitur, mole ſua ſollicitat. Aliquando vero etiam Hypochondriaci cum expectoratione tuſſiunt, tumque cruditates primarum viarum humoribus immiſtæ ad pulmones deportantur. Omnibus his faciebus morbi pectoralia dulcia emollientia infuſa theiformia cum ipſis opiatis neutiquam convenire ſponte patet, ſed morbi principis cujus tuſſis ſymptoma eſt haberi debet ratio, de cujus medela rationali ſine opio Sect. II. egi. Evacuationum ſanguinearum ſuppreſſarum reſtitutio, ſordium per inferius guttur excluſio, ſtagnantium humorum in viſceribus imi Ventris attenuatio, horumque apertio, ventriculi & inteſti-

norum cum omnibus viſceribus abdominis corroboratio, præſtari debet. VSes, ſalia, amaricantia, aromatica, ſapones, cortex peruvianus, martialia, aquæ medicatæ palmaria remedia habentur. Egregia curationum huc facientium ſpecimina ſine Opio leguntur apud HOFFMANNVM. [c])

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 401. 415.*

§. XXXIII.

*Tuſſis convulſiva.*

Meretur adhuc Tuſſis convulſiva, ſeu ferina, ſpecialem Tractationem. Tuſſis eſt morbus reſpirationis. Reſpiratio vero motubus partim animalibus, partim vitalibus abſolvitur, id eſt voluntatis arbitrio ſubjectis, & non ſubjectis. Eapropter priorum intuitu, voluntas poteſt tuſſim excitare, imitari, & vere morboſam ad tempus etiam cohibere prorſus, vel minuere. At tuſſis convulſiva, a reliquis ſpeciebus mitioribus, poſt mediocres aliquot pectoris concuſſiones ſilentibus, in eo differt, quod paroxyſmo ingruente, is ob cauſæ gravitatem, & ſolidorum irritabilium conditiones, decurrat inſtar convulſionis, motusque vehementiſſimi ad convulſiones univerſales, & epilepſiam uſque aliquando increſcentes, omne voluntatis imperium, omnem animalem potentiam eludant, & ſuperent, & non niſi ex mechaniſmi legibus ceſſent. Quoniam vero tuſſis exſpiratione aucta abſolvitur, illa tuſſis mitior eſt, quæ non obſtantibus validis nixubus, quibus aer extruditur, novam tamen & reciprocam inſpirationem aeris ſufficiente quantitate permittit, itaque exſpirationis & inſpirationis perpetuam viciſſitudinem, circuitui ſanguinis per pulmones, & vitæ ſervandæ, abſolute neceſſariam fieri patitur. Sed in ferina conatus exſpirandi, omni licet aere inſpirato exploſo, tantus, tamque pertinax eſt, per ſtimuli vim & ſolidorum irritabilitatem ſummam, ut inſpiratio ad tempus bene longum prorſus prohibeatur, atque propterea ſuffocationis periculum inſtet. Pulmonibus igitur diu conſtrictis manentibus, & non iterum, ut fieri debebat, libere expanſis, inhibetur per eos liber ſanguinis motus, ipſa cordis functio turbatur, re-

greſſuque a capite cruori obex ponitur, hinc facies quaſi laqueus homini injectus eſſet, turgida redditur, & intenſe rubro & ex rubro cœruleſcente colore fœdatur, oculi illachrymantes protuberant, atque eouſque vaſa encephalica infarciuntur, ut paralyſis, ipſaque apoplexia generari queat. Cauſa diriſſimi hujus mali, ſymptomatumque concurrentium omnium, ac ſequelarum inde profluentium, equidem non raro eſt mordax valde & cauſticus humor, vel in corpore ipſo, vel in aere genitus, epidemicumque malum tum ingenerans; at vero ſtimuli vehementia tantis concuſſibus ciendis non ſufficit, ſed ſemper ſupponit mobilem valde, & irritabilem nervorum contextum. Eapropter tenerioris ſtructuræ homines, præcipue pueri, & qui his delicatula corporum fabrica ſunt ſimiles, fœmellæ hyſtericæ, hypochondriacique ægri, maxime tuſſi convulſiva infeſtantur. Atque in ſubjectis talibus omnis cauſa vel mediocris energiæ, quæ in aliis levioris notæ tuſſes produxiſſet, omnes ejus ſpecies hactenus explicatas in convulſivas vertere valet; ubi autem in corporibus facile mobilibus ſtimulus ſimul eſt fortior, natæ tuſſes convulſivæ neceſſario ad ſupremam rabiem adſcendunt. In omnibus vero ægris tuſſis convulſiva ob ipſam immanem feritatem ſuam, motuumque ſummum impetum, peſſimasque ſequelas inde ſæpe metuendas, vult omnino, indicat, & urget, potentius ſedativum pharmacum. Id ſine contradictione ſtatuunt omnes Practici, facientes cum WILLISIO,[a]) qui reſpirationem interruptam, & convulſivam, medicinam narcoticam deſiderare, hancque in tuſſi violenta, præ quibusvis aliis remediis juvare dicit. Vix unus certe medentum invenietur facile, qui in ea coercenda Opium cum demulcentiſſimis pharmacis, in pilulis de cynogloſſa, & ſtyrace, non cum cura ſuaſerit. Nullum quippe datur remedium ad coercendos motus animales, ſimulque ad ſenſum ſtimuli, nervos laryngis aſperæ arteriæ & bronchiorum vellicantis obtundendum,

a) *Pharm. Rat. p. 184. 185. Part. I.*

tandem ad ſummam glottidis ſtricturam relaxandam potentius. Omnes eapropter tuſſium epidemicarum vehementium deſcriptores Opiata collaudant. Interim tamen ſedulo nihilominus conſideranda eſt ægri cum quo res eſt, conſtitutio, quæ quo magis delicatula deprehenditur, eo magis circumſpectus eſſe uſus debet. Deinde morbi & cauſæ ejus ingenium ſecundum ea quæ tradidi hactenus expendendum eſt, quod ſi negligatur, duplici ratione, & illo, & hoc reſpectu, peccari poteſt. Tandem ſi Epidemia adſit, ſpecialis ejus character inveſtigandus, & remedia eidem ſpecifice convenientia, acri judicio, & obſervatione decente juvantium, & nocentium, ſunt eligenda.

§. XXXIV.

*Tuſſis rhevmatica.* Non negligenda eſt Tuſſis rhevmatica, quæ ſæpe ferina & convulſiva eſt. Rhevmatiſmus diverſas habet ſpecies, quas Sect. II. ſedulo a ſe invicem ſejunxi. Si in externis partibus ſedem fixerit, ſatis cognitu eſt facilis, in interioribus cognoſcitur difficulter, ſed ibi eſt tanto gravior, quin & periculoſus valde. Latet tuſſis rhevmatica aliquando ſub larva tuſſis catarrhalis, ſed longe alius indolis eſt, eamque duratione & pertinacia tandem ſolet deſignare. Ut rehvmatiſmus ſaniſſimis robuſtiſſimisque cœteroquin hominibus plethoricis, motis, incaleſcentibus, poſt admiſſum frigus, ſæpe ſæpius accidit, ita talibus hominibus & familiaris eſt per has cauſas pectoris interni rhevmatiſmus, ab admiſſo extus & inſpirato frigido aere, ſique hæ circumſtantiæ concurrant, tuto tuſſim rhevmaticam præſto eſſe, poſſumus aſſeverare. Quamvis vero ut jam dixi, diagnoſis ejusmodi rhevmatiſmi interni ſit anceps & difficilis, tamen præter cauſas prægreſſas externorum rhevmatiſmorum generationi per experientiam idoneas, ſi actu ſimul adſint externarum partium muſculoſarum & membranacearum dolores, aut tumores, & rubores, circa articulos concurrant, morbo partis alicujus internæ eodem tempore poſito, ad ejus

rhevma-

rhevmatiſmum præſentem concluſio valitura eſt. Neque hæc facile inanis erit, ſi rhevmatiſmus ſubito, & ſine bona cauſa ab externis partibus diſpareat, & ejus loco, internum aliquod incommodum, viſcus ex læſa ejus functione affectum loquens, ſubſequatur. Attendi vero indoles hujus mali vere enati tanto magis debet, cum methodi elegantiſſimæ, quibus aliæ tuſſes percurantur, ad hujus rhevmaticæ medelam nil faciant. Etenim dum veram inflammationem, ſeroſam licet, & in ſuppurationem non vergentem, talis rhevmatiſmus pulmonalis & trachealis involvat, & febre etiam ſtipetur, nil juvant dicta anticatarrhalia; ſed ut in rhevmatiſmo externo, febrili, VSes repetitæ, purgationes antiphlogiſticæ, cum diæta tenuiſſima & blandiſſima, unice proſunt. Quouſque vero, & ſub quibus cautionibus, hic locum habeat Opium, capite de Rhevmatiſmo expoſui. Non me diffundam in explicatione aliarum ſpecierum rhevmatiſmi, quæ ut in exterioribus, ita & in interioribus locum habent, & tuſſis varias formas ſiſtunt, cum ex illis quæ ibi attuli, peti hæc debeant.

Taceo vero hic prorſus tuſſes aliis morbis junctas ceu ſymptomata, peripneumoniæ, pleuritidi, tendinum læſionibus, dentitioni, vermibus, &c. cum morbi principis medelam velint. De tuſſi phthiſica autem agam ex inſtituto. Tuſſim a coſta fracta Opium minuere YOÛNGIVS notavit.

§. XXXV.

Antequam huic argumento de tuſſi, finem imponam, ſupereſſe intelligo, aliquod in cura arduum momentum, quod omittere nequeo. Scilicet ob ſolum motuum impetum, qui cum pectore totum corpus concutit, non raro alios morbos, ſe aut æque graves, aut adhuc graviores, ingignit tuſſis, qua de cauſa & morbus præſens curari, & qui ab eo imminet, præpediri a Medico debet. In ſupremo quidem Ventre agrypnia, dolor capitis, ophthalmia, narium hæmorrhagia, vertigo, apoplexia; in medio hæmoptyſis,

*Cautelæ quædam circa medelam tuſſis.*

ptyſis, & quæ inde ſequuntur mala, febris, peripneumonica, gibboſitas, cordis palpitatio, aſthma, ſuffocationis metus; in infimo involuntaria urinæ & alvi excretio, prolapſus uteri, abortus, hernia, vomitus, ſingultus; in toto corpore debilitas, languor, macies, convulſio, epilepſia, a nimis violenta tuſſi, non raro exoriuntur. Quosdam ejus effectus ex memoratis, qui ex nimis aggeſto in pulmonibus, vel commoto fortius per vaſa totius corporis, & verſus caput protruſo ſanguine oriuntur, egregie præcavet VS, in plethoricis, & ſanguineas excretiones ſuppreſſas habentibus, eapropter ſumme ſæpe neceſſaria, quamvis tuſſis in ſe conſiderata eam haud indicet. Omnibus autem avertendis, dum omnes a forti concuſſione proveniunt, feliciſſime haud raro inſervit ſopiens opium, quod ſolum incommoda graviſſima, quæ vel per omne reliquum vitæ tempus ægro permoleſta, vel ſubito funeſta eſſe poterant, potentiſſime præſcindit. Talia ſi ante fores eſſe, atque ſi vehementius tuſſire perrexerit æger, certo invaſura eum fore, ſagax intelligat Medicus, aut ſi forte quod pejus eſt, jam adſint, quin & ante tuſſim ægrum detinuerint, ſæpe hyſteron proteron practicum committere, & antequam de cauſa expugnanda cogitet, motus nimis efferos mitigare, conſultum habere debet; aut ſi etiam mediocres ægri conſtitutio non ferre, ipſaque tuſſis ex ſua natura opium non aut nondum requirere videatur, minus malum eo inducere cogetur, ut majus avertat. Saltem bonus Medicus hic cogitare tenebitur, Opium ad motus tuſſiculoſos ſedandos valde ſub enarratis conditionibus neceſſarium, maxime ſi ſæpe aut largius detur, ſanguinem in turgorem & celeritatem adigere, inque capite & pulmone copioſius congerere, ſicque ipſius tuſſis effectus ab accelerato circuitu ſanguinis, ejusque expanſione, ac congeſtione in pulmone, & capite, pendentes, graviores reddi, præcipue ſi illa opio non ſtatim obediat. Eapropter per ſectam Venam minuta plethora, liberiorique

flumine

flumine ſanguini conciliato, tanto pulchrius ſuccedit, & ſecurior evadit neceſſaria Opii adhibitio. Duplici hoc præſidio ſibi ſubjuncto, me aliquoties & tuſſim ipſam mitigaſſe, & gravia mala quæ minabatur, præoccupaſſe, pulchre memini.

§. XXXVI.

Tuſſim derelinquens ad conſiderationem Aſthmatis progredior, cujus multiplex omnino cauſarum intuitu eſt facies, quæque adeo indagari, cognoſci, & expendi debent quam accuratiſſime, ut juſta medicatione morbus excipiatur. Cauſa proxima ſemper eſt, impedita libertas naturalis conſtrictionis & expanſionis reciprocæ Pulmonum, cauſa vero impedimentum utrique motui pariens vel hæret in interna vaſculoſa & veſiculoſa pulmonum ſubſtantia, hancque opplet, obſtruit, conſtringit; vel ab extra propius aut remotius comprimit pulmones, & liberam eorum expanſionem impedit; vel a nervorum organis reſpirationis dicatorum vitio pendet. Interdum etiam non una aſthmatis cauſa eſt, ſed duæ, quin plures concurrunt. *Aſthma.*

Opplentur & obſtruuntur pulmones, a materia lenta & viſcida in bronchiis ſtabulante, a ſero hydropico in cellulas bronchiales effuſo, ab hydatidibus, a ſanguine plethorico, menſium & hæmorrhoidum excretione impedita retento, celeriter per vaſa moto, inflammatorio; a materia polypoſa vaſa habitante, a tuberculis crudis, a vomica, a pure ſtagnante & continuitatem parenchymatis exedente, a ſcirrho.

Conſtringuntur cellulæ bronchiales, ab acri ſanguini inhærente, vel dum ex ejus maſſa ablegatum ad externas partes fuerat quomodocunque iterum repreſſo, ſcabioſo, arthritico, podagrico, eryſipelaceo, varioloſo, morbilloſo; ab inſpiratis atomis arſenici, calcis vivæ, ſaturni, mercurii, acidorumque mineralium; ab aere frigido ventoſo.

Comprimuntur pulmones per molem externam; a ſteatomate, ipſos obſidente, a ſero hydropico in cavo pectoris vel pericardii fluctuante, a polypo cordis, ab anevriſmate

riſmate aortæ; a flatibus Ventriculum & inteſtina expandentibus, a tumore hepatis, lienis, uteri, glandularum meſenterii & inteſtinalium, a ſero aſcitico, quibus omnibus diaphragma ſurſum urgetur ejusque motus liber præpeditur, a tumore lateris pleuritico, a gibboſitate, a collo ſtrumoſo.

Vitio nervorum in motu turbantur pulmones a paralyſi, ſpaſmo, convulſione partium reſpirationi ſervientium; ab inordinato liquidi nervoſi motu in paſſione hypochondriaca & hyſterica, ab affectubus animi.

Omnes hæ cauſæ excludunt vel aſthma humidum vel ſiccum vel convulſivum. Humidum cum excretione materiæ humidæ & viſcidæ adfligit, ſiccum ſine excretione alicujus materiæ adeſt, convulſivum ſumma conſtrictione repente invadit cum præſentaneo ſuffocationis metu atque per paroxyſmos certis periodis maxime noctu invadere ſolet.

§. XXXVII.

*Opium aſthmati in genere conſiderato adverſum.*

Cauſæ omnium trium ſpecierum expenſæ, cum ipſo omnis aſthmatis in genere, & uniuscujusque ſingulari ingenio faciunt, ut clarum reddatur, Opium raro boni quid præſtare, interdum palliare, nocere ſæpe multum. Non me latet in hoc morbo ſanando Veteribus placuiſſe theriacam, quam auxiliari ſuſpirioſis, ex aqua mulſa, exhibitam, & attenuare viſcidos humores, AETIVS [a]) affirmat. Hunc ſecuti ſunt multi Medentum, videoque PISONEM [b]) mithridatium & theriacam in aſthmate, ob exſiccantem virtutem laudare. Inter Recentiores WEDELIVS, [c]) quanquam aliorum Practicorum negativam ſententiam non ignoret, tamen Opii uſui in aſthmate patrocinari non dubitat, ad Veteres qui anheloſis & ſuſpirioſis theriacam jam præſcripſerunt, provocans. Eorum ſine dubio veſtigia legens SENNERTVS [d]) tempore paroxyſmi aſthmatici Theriacam vel Mithridatium in ore teneri, & ſenſim aliquid deglutiri poſſe ſcribit. FLOYERVS [e]) etiam in aſthmaticis paroxyſmo poſt clyſmata, emetica, VSem, Veſicatoria, Opiata ſuadet, ad

a) *Tetrab. IIII. Serm. I. c. 96.*
b) *lib. 2. c. 5. p. 335.*
c) *Opiol. p. 110. 111.*
d) *lib. II. Part. III. c. II. p. 328.*
e) *A Treatiſe of the Aſthma Lond. 1698.*

ad membranarum Ventriculi & Pulmonum inflationem ſufflaminandam. Verum enim vero, ut aliorum calculos adjectos miſſos faciam, Sect. I. inter phœnomena opium aſſumtum inſequentia per Experientiam IV. conſtitit, id ex ſua naturali agendi ratione, reſpirationem citatiorem & difficiliorem inducere homini, antea ſat libere ſpiranti; Quare firma concluſione inſequetur, diſpnœa & orthopnœa jam laborantibus opium nequaquam conducere poſſe. Atque hoc ipſum non potuit non ab attentis ſine præjudicio Practicis animadverſum eſſe. Bene WILLISIVS [f]) in Orthopnœa, aſthmate, & quibusvis cum pulmonum oppreſſione affectubus thoracicis, narcotica rarius, & non ſine cautela exhibenda ſcripſit. Atque qui in *Opiologia*, [g]) bene ſciens, parum de felici uſu Opiatorum in aſthmate conſtare, quin ea potius prohiberi, ut quæ reſpirationem potius difficiliorem reddant, quam facilitent, adhibitionem eorum tueri nihilominus ſuſcipit, laudatus WEDELIVS, tamen alio loco [h]) diſertis verbis dicit: *Laboret vigiliis aſthmaticus, anxietate inſigni ſimul correptus, abſit Opium.* Dum caſum Puellæ a pilula Opii ſopore necatæ recenſet STALPART van der WIEL, [i]) notanter addit: *Puellæ illi imprimis obfuit Opium, utpote quæ aſthmatica erat, ac dorſo ingentem gibbum portabat. Gibboſis enim cautiores Scriptores narcotica præſcribi nolunt, quos inter & Berovicius eſt, qui Theſauri ſanitatis Part. I. c. XIV. p. 142. Anheloſis & pectore oppreſſis, nunquam Opium & hypnotica exhibenda eſſe monet.* Eandem quoque cautelam practicam ſuppeditat TVLPIVS, [k]) quando Opium anguſto pectori periculoſum declarat. Certe quando omnes aſthmatici conſiderandi ſunt tanquam homines anguſto pectore præditi; quando omne Aſthma cujuscunque ſit naturæ, pulmones non ſecundum naturam expanſos & conſtrictos ſupponit, ut in Gibboſis, adeoque ob hunc motum reciprocum deficientem, tranſitum ſanguinis per pulmones difficilem ſemper involvit, facile

f) *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. VI. p. 192.*

g) *p. 110. 111.*

h) *Amœn. Mat. Med. lib. II ſect. II. c. 14. p. 444.*

i) *Obſerv. rariorum Obſ. 42.*

k) *Monit. Med. in calce obſervationum p. 387.*

conſtat, ſi vis cordis increſcat, ac moles movendorum rarefactione humoribus omnibus inducta augeatur per opium, aſthma jam præſens neceſſario augeri debere, quia ſolus celerior calidioris & rarefacti ſanguinis per pulmones trajectus ſtatim reſpirandi difficultatem parit. Monuit Cl. YOUNG, durante ſomno ob ſanguinis volumen tum auctum, aſthmata omnia ingraveſcere, eorumque paroxyſmos increſcere, quare Opium cujus agendi rationem ex idea ſomni naturalis explicat, eundem in aſthmaticis, quin majorem multo effectum producet. Atque hoc ipſum vel exinde clariſſime patet, quod manente etiam cauſa aſthmatis qualicunque, VS, impetum circuli infringendo, molem movendorum minuendo, & tranſitum illorum per pulmones facilitando, Aſthma ſæpe nihilominus extemplo minuat. Sine reſpectu ad cauſam in paroxyſmo ſtatim venam eſſe ſecandam injungit RIVERIVS,[l]) nam *depletis ſanguine venis* inquit *liberior erit Reſpiratio.* Eadem ratione PITCARNIVS,[m]) *ſi ſumma ſit reſpirationis difficultas*, ait, *cum metu ſuffocationis, vena ſemper eſt ſecanda, nam VS. ſemper paroxyſmum minuit, & ægrum levat, datque inducias, donec de aliis remediis proſpiciatur.* Neque aliter judicat MEAD[n]) *Multiplex aſthma* inquiens, *multiplicem poſtulat Medicinam, in omni autem ejus genere auxilium eſt, niſi aliquid prohibeat, in ſanguinis detractione.* Quodſi ergo VS. ſemper aſthma levat, molem movendorum per pulmones minuendo, Opium, quod per ſe aſthma ingenerat, & actione ſua in corpus actioni VSis, e diametro contrariatur, dum molem movendorum, rarefactione inducta auget, nunquam huic morbo conducet.

l) *Prax. Med. lib. VII. c. 1. p. 246.*
m) *Elem. Med. lib. II. c. 15. p. 152.*
n) *Monit. Med. p. 63.*

## §. XXXVIII.

*nec cauſis ejus quadrat.*

Forte autem dum in genere conſiderato non convenit, conveniet ſpeciatim nunc conſiderando, removebitque aliquas ejus cauſas potentius. Verum rarius ipſi hanc poteſtatem eſſe, inſpectio omnium a me enarratarum liquido

poterit

poterit docere. Non neceſſarium habeo, ut ſigillatim omnes aſthmatum ſpecies contempler, maxime cum aliquibus cauſarum reſpectu magna ſit convenientia cum tuſſi, eaque propter ex antea modo dictis uſus & abuſus hujus remedii queat conſtare. Quis Medicorum ratione utens in aſthmate, a lentore viſcido, cellulas bronchiales canalesque bronchiorum infarciente, enato, anodynum exhibendum ſtatueret? cum Opium inter alias excretiones quas cohibet, etiam trachealem ſuſpendat, mucique qui omni opera removendus eſt, moræ, inſpiſſationi, & coacervationi, apprime faveat. Sane in aſthmate pituitoſo ut recte monet WALDSCHMIED, [a]) periculoſum eſt Opium, cujus uſu ægri in ſuffocationis metum præcipitantur, quin MEADIO [b]) judice, prorſus peſtiferum. Nonne enim loco ſopientium, omnibus indicationibus contrariorum, omnia acria ſtimulantia hic potius indicantur? Proſunt unice clyſmata ex acribus, balnea pulmonica quibus acetum vel ſal ammoniacus additus eſt, radices acres, oxymel, ſcilla, allium, gummata ſtimulantia, ſalia fixa & volatilia, purgantia reſinoſa ſolventia, ☿alia, antimonialia diuretica, veſicatoria quin & interdum vomitoria, ſi metus ſuffocationis inſtet, & eorum uſus per ſectam venam, minuta lentorum humorum mole ſecurior fuerit redditus. Hæc qui cogitat, ſimulque perpendit, tuſſi ſæpe artificiali opus eſſe, ut ejus ope liberetur pulmo a gravante ſarcina, ſedulo abſtinebit ab Opio, quietem intempeſtivam & valde noxiam futuram, pectori inducere apto. Sique forte cum aſthmate pituitoſo complicetur tuſſis, tantum aberit, ut hanc ſupprimere laborabit peritus artifex, ut potius eam ut ſalubre medium conſideraturus ſit, cujus beneficio & ejus, & aſthmatis cauſa eliminanda veniat, quæ ſi Opio dato reſtitet, ægrum in ſummas ſpirandi anguſtias, & ni ſuffocetur brevi, in cachexiam & hydropem detrudet. Inter ſacrum & ſaxum ſæpe hæret cum ægro Medicus, quando æqua fere vi affligunt, aut alterna nequitia

a) *in Monitis med. circa Opium p. 14.*
b) *Monit. med. p. 64.*

vexant in ejusmodi caſibus, & tuſſis, & aſthma, cavendum tamen ſedulo eſt, ne frænum injiciendo illi, hoc gravius & periculoſius reddatur, dum illa ſibi permiſſa, & ſuam, & aſthmatis cauſam eliminaſſet. Obverſatur memoriæ meæ Nobilis fœmina, ſucci plena, & ſedentariam vitam amans, aſthmate humido & pituitoſo per intervalla graviter adflicta, tuſſeque concurrente eam copiam phlegmatum rejiciens, ut malo fere in habitum abeunti fluoris albi pulmonici nomen non incongrue imponi potuiſſet. Tanta autem vehementia ſæpe invaleſcebat immanis tuſſis, ut non ſaltem omnem ſomnum excuteret, ſed & convulſivi quippiam habens reſpirandi libertatem mirum quantum interciperet. Coactus his ærumnis exhibui interdum lenius anodynum veſpertinum, ſed ſilente ad tempus tuſſi ſemper major anxietas fuit inſecuta, adeo ut tuſſim urgentiſſimam licet, non niſi emulſivis & oleoſis delinire debuerim, donec cum aſthmate Emulſionibus mannatis, pilulisque ex ſucco liquirit. gumm. ammon. myrrha, maſtiche olibano, & rheo confectis, ad tempus cederet.

Ut vero ad aſthma a lenta pituita Opium non quadrat, ita multo minus ad ſanguineum, quod ex antecedente §o jam innotuit. Sanguinem quippe plethoricum, ſi difficili reſpirationi occaſionem præbuerit, magis commovet & expandit, ſicque morbum graviorem reddit, inflammatorio nunquam convenit, polypum, ſcirrhum, tubercula, vomicam tectam vel apertam non aufert, acria inſpirata non lenit, nullam deinde cauſarum extus pulmones comprimentium tollit. Forte vero dum potentius diaphoreſin movet Opium, alias quasdam cauſas aſthmatis, per cutis cribrum poterit amoliri. Ita acri humori a peripheria corporis quam habitare debebat, ad interiora repulſo & incumbenti interioribus reſpirationis organis, ad exteriora iterum propellendo, ut verbi gratia arthritico, & podagrico anomalo, bene conveniens videtur pharmacum, quemadmodum aliis

morbis,

morbis, ab ejus retroceſſione pendentibus, convenire di-
ctum fuit alibi. At non movere poteſt diaphoreſin, quin augeat cordis vires, quin celeriorem reddat circulum, quin expandat ſanguinem, quin eo obruat pulmones, ſic igitur aſthma aliquod novum antea ingenerare, & eo jam præſens gravius reddere debet Opium, quam foras propellere poterit ejus cauſam. Vix vero cum alibi non liceat, in Praxi medica licebit facere malum, ut inde eveniat bonum, cumque alia ſat multa dentur, quæ motum ſanguinis ad peripheriam invitare blanditer valent, eum non ſimul nimis commoventia & rarefacientia, tutius erit eadem tali in caſu vocare in ſubſidium, præ Opio. Accedit, Animales potentias in ſua actione minuere Opium, ut Sect. I. Cap. II. Exper. IX. conſtitit; cum vero hæ magnam partem abſolvant reſpirationis negotium, id ipſum impediri neceſſario debet ab hoc remedio, etiamſi vires vitales non augeret, quod tamen dum facit, duplici reſpectu aſthma jam præſens gravius reddit. Atque quamvis rationes has, quas expono, a ſe forte haud perſpectas, non addat, vere tamen aſthmati arthritico non quadrare opium, practicus & ſatis idoneus teſtis docuit MUSGRAVE, c) quando opiata perperam adhibita miaſma pectori infigere ſcribit, atque Hiſtoria prima adoleſcentem ſiſtit, ab Arthritide aſthmaticum & ab Empirico nequam propter agrypniam paregorico exhibito peremptum, adſcribens ſimul ſincerum monitum, τοῖς ἱεροῖσι τὰ ἱερά.

c) *de Arthrit. Anomala Cap. X. pag. mihi 80. & 83.*

§. XXXIX.

*An aſthmati a mobilitate nervorum, & convulſivo conferat?*

Verum enim vero cadente etiam ſub enarratis morbi conditionibus uſu opii, quia tamen id potentiſſime motus quosdam corporis coercet, in aſthmate a ſolo motuum vitio, ſine materia pendente, neceſſario erit valde proficuum pharmacum. Nonne ergo conducet aſthmati hypochondriaco & hyſterico, ſi in utroque ſola ataxia ſpirituum peccaverit? Id certe negari equidem nequit, at cautionibus tamen ſummis opus eſt, quas relegi velim, in prægreſſa

tractatione ſpeciali, de his ægritudinibus, quicquid etiam WEDELIUS [a]) de uſu Opii in aſthmate hypochondriaco, vaporum ad diaphragma & pulmones adſcenſum præpedientis, loquatur. Verum eſt, ubi flatus & qui iis præſentibus nunquam abſunt ſpaſticæ inteſtinorum ſtricturæ ægrum nimis affligunt, Opium inter carminativa princeps, additum aliis magnum lenimen cito ſæpe elargiri. Ita aſthma ſenile flatulentum oppugnans LENTILIUS [b]) bene aquis, tincturis, oleisque carminantibus eſſentiam anodynam adjecit, qui tamen alibi aſthma hypochondriacum ſine omni opio aliis remediis curandum voluit, quo ſane ſaltem palliatio ſymptomatum hypochondriacorum quorumcunque obtinetur, rediturorum fortius, ſi ſæpius Opio excipiantur. Pulchre vero id ſe gerit, in omni aſthmate a tumultuoſa affectuum exorbitantium intemperie, ut ira & terrore enato, dum nil in corpore peccat, quam anomalia motuum.

a) *Opiol.* p. 110. 111.

b) *Jatrom.* p. 91. 137. 138.

Sed nulli aſthmati curando magis competere, nullius magis ſpecificum antidotum exiſtere Opium credibile erit, quam illius quod convulſivum Medicis audit, quodque cum ſumma totius thoracis faucium cellularumque bronchialium ſtrictura invadit, tremendumque ſuffocationis ſupplicium minatur, atque ob communionem nervorum ſpaſmum per omnem ambitum thoracis perque brachia propagat, quin ad artus inferiores uſque excurrere facit, qui adeo eapropter interdum convelluntur. Tunc ſane animales vires ad reſpirationem facientes ad ſummum actionis ſuæ gradum præter naturam evectas, debilitare, conſtrictionesque morboſas omnium organorum pneumonicorum relaxare intereſt, remediorum ſopientium ſummo, cum in aliis aſthmatum ſpeciebus hactenus expoſitis, ſæpe nimia partium illarum relaxatio jam peccet, quæ dato Opio in damnum ægri juvaretur. Eapropter in paroxyſmo Aſthmatis convulſivi omnis generis, cum ſucceſſu dari ſolere ſcribit, non ſaltem liquorem CC. ſucc., ſpiritum ſalis ammon. & ſpiritum fuli-

gínis,

ginis, ſed & MP. de cynogl. Decus olim Medicorum Vratislavienſium Ill. de HELWICH, [c]) atque hac ſola Piſtorem hoc morbo laborantem a ſe reſtitutum recenſet. [d]) Monuerat etiam WILLISIVS, [e]) in paroxyſmis aſthmaticis convulſivis, ubi reſpirationis organis laborioſiſſime exercitatis, affecti in ipſius mortis agone poſiti videntur, Opiatorum per idoneas doſes quaſi deum ex machina, omnia mox ſerena & tranquilla reddere. Alibi [f]) interim poſtquam in paroxyſmo aſthmatis convulſivi, omnia antiſpaſmodica paſſionibus hyſtericis convenientia, Spiritum CC., fulig. ſalis amm. &c. cum Opiatis commendavit, tamen addit, hæc non ſine magna cautione propinanda eſſe, quia cum reſpirationem quæ jam difficilis & præpedita eſt amplius & nimis impediant, non raro in vitæ diſcrimen adducunt. Sed majori adhuc fiducia Opiata multum conferre Aſthmati reſpectu paroxyſmi præcipue, aſſerit ETTMVLLERVS, [g]) quando inordinatæ pectoris motiones a nimio impetu ſpirituum pendent, ipſeque aſthma a podagra retrocedente natum omni veſpera repetens, declinavit theriaca imminente paroxyſmo exhibita. Atque qui in Medicina ſyſtematica de aſthmate convulſivo agens Opium prorſus tacet HOFFMANNVS, tamen in diſſertatione antea edita, quæ compendioſam & clinicam Praxin morborum ſpaſmodico-convulſivorum ſiſtit, [h]) ſpiritum Corn. Cerv. cum Eſſ. caſtor. & pauxillo eſſentiæ anodynæ commendat. VATERVS [i]) etiam, in aſthmate convulſivo Opiata, licet in refracta doſi, concedit. Tanti vero ea facit Celeb. MEAD [k]) ut quanquam in aſthmate pituitoſo anodyna remedia peſtifera eſſe declaret, in convulſivo plurimum proficere affirmet, in quo aſſerto conſentientem ſibi habet Cl. YOUNG. Verum optimos hos Viros, in exhibendo Opio & parcos & cautos fiducia in hoc remedium & id adhibendi liberalitate longe ſuperat Humfredus RIDLEY. [l]) Is nempe nullis aliis remediis tam facile cedere hujus affectus paroxyſmum teſtatur, quam

c) *M. N. C. Cent. II. obſ. 48.*

d) *Hiſt. Morb. Vrat. 1699. p. 29.*

e) *Pharmac. Rat. Part. I. ſect. VII. c. 1. p. 184. 185.*

f) *Part. II. Sect. I. c. 12. p. 128.*

g) *Operum Tom. II. cap. de aſthm.*

h) *p. 16.*

i) *diſſ. de aſthmaticis rite judicandis & curandis §. 26.*

k) *Monit. Med. p. 64.*

l) *in fine Obſerv. 27. de aſthmate convulſivo.*

quam vel Opio, vel phlebotomiæ, illi, quia veſicularum pulmonalium conſtrictiones inhibeat, huic, quod vaſa ſanguinea ob circulationem impeditam ſanguine æſtuante nimis turgida depleat. Adjungit ſimul, ſe veritatem hujus ſententiæ nullis aliis argumentis, quam quæ ab experientia ducuntur, amplexum eſſe. Ægra quam hic deſcribit RIDLEY, invadente paroxyſmo ſumſit primo granum unum Opii, ſine ſingulari fructu, deinde altera die & ſequentibus granum unum cum dimidio, atque cum ipſa mitiore malo reddito illi ut ſperabat, ſuperiorem futuram adhuc fortiorem doſin flagitaret, ad plenariam ejus fugam, grana duo, auctamque etiam adhuc quantitatem poſtea ſemel vel bis in hebdomade cepit, indies robuſtior & vegetior facta. Magnas ſpes inchoare ſuadet Medicis hæc obſervatio, fore ut diriſſimum malum ſat heroico auxilio, ſatque heroico ejus præbio ſit expugnabile. Verum enim vero conſiderari volo, fœminam gracilem audita morte nonneminis, quem intime dilexerat, ab animi intenſiore dolore morbum ſibi contraxiſſe, qui adeo ab ataxia ſpirituum maximam ad minimum partem ſaltem pependit, ſtatisque temporibus adfligens analogiam aliquam cum febre habens, ante uſum Opii cortici etiam ad tempus auſcultavit.

§. XXXX.

*Convulſivum ordinarie non niſi palliat.*

Cognitum accuratius tremendi hujus morbi ingenium, miſerabiliorque multo ejus facies, ac illius ejus ſpeciei, quam modo laudatus RIDLEY deſcripſit, valde vetat, vetantque ſimul tot aſthmate convulſivo diriſſimo fati genere enectorum funera, quibus ars omnem ſuum apparatum gratis oppoſuerat, quo minus nimis magnifice de Opii potentia in ejus medela ſentiamus. Scilicet in apertis cadaveribus, ordinarie vitia inſuperabilia in ſolidis inveniuntur, & plerumque fluctuantes in cavo pectoris aquæ, aut in corde & vaſis ei annexis concrementa polypoſa, vel hæc cum illis ſimul ſeſe conſpectui objiciunt. Illæ ubi ſeſe difficili & impoſſibili

bili in alterutrum latus decubitu, pedum œdemate, manuumque, quam BAGLIVVS [a]) præcipue memorat, intumeſcentia manifeſtant; hæc quando frequenti palpitatione cordis, & pulſu omni modo inæquali, & ſimul intermittente, triſtem ſui præſentiam declarant, moriendum ordinarie eſt Ægro. Namque hydrops Pectoris ſive cauſa aſthmatis convulſivi ſive effectus fuerit, ut ingenue olim confeſſum eſt Collegium Nat. Cur. Vratislavienſe, [b]) multoties non tantum non curatur, ſed & ſi ſymptomata ejus urgentia reſpicias, ne quidem mitigatur. Ad hæc, & inter ea præcipue ad conſtrictionem Pectoris ſummam, ſub paroxyſmo, reſpirationem penitus intercipientem, & ſuffocatione quandoque ſubitanea perimentem valere poteſt Opium; ſed alia varia remedia laudans §. 8. laudatum Collegium, illius ne quidem meminit, quin antecedente §o occaſione ſymptomaticæ febris diaſcordium improbat, & ob Opium hic tuto adhiberi poſſe negat. Cum abominabili hoc morbo conflictatus ipſe Ill. Joannes Jacobus WEPFERVS, ut in ejus Memoria a Genero Cl. BRVNNERO [c]) exarata legitur, ſollicita attentione didicit, medicamentis in genere omnibus ne hilum profici, in hoc mali genere, ideoque ſola diæta eo non profligato, miſeram vitam protraxit. Neque mihi licuit eſſe adeo beato, ut congeſto operoſa arte ſelectiſſimo pharmacevtico apparatu, felices effectus obſervaverim; bene memini induciarum ab Opio impetratarum, ſed memini ſimul valde tragicorum morbi & mortis generum, omnibus moliminibus medicinalibus ſuperiorum. Laborabat Aſthmate ſpaſtico incertis periodis affligente fœmina illuſtris 70. annorum ob ſcirrhoſitatem viſcerum. Cum multas noctes inſomnes abſumſiſſet, dabantur lectulum ingreſſuræ 3. grana MP. de cynogloſſa, non ſine effectu, atque quia hoc præſidio carens nulla prorſus quiete fruebatur, per 10. continuas hebdomadas, omni veſpera eandem doſin, vel & largiorem deglutiebat. Si eadem ſuſpendendo vel minuendo

a) *Operum p. 103.*

b) *in Obſervationibus de Hydrope Pectoris Cap. III. §. 9.*

c) *p. 161.*

acceſſui idonea habebatur, ut ſæpe eveniebat, mane ſemper erat alacrior, & multo melius habebat, niſi quod ob alvum obſtructam quibusdam incommodis laboraret clyſmate levandis, atque appetitum alimentorum pene omnem abolitum doleret, donec omni palliatione fruſtranea, vitæ ſatura orbi valediceret. Verum longe miſerabilior ſors erat alicujus Viri generoſi, cujus triſtiſſima imago adhuc ante meos oculos verſatur. Ille me inviſens ac de infandis anxietatibus & dum corpus movebat de vehementibus cordis palpitationibus conquerens, conſilium meum efflagitabat. Dum pulſum exploro, atque in robuſto & plethorico corpore parvulum, debilem, inæqualem, intermittentem, offendo, ſtatim ſuſpicor polypum adeſſe; brevique poſt aſthma horrendum per intervalla ſtrangulationis metum inferens, pedum œdema, tumorque frigidus ſiniſtræ manus, hydropem pectoris ab hac cauſa adeſſe ſignificabant. Adeo vero ruditer afficiebat ægrum horribile hoc malum, ut ne per ſemi-horulam ullum ſomnum, ac incaſſum dormitu- rienti nullum alium ſitum permitteret, quam ſi profundius antrorſum caput inclinaret, atque ſuſtentaculo cuidam, quod e lacunari propendebat, imponeret. Nullam fiduciam rebus ſic ſtantibus in Opium mihi locanti, tamen agrypnia perpetua, & increbeſcens noctu conſtrictio pectoris, granulum extorquebat verſus noctem capiendum, maxime cum ærumnoſus æger ipſe precibus & ſuſpiriis antequam emortualem ſomnum dormire inciperet, aliquam dum vivens adhuc cruciari pergebat, quietem efflagitaret. Sed nullum a ter vel quater circa veſperam deglutito anodyno, levamen, verum, exoptati ſomni loco major anxietas, calor major, & ſub aucta ſomnolentia inſomniorum terribilium catervæ miſerum fatigabant. Igitur ſepoſitum iterum, cumque nil proficerent omnia pharmaca, animi incredibili magnitudine, & ſpe firma brevi adeundæ melioris vitæ pro remedio inſervientibus, tandem exſpirabat. Inter alios adhuc

huc ægros, quorum mentionem hic facere poteram, non poſſum ſilentio præterire Pharmacopœum e noſtris, integerrimum meum, dum viveret, Amicum. Is Podagræ tyrannidi ſubjectus ejusque anomaliis aliquoties vexatus, poſt inſpiratos in laboratorio ſuo vapores, qui adiaphori pulmonibus non eſſe poterant, diſpnœa diuturna, & aſthmate convulſivo tandem corripiebatur. Omnia egeram, quæ propellere ab interioribus, & revocare ad pedes materiem poterant, viſus etiam fuerat aliquando redire podagræ paroxyſmus, ſed nullum pectori lenimen adferebat. Varia igitur pharmaca trahebantur in uſum, maxime cum œdema pedum ſubito increſcere obſervaretur, ſed incaſſum; eousque potius adſcendebat ægritudinis ſævitia, ut a lecto abeſſe Vir optimus, & ſellæ inſidens erecto cervice noctes inſomnes abſumere deberet. Advocabatur in conſilium me ipſo ſuaſore Celeberrimus noſter HAHNIVS, qui ſervanda hactenus a me præſcripta ratus, ſaltem ſub noctem capiendam ſuadebat MP. de cynogl. ad grana v. vel vj. Verum adeo Opium omne horrebat æger, cujus damna ex lectione librorum, & caſibus nonnullis, ſibi perſpecta reputabat, ut periculoſam maxime in hac doſi habitam maſſam Pil. de cynogl. adſumere primo detrectaret, monitis interim utriusque noſtrum tandem auſcultans. Primam doſin ſequebatur ſtatim nox multo tranquillior, quare ſibi ipſi exprobrabat Vir optimus, tam diu a ſe negatam tanto remedio exiſtimationem, quod propterea eo majori fiducia repetebat. Neque excidebat voto, ſed tertia nocte jam ſegnior erat effectus, quarta auctiorem doſin vix ullum levamen inſequebatur, aſthmate ad ſuffocationem usque increſcente. Capiebatur hæc nihilominus iterum, & repetebatur inſequentibus noctibus verum eheu! ſine ſolamine, ægro inter horribiles angores tandem e vivis diſcedente. Uti autem polypus, anevriſmata, & pectoris hydrops, ſi aſthma convulſivum foveant, vix ullam permittunt ſolidam paroxyſmorum, ſtri-

cturis convulſivis adfligentium ab Opio allevationem, ita quoque pulmonis ſcirrhi, & vitia viſcerum abdominalium omni energiæ hujus remedii haud obediunt. Ingenue potius cum Illuſtr. BUCHNERO, [d]) Cl. noſtro de HELWICH [e]) & Naturæ Curioſis Vratislavienſibus circa ſignum pathognomicum, difficultatem nempe reſpirandi ſummam, primo ſomni tempore ægrum anxium inopinato excitantem, adſtipulantem, confiteri debebunt omnes in Praxi verſati Medici, nil ad vitia ſolidorum tollenda, omnia tandem remedia valere. Si aſthma convulſivæ indolis & per intervalla ingruens a retrograda materia acri eryſipelatoſa, ſcabioſa, purpuracea, ſcorbutica, ab ulceribus repreſſis aut a frigore admiſſo pendeat, ob virtutem diaphoreticam Opium, ſolum, vel in theriaca aliquando uſum præſtare poteſt, ut ipſe obſervavi; Vix aliter. At nihilominus ob expoſitas in antecedentibus rationes non niſi caute exhibendum erit.

d) *Act. Phyſ. Med. Nat. Cur. Vol. VI. obſ. 50.*

e) *Miſcell. Nat. Cur. Cent. X. obſ. 32.*

§. XXXXI.

*Palpitatio Cordis, opiatorum commendatio.*

Ægritudine pulmonis miſſa, ad vicinum ipſi nobiliſſimum viſcus me convertam, cordisque palpitationem conſiderationi accuratiori ſubjiciam. In hujus medicatione, quanquam Opiatorum collaudatio nec ordinaria ſit, nec admodum frequens in Autorum practicorum monumentis, multis de uſu penitus tacentibus, non deſunt tamen, qui eidem patrocinantur. Scilicet cum antiquitus, tetros vapores ad cor adſcendentes, variamque humorum intemperatorum illuviem pro cauſis palpitationis venditare in more poſitum fuerit, vetuſtæque compoſitiones quæ Opium continent, cordiales, atque venena, ſi diis placet, a corde arcentes habitæ fuerint, non potuerunt non & hæ, pro eximiis ad levandam palpitationem remediis, a remotioris & noſtræ ætati propioris temporis Medicis haberi. Eapropter apud PISONEM [a]) ad palpitationem cordis habentur cardiacæ potiones, ex aquis cardiacis in quibus aliquid mithridatii aut theriacæ diſſolvitur, cum conſerva cardiaca. Extrinſecus etiam

a) *de cogn. & cur. Morbis lib. II. c. XI. p. 399.*

etiam cataplaſmata quæ mithridatium & theriacam recipiunt commendata leguntur. Eo vero maxime fine, quod copioſiorem aquam pericardii, utpote inter cauſas familiares palpitationis relatam, (ſecus interim ſentiente LOWERO [b]) & ſeri hujus accumulationem pro effectu potius palpitationis declarante) potenter diſcutiant, theriacam & mithridatium laudat SENNERTUS. [c]) WEDELIUS [d]) cordis palpitatione laborantibus, maxime hypochondriacis, medicinam facturus, nil præſentius & conſultius ſe inveniſſe dicit, quam reſolventia & præcipitantia opiata, per vices adhibita. ETTMULLERUS [e]) autem theriacam inter remedia palpitationis per ſe nota refert. Maxima vero autoritas huic remedio naſci videtur ex eo quod MERCURIALIS [f]) referat, narraſſe ſibi Maximilianum Imperatorem, frequenter palpitatione cordis fatigatum, ſe a nullo pharmacorum magis levatum fuiſſe quam quidem a theriaca. Sed non a dignitate Ægri, verum a cognita indole morbi, & ejus cauſa æſtimanda eſt dextra vel ſiniſtra alicujus remedii adhibitio, quare ſine legis hactenus ſervatæ transgreſſione, rem omnem contemplabimur.

b) *de Corde Cap. II. p. 108. edit. Lugd. Bat.*

c) *Med. Pract. lib. II. p. 413.*

d) *Opiol. lib. II. ſect. II. c. 3. p. 113.*

e) *cap. de palpit.*

f) *Med. Pr. lib. II. c. 10.*

§. XLII.

*Palpitationis cauſæ & opii actio cum ipſis comparata.*

Palpitationem cordis Medici vocant ejus convulſionem, vel validam & violentam contractionem, qua cruorem propulſum ſibi fortius renitentem vel quamcunque aliam reſiſtentiam, ſuperare nititur. Cauſæ autem omnes Palpitationis ab Obſervatoribus notatæ hærent, vel in partibus ſolidis cordis ipſius, eique vicinis irritatis, aut organico vitio laborantibus; vel in fluidis per cor & vaſa movendis; vel in nervorum mobilitate, & conſenſu. Hæ generales ſunt claſſes cauſarum, ad aliquam harum ergo ſpectant

1. Cor vergens in callum vel os, cor magnum, dilatatum, cordis inflammatio, abſceſſus, excreſcentia, valvularum ejus induratio calloſa, cor pericardio accretum, pericardii induratio.

 Arteriæ

Arteriæ Aortæ & Pulmonalis anevriſmata, arteriæ hæ cartilagineæ, calloſæ, oſſeſcentes, calculi & vermes in corde, & pericardio. Polypi in corde & vaſis majoribus, pulmonum infarctus, & ſcirrhi.

2. Humorum copia & plethora, eorum circuitus acceleratus per motum muſcularem, vel febrilem, acutum, aut intermittentem. Excretionum ſuetarum vel ſanguinearum vel ſeroſarum ſuppreſſiones.

3. Sanguinis & humorum reliquorum immeabilitas, & ſpiſſitudo vel iners, cruda, glutinoſa, cacochymica, vel phlogiſtica.

4. Acrimonia irritans ſcorbutica, arthritica, venerea, ſcabioſa, purpuracea, oberrans adhuc in Oceano humorum, vel retropulſa, a partibus externis corporis. Acria effluvia inſpirata. Tum & acrimonia ulceroſa, & gangrænoſa.

5. Defectus ſanguinis boni & aliorum humorum laudabilium ab inedia vel a nimiis profuſionibus liquidorum omnis generis. Hinc palpitatio ut convulſio ab inanitione generatur.

6. Animi affectus ingentes, & mobilitas generis nervoſi, in debilibus, hypochondriacis, fœmellisque hyſtericis, & chloroticis.

7. Nervorum conſenſus ab affecto capite, vel doloribus variarum partium corporis, tum & a vermibus inteſtina rodentibus, & flatibus ea tendentibus.

Has cauſas omnes enarratas hactenus, ſi quam accuratiſſime adſpiciamus, patebit ultro, plurimis nullo modo, aliquibus paucioribus, aliquo ſaltem reſpectu, convenire Opium. Vix enim ullibi, quam ubi tenuis acrimonia ad exteriora determinanda eſt, ubi excretiones quædam compeſcendæ ſunt, atque ubi ſola mobilitas peccat, ut in hypochondriacis & hyſtericis, ſpasmique & flatus ac dolores non inflammatorii urgent, locum opportunum habere poteſt.

Palpi-

Palpitationis cauſam plerumque eſſe inordinatum & violentum ſpirituum vitalium in cordis villos impetum, ut in ſummis animi affectubus, ſubito terrore, affectu hyſterico notavit BOERHAAVIVS. [a]) Largiorque lubens in his caſibus laudem mereri opiata pharmaca. Prorſus etiam facio cum Eximio de HAEN [b]) quando de anevryſmatibus tractans & ſimul palpitationes cordis memorans devteropathico huic malo, partibus vitalibus ſecundario affectis, ſpasmorumque torturæ paregorica & opium deſtinavit, ipſi anevryſmati tamen id parum convenire ratus. At relicta ad tempus, ſi ad eam opium non quadret, cauſa, tamen in ipſo paroxyſmo ingenti & vehementi, & moleſtiſſimæ ſubſultationi & concuſſioni cordis tantiſper moderandæ, convenientiſſimum videbitur nonnullis opium, donec ad cauſam removendam tempus ſufficiens impetretur; ita enim & in aliis morbis agere conſueſcunt Practici, urgentem motuum ſummum impetum interim coërcentes, cauſam deinceps impugnaturi. Maxime autem ſi cauſa ita comparata eſt, ut removeri prorſus neget, quemadmodum polypus, anevryſma, & aliud organicum vitium, ad motum ſumme violentum quantum fieri poteſt inhibendum, nullum ſupereſſe aliud potentius pharmacum, quam ſummum ſopiens, unicum Opium, afferent forte Medicorum haud pauci. Atque tanto magis ad conſopitionem enormis ſæpe vibrationis, adigere poteſt Artificem conſideratio, quod, licet id vix credibile videri debeat primo intuitu, adeo immoderata aliquando fuerit cordis ſyſtole & diaſtole, ut non ſaltem vix amplius coercendum thoracis mœniis, eque ſede ſua dimovendum, & foras exiliturum hoc viſcus ægri crediderint, ſed FERNELIO teſte vicinas ſibi coſtas aut extrorſum propulerit, aut diffregerit penitus. Idem PISO, [c]) HORSTIVS, [d]) HOCHSTETERVS, [e]) & alii notarunt, ipſeque in Virgine nobili a vehementi & fere perpetuo adfligente præternaturali cordis Vibratione, quæ admotam manum valido appulſu percutiebat,

a) *inſtit. §. 826.*

b) *Rat. Med. Part. IV. c. 2. p. 25. 29. 33.*

c) *de Colluvie ſeroſa p. 166.*

d) *lib. III. obſ. 17.*

e) *Dec. IX. p. 361.*

bat, coſtas foras adactas & protuberantes vidi. Sub his conditionibus enarratis omnibus, illi Medicorum præcipue, qui Opium minuere impetum circulationis falſo ſibi perſuadent, adeoque & eo effræni cordis παλμῷ habenas injici poſſe ratum habere debent, non poterunt non recurrere ad Opium. Nos vero longe aliter ſentire de Opio palpitatione affectis exhibendo neceſſario debemus, quando reminiſcimur Sect. I. cap. II. Experientia I. & cap. V. §. 1. in quo ætiologia hujus experientiæ traditur, clariſſime monſtratum fuiſſe, non ſaltem Opium irritabilitatem cordis a nullo ſenſu, a nullo motu alio pendentem, haud ſuſpendere, ſed potius ejus vires omnemque circulationem certo augere, & intendere. Solus circulus accceleratus per motum animalem, vel febrem, cum ad cauſas palpitationis pertineat; facile ſimul monſtrat, illa omnia quæ ſua propria indole eum accelerant, nocitura omnino, non profutura palpitatione laborantibus fore. Sique aromaticum & calidum cinamomum [f]) excitare potuit palpitationem, ſi vino interdicendi ſunt hoc morbo vexati, non proderit certe illis aromaticum, & calidum, & vino analogum Opium. Vetuſtiſſimo tempore jam aſſeruit GALENVS, [g]) omnes cordis palpitatione laborantes VSe levatos fuiſſe, & poſt multos alios quorum catalogum exhibet HOFFMANNVS, [h]) ipſe eidem etiam in paroxyſmo inſtituendæ patrocinatur; MEAD [i]) quoque, niſi vires ſint admodum imbecilles, ſanguinem detrahendum eſſe injunxit, ut cum debilior ſit ad propellendum vis cordis, liquoris propellendi pondus minuatur. Non minus durante paroxyſmo ad phlebotomen maxime in Plethoricis recurrendum voluerunt noſtri Vratislavienſes. [k]) Præter laudes autem VSi decretas, vix vllus Practicorum eſt, qui non poſt exhibita leniora cathartica expanſionem ſanguinis minuentibus, & refrigerantibus, blandis acidis polychreſtoque nitro, in paroxyſmo multum tribuat, tenuemque eapropter talibus ægris victum commendet. Quando

vero

f) *M. Nat. Cur. Dec. I. Ao. III. obſ. 134.*

g) *lib. V. de loc. aff. c. 2.*

h) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. ſect. II. c. 1. p. 295. Vide & Act. Nat. Cur. Dec. I. Anno 4. obſ. 40. & Dec. II. Ann. 9. obſ. 44.*

i) *Monitor. Med. p. 67.*

k) *Hiſt. Morb. Vrat. 1699. p. 189.*

vero VSe, acidis & nitro, tardiorem reddidiſſe circuitum, & orgaſmum minuiſſe in Paroxyſmo tantopere *juvat*, non proderit certe ſimul eodem tempore utrumque incitaſſe, & auxiſſe, per exhibitum Opium, quod indicatæ VSi & refrigerantibus directe contrariatur. Omnium autem maxime hoc pharmacum noxium habendum erit, quando organica Vitia ſubſunt, atque inter ea anevryſma peccat, vel polypus palpitationis faber eſt. Miſeri hi ægri, multo magis ac illi, quorum fluida, ſolidis a labe immunibus, ſaltem in culpa ſunt, cavere debent ab omni eo, quod vel minima vi celerius propellere ſanguinem valet. Suadet illis de GORTER,[l]) ut in otio degant & quieſcant ne ſubito ſuffocentur. Cavere eos jubet a motu corporis vehementiori, ne projectis fortius humoribus avellantur forſan fibroſæ concretiones, & fluctuantes in vaſis, ea obturando funeſtum producant eventum, Cl. HOFFMANNVS,[m]) iramque & Venerem eapropter evitent conſulit. Quam ſerio igitur cavere debebunt ab impellente humores & aphrodiſiaco Opio, ut ab omnibus remediis aliis circulum incitare & liquida expandere aptis: Hæc enim omnia æque certo palpitationis paroxyſmum invitare poterunt, ac per ſolas rationes mechanicas inclinatio lateris dextri, HOFFMANNO[n]) obſervante, eum levare & tollere poteſt, dum ſub hoc incurvato corporis ſitu celerior ſanguinis per venam cavam deſcendentem ad cor influxus paululum intercipitur. Ægro ejusmodi polypoſo Auctor fuit BOERHAAVIVS,[o]) ut bono victu ſibi proſpiceret, regimine reliquo ſine dubio ſimul injuncto, nulla interim medicamenta exhibens. Alius vero Medicus commendavit ſalem volatilem oleoſum Sylvii, infelici auſu, protruſit enim polypum ſurſum in aortam adſcendentem. Quare injungit, nunquam in polyporum ſuſpicione ſales volatiles concedi debere, taciteque ſimul prohibet, quod cum ſalibus volatilibus multam convenientiam habet, ipſum Opium. Illuſtr. de HAEN[p]) de Anevryſmate *ſeq.*

l) *Comp. Med. p. 112. §. 1.*

m) *l. c. p. 297. 298.*

n) *p. 294. 295.*

o) *Prælect. in inſtit. Tom. VI. p. 216.*

p) *Rat. Medendi Part. IV. c. 2. p. 26.*

ſmate interno palpitationis toties cauſa eruditiſſime ut ſolet differens, cardinem omnem & palliationis & curæ, ſi poſſibilis fuerit, ponit in eo, ut quod inter ſolida & fluida deſideratur æquilibrium reſtituatur. Hinc copiam & rarefactionem humorum impugnandam dicit, ut ſolida ſi fieri queat contractilitate ſua ſeſe in priſtinam formam reſtituant, datis ſimul polypoſam ſpiſſitudinem in dilatata parte diluere aptis. Laudat ergo magnas evacuationes, ſapones acidos, nitrum, & quietem corporis animique injungit. Mirum ergo quod his adjecerit Opium, quod ſemper temporariam plethoram creat molemque movendorum humorum rarefactione auget, quin & impetum circuli intendit. Sane vix locum habet, niſi quia ut ſapienter addit, id hominum genus ſpasmis admodum torqueri ſolet, ergo his non urgentibus, neutiquam. Omnia hæc quicunque accuratius conſideraverit, & ad omnes cognitas cauſas palpitationis hujus remedii agendi modum applicaverit, videbit facile non ſine ratione HOFFMANNUM[q]) diſſuaſiſſe opiata, licet Autores multa bona de iis prædicent, & præcipue ex hypotheſi ſua minus correcta, maxime in corporibus ab enormioribus hæmorrhagiis vires exhauſtas dolentibus. Atque ſi dicendum quod res eſt, his non ſaltem obeſſent ut debilitatis, ſed & quatenus convulſionibus ab hæmorrhagiis gravibus obortis nequaquam conveniunt, ut in principio capitis I. §. 3. clariſſime monſtravi. Si *aliquæ* palpitationes quod Celeb. de GORTER[r]) innuit, anodynis & ſpirituoſis ſanantur, ad eas ſine dubio pertinebunt palpitationes hyſtericarum, mirorque HOFFMANNUM nec his uſum opii permiſiſſe, ſed naribus ſaltem admoveri vaporoſa fœtida voluiſſe, cum modo non ſint valde plethoricæ, aut poſt plethoram VSe minutam, in talibus caſibus hoc remedium ipſis haud incongruum haberi debeat. Illi etiam quibus poſt terrorem ſubitaneum cor a ſola motuum anomalia palpitat, aliis agendis non omiſſis, ab anodynis fructus percepiſſe mihi viſi ſunt, quamvis & talibus

q) *l. c. p. 298. 299.*

r) *Comp. Med. Part. I. Tract. XXVIII. §. 15.*

talibus ea non deſtinet laudatus Cel. HOFFMANNUS. [s]) Puerum habet a terrore palpitatione affectum, quæ per intervalla longo tempore ipſum exercuit, a paſtu maxime invaleſcens. Dicit malum a pulveribus antepilepticis opiatis fuiſſe exacerbatum, poſt aliquot ſeptimanas ſucceſſiſſe dolorem hypochondrii gravativum, cum reſpirandi difficultate, & in epicriſi annectit, pulverum opiatorum uſum auxiſſe mali vehementiam, cum ea ſanguinem viſcidiorem, & ad ſubeunda concrementa opportuniorem reddant. Verum conſiderari hic debet, præextitiſſe forte jam in hoc puero viſcerum infarctum, cum terrore percelleretur, ſicque natam per animi affectum palpitationem ab illo ſuſtentatam fuiſſe, quæ ſi a ſola mobilitate pependiſſet, opio cito fuiſſet ſublata, maxime ſimul aliis remediis diluentibus & humores extrorſum determinantibus oppugnata. Deinde ſi in puero hoc hydrope tandem extincto adfuere ſanguinis viſcidi concrementa, Opium ſanguinem nequaquam inſpiſſans, ſed attenuans & diſſolvens, eorum cauſa fuiſſe non potuit, ſed ſuffecit eorum generationi ſolus ſubitus & gravis terror, quem de polyporum generatione agens alibi ipſe inter cauſas refert Vir Clariſſimus, notabile ſimul in hujus rei fidem exemplum ex RIVERIO allegans. [t]) Doleo mirum quantum, me neſcire quid de uſu Opii in Palpitationibus cordis videatur Cl. de LILLE, cum ejus librum de hoc morbo conſcriptum, ut alios quos legerem lubentiſſime, ob turbas publicas, tot miſerorum mortalium ſaluti, & litteratorum hominum adamatis ſtudiis infenſiſſimas, obtinere hactenus nequiverim.

s) *l. c. p. 304. 305.*

t) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. cap. X. p. 287. §. 26.*

# CAPUT III.

## *Dyſenteria & alii fluxus alvini.*

### §. I.

*Opium in dyſenteria laudatum.*

Ad affectus ſpaſmodico-convulſivos partim, partim etiam ad fluxiones, ad quas per ordinem dicendorum jam deferor, præcipue refertur Dyſenteria, quam latius ſumtam Medici vocant alvi fluxum, acerbis doloribus inteſtinorum & moleſtiſſimo tenesmo ſtipatum, quo reſpectu omnis diarrhœa torminoſa & tenesmodes, a ſtimulo quocunque acri, acido, muriatico, putrido, atrabilario, ichoroſo, cancroſo enata, dyſenteria appellari poteſt, ut variis Autoribus in more poſitum eſt. Ego hic dum de Dyſenteria tractare aggredior, illum ſpeciatim morbum conſiderationi ſubjicio, qui plerumque & ordinarie ſub æſtatis finem autumno invadere ſolet, hyeme appropinquante miteſcens;[a]) quique contagioſus eſt, & ſub horrendis raſorum, eroſorum, & excoriatorum inteſtinorum convulſionibus, & doloribus, atque moleſtiſſimo tenesmo, ſordium mucoſarum, bilioſarum, ſanguine plus minus tinctarum, pureque & ſanie remixtarum, dejectione affligit. Malum hoc HIPPOCRATES, GALENVS, CELSVS, aliique antiqui Medici jam ſatis bene deſcripſerunt, ſimulque varia ad curationem ſalubria præcepta ſuppeditarunt. Quanquam vero medicamenta illa, quibus ad hunc diem, ad dolores mitigandos, & fluxiones refrænandas utuntur, Practici, Philonium, Theriaca, Mithridatium, vetuſtæ ſatis compoſitiones ſint, conſtat tamen, Veteres Medicos multos, nihil aut parum certe honoris in curanda dyſenteria, Opio detuliſſe. Taxat Medicos, & imperitos vocat, qui in hujus morbi curatione mox inter initia paſtillos vel antidota

a) *Hippocr. lib. III. aph. 22. Sydenh. p. 220.*

ex opio dare non dubitant, eo quod ſomno dolorem levare intendant, ALEXANDER TRALLIANVS, [b]) falli autem eos dicit, cum licet ad tempus quidem ventrem retineri conſpiciant, ubi dies illuxerit, inanis labor deprehendatur, capiteque gravato & viribus offenſis venter fluentior reddatur; igitur talia medicamenta nunquam dari debere injungit, niſi forte neceſſitas urgeat. Atque quam ſibi metuerint ab Opio, non ſaltem veteris ævi, ſed & ad recentius appropinquantes Medici, patere poteſt ex PISONE, [c]) placitorum antiquorum & recentiorum Collectore, quando medicamenta ex Opio, niſi magna neceſſitas adſit, in dyſenteria vitanda omnino eſſe dicit, ipſumque Opium, Philonium, ac decoctum ex fol. & cap. papav. albi foliisque hyoſcyami ſemper ſuſpecta eſſe, valde vero affligente dolore, talia per ſedem magis convenire, quam per os, aſſerit. Ita nempe cum aliis MERCVRIALIS [d]) aliis remediis interdum addi poſſe aliquid medicamentorum ſtupefacientium monet, præſertim quando dolor immodicus eſt, & vigiliæ urgent; hoc in caſu tamen ea in modica ſaltem quantitate eſſe adhibenda ſimul addit, quia naturæ noſtræ ſunt inimica. Tanto vero magis valere juſſis, quæ hactenus obtinuerant, opinionibus, præcipue ſuperiore ſeculo, eoque quod nunc labitur, inter ſe convenerunt clariſſimi Medici bene multi, ſummum levamen dyſentericis ægris præſtare opiata pharmaca, adeo ut in eorum monumentis ſumma de eorum virtute elogia legantur. Liceat mihi nonnulla referre brevibus, prout evolventi Auctores præſtantiſſimos obveniunt. Tryphera, Philonio, Pilulis de cynogloſſa, trochiſcis de ſucc. cum Opio, laudano, non ſine ægrotantium fructu ſæpius ſeſe uſum eſſe teſtatur HILDANVS, [e]) quandoquidem hæc non ſolum dolorem leniant, & ſomnum provocent, ſed etiam fluxum alvi conſtringant, & vires inſtaurent. Affectus dyſentericos ſine Opio vix curari poſſe, non quod pharmacum hoc humores ebullientes figat, ſed quod fibrarum ſpasmos

b) *lib. VIII. c. 8.*

c) *de cogn. & curandis Morbis lib. III. c. XV. p. 102. 103.*

d) *Med. Pract. lib. III. c. 28. p. 402.*

e) *de dyſenteria. c. 9.*

mos excretorios ſiſtat, aſſerit WILLISIVS; [f]) & in dyſenteria cruenta londinenſi ſatis magnam doſin laudani ſe dediſſe recenſet, neque tamen noviſſe unquam, cuipiam dyſenterico hoc medicamentum obfuiſſe. [g]) Valde etiam liberalis in commendando & porrigendo Opio eſt SYDENHAMVS, ac *nec vel minimum quidem incommodi, a tam frequenti medicamenti narcotici repetitione ſibi adhuc videre contigiſſe ait, (quantumlibet noxam inde ſecuturam comminiſcantur inexperti) licet plures noverit, qui in morbo contumaciore id ad ſeptimanas aliquot continuas quotidie uſurpaverint.* [h]) Atque ipſo illo emolumento, quod ex uſu hujus pharmaci in ægros ſuos hoc morbo detentos redundare obſervavit, eouſque commotus eſt Vir egregius, ut occaſione virtutis antidyſentericæ, polychreſtis viribus ejusdem panegyricum ſcripſerit, DEUMque *πάντων δοτῆρα ἐάων*, hoc ærumnarum ſolamen mortalibus indulgentem, data opera fuerit veneratus. Ita vero etiam SENNERTVS [i]) noſter, opiata recte adhibita, ut philonium, pilulas de cynogloſſa, laudanumque opiatum ſæpe magnam utilitatem afferre dyſentericis dicit, cum non ſolum dolorem leniant, & ſomnum provocent, ſed & fluxum ſiſtant. ETTMVLLERVS [k]) autem dyſenteriæ graviori absque Opio ſuccurrere difficile eſſe, & pene impoſſibile profitetur, atque alibi [l]) continuatum etiam opiatorum uſum optime ferre dyſentericos ait, minusque inde debilitari, quam ab aſellationibus & tenesmo continuis, ad multos alios clariſſimos Practicos idem ſentientes ſimul provocans. Eadem ratione RAMAZZINI [m]) dyſentericis egregie contuliſſe opiatorum uſum obſervavit, quare forſan nullam eſſe affectionem dicit, in qua ſecurius & liberaliori doſi exhiberi poſſit hoc remedium, quam in hujusmodi morbo, fractis licet ac pene attritis viribus. Neque minus pace Practicorum Opium damnantium aſſeverat WEDELIVS [n]) ſine Opio nullam veram dyſenteriam curari commode poſſe; WEPFERVS [o]) ſexcen-

f) *Pharm. Rat. Part. I. ſect. VII. c. I. p. 185.*
g) *loc. cit. p. 78.*
h) *Operum p. 229. 230.*
i) *Med. Pract. lib. III Part. II. ſect. II. c. VI. p. 356.*
k) *diſſ. de Virtute Opii diaphoretica Cap. I §. 4.*
l) *Tom. II. Operum cap. de dyſent.*
m) *Operum p. 201.*
n) *Opiol. p. 121.*
o) *diſſ. de dyſenteria p. 46.*

ſexcenties ægros hoc morbo, ſolo laudano ſe liberaſſe ſcribit; atque Cl. BERGERVS p) poſt evacuantia uſurpata, reliquum curationis fere opiata nulla correctione egentia expedire innuit, pluribusque indicationibus inſervire, & merito ob vires polychreſtas omnia remedia dyſenteriæ opponi ſolita antiquiora & recentiora ingredi dicit. Sed ulterius! Poſt LENTILIVM, q) certe, qui revera magnum hic eſſe opiatorum uſum cum ETTMVLLERO, WALDSCHMIDIO, CAMERARIO, & aliis eſſe teſtatur, non obliviſci debeo BONTII ſummi horum remediorum Encomiaſtæ. *Si propter ſævitiam ſymptomatum* inquit, *doloris præſertim acerbiſſimi, temporis anguſtia longam in cura moram haud patiatur, ſtatim ad extractum croci deveniendum eſt, quo remedio auſim dicere, nullum humana cura exquiſitius excogitare potuit, putoque veriſſimum hujus morbi etiam venenati eſſe antidotum.* r) Hujus vero extracti croci compoſitionem ſuppeditat cap. ſeq., eandemque Opium præcipue ingreditur. Atque antea jam ſcripſerat: *Si nobis hic opiatis non proſpectum eſſet, fruſtra in calidiſſimis his regionibus medicinam dyſenteriæ faceremus.* s) Non minori amore hæc pharmaca proſecutus eſt BRVNNERVS, t) quando poſtquam rhabarbarina & demulcentia commendarat, *Incaſſum tamen laboratur* exclamat, *niſi Opiata ſuccenturientur, remedia plane divina in hoc morbo.* Dum hoc brunnerianum elogium evolvo, facile mihi foret ire per obſervationes integri Seculi decurſu a Naturæ Curioſis ſuppeditatas, atque ex iis excerpere felices in dyſenteria curationes Opio debitas. At quia id nimis longum foret, liceat ſaltem memoriam injicere illius boli ex conſerva roſarum, pulv. pannonico, terra japonica & laud. opiato conſtantis, quo ſæpius iterato Cl. CNOEFFELIVS u) Regem Poloniæ feliciter ſanavit. Neque Vratislavienſibus Medicis ſegnior in Opium fuit affectus, quando olim Ill. de HELWICH, x) qui alioquin id liberalius porrigere nequaquam ſolebat, nihilominus

variis

p) *diſſ. de dyſenteria §. 20*

q) *Vide intromn. p. 585. & Miſcell. Med. III. 119.*

r) *Med. Ind. lib. III. c. 3.*

s) *lib. I. in notis in Garciam ab Orta c. 4.*

t) *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Anno VI. obſ. 195.*

u) *Dec. II. Ann. 9. obſ. 113.*

x) *Hiſt. Morb. Vrat. 1699. p. 142. 143.*

variis compoſitionibus opiatis, ſigillatim ex ſua & aliorum experientia collaudatis, ſeſe luculenter deprehendiſſe recenſuit, inanem eſſe timorem CAPIVACCII & aliorum ab Opiatis abhorrentium, & neſcio quas noxas metuentium cum RIVINI, WEDELII & HORSTII obſervationes aliud teſtentur, atque poſt multorum aliorum quos adducit, calculum, Theriacæ Andromachi, & cœleſti adjectum, SYDENHAMVS veriſſima dixerit, frequentem etiam Opiatorum uſum nocere nihil, ſed multum prodeſſe. Ipſe quoque laudatus de HELWICH diaſcordio Fracaſtorii, licet compoſitio non ſit ad palatum ſeculi, ex diaphoreticis, adſtringentibus & anodynis conſtans, ea ſe perfeciſſe fatetur, quæ ſine labe verecundiæ enarrare nequeat. Eximium tandem pondus accedit tot laudibus Opii in dyſenteria per ſuffragium Illuſtris BOERHAAVII, quem iniquus de la METTRIE [y]) paſſim equidem a ſe magnifactum, tamen experientia hujus morbi deſtitutum fuiſſe dixit, quia ut de aliis ægritudinibus, ita & de hac non ſeorſim egerit, Virgilianum illud adjiciens: *Non omnia poſſumus omnes.* Verum ſcire debebat meritorum præſtantiſſimorum hominum obtrectator, Summum BOERHAAVIVM [z]) explicantem inflammationem inteſtinorum, monitorem ſimul fuiſſe, ſe dyſenteriam, & volvulum, choleramque ſub hoc caput revocare, cum morbi hi omnes ſint inflammationes inteſtinorum. In inflammatione vero inteſtinorum Opiata omnino commendabat Vir eximius, ut in ſuperioribus Sect. II. cap. 3. §. 12. ſedulo annotavi. Præterea ex reſponſione ejus conſultatoria [a]) methodum medendi dyſenteriis Imperatoris Romani exercitus divaſtantibus, complectente, perſpicuum reddi poteſt tantum Virum dyſenteriæ ingenium exquiſitiſſime cognitum habuiſſe; atque in curatione poſt evacuationes, opium ad pondus granorum ij pro doſi ſingulis diebus, ac dein in Electuario Theriacam quater de die, larga ſatis doſi commendaſſe. Hujus veſtigia premens actis agendis, pulcher-

y) *Traité de la dyſenterie.*

z) *vide Comment. in aphoriſmos contra ejus voluntatem editum ad aph. 959.*

a) *Conſult. Med. Vol. II. caſu VI.*

pulcherrime in dyſenteria prodeſſe opiata, etiam declaravit Ill. van SWIETEN.[b]) Non præteream ſilentio Richardum MEAD,[c]) qui Vomitioni repetitæ per ipecacuanham proritatæ favens, inter has evacuationes fluxum cohibet confectione cardiaca & bolo gallica addito extracto Opii, ita ut granum unum ter de die detur. Atque ut HUXHAMO[d]) Sydenhamiana veſtigia prementi, ita pluribus præſtantiſſimis Medicis Anglis recentioribus, placere hoc pharmacum monſtrat libellus exiguæ molis, ſed multa egregia continens *Nucleus totius Medicinæ* inſcriptus, in quo bolus antidyſentericus philonii drachmam recipit, atque clyſma antidyſentericum habetur, cui inditur theriaca. Talia clyſmata aut theriacalia aut aliis opiatis impregnata, æque ac opiata ore ſumenda, a numero pluribus Auctoribus, ut longe antiquiores taceam, a PISONE, SYDENHAMO, SENNERTO, RIVERIO, MEADIO, HEISTERO, DEGNERO, aliisque laudantur; de his autem infra topicum uſum opii traditurus, ſpecialius diſputabo.

b) *Comment. Tom. III. aph. 977. p. 14.*
c) *Monit. Med. p. 70.*
d) *Obſerv. de Aëre Tom. II. p. 108.*

§. II.

*Opium rejectum, aut avara manu exhibitum.*

Quanquam vero laudati inſignes Viri, quorum catalogum longius extendere facile poteram, optima quæque de Opio in dyſenteriæ medela promittant, ipſi ejus vires experti, non deſunt tamen qui ſuſpectum & damnoſum uſum habent, non minus in experiendo verſatiſſimi. De Veterum Medicorum multorum puſillanimitate, dixi ſub initium antecedentis §i. Sed & recentiorum ſat multi Opium dyſentericis aut avara manu, aut plane non exhiberi debere, arbitrantur, cum THONERO[a]) narcotica necrotica in hoc morbo habentes, eumque audiendum eſſe credentes, quando ad MINADOUM provocat, qui ſe obſervaſſe aſſerit, omnes dyſentericos, quibus ex conſilio Medicorum laudanum opiatum oblatum fuerat, defunctos, ulceribus magis putridis & ſordidis redditis, ex longiori mora acriorum humorum. Dum in dyſenteria ſerum lactis, & clyſteres frigi-

a) *obſerv. med. p. 167.*

frigidos ex hoc ſero, vel ex aceto commendat Herrmannus van de HEYDE, [b]) Opiata penitus rejicit. Ita quoque Cel. KRAMER [c]) aromaticis dyſenteriam curandam eſſe ſtatuit, & ſine Opio eſſe vult. Ipſe dein Ill. HOFFMANNVS [d]) ad coercendos nimios tumultus motuum equidem concedit tutiora anodyna, theriacam cœleſtem, diaſcordium, pilulas de cynogloſſa, & de ſtyrace, laudanumque liquidum, longe tamen tutiorem & præſtantiorem effectum in quamplurimis caſibus dicit edidiſſe liquorem anodynum, cum refracta doſi balſami Vitæ, quem ter, & quater, ad guttas XX. ſummo cum fructu porrigere ſolitus fuiſſet. Quin ſumma cum cura a craſſis opiatis abſtinendum monet, quoniam hæc in pejus malum provehant, hinc laudat tutiora ſedativa: ſpinam, & hepar viperarum, raſuram dentis hippopotami, lap. manati, priapum ceti, pulverem ſecundinæ humanæ. Sique omnes obſervationes, quas capitulo de dyſenteria exhibet Vir practicotatus, contemplemur diligenter, docebunt illæ, ipſum vere aut plane non opiatis uſum eſſe, aut ſaltem, ſed valde raro, granulum theriacæ cœleſtis ægris ſuis exhibuiſſe. Poterant hæc forte cuidam affectui paterno ſimili in liquorem anodynum adſcribi, cum fere a Paracelſi temporibus plurimi fere ſummi Medici conſenſerint, Opium eſſe remedium antidyſentericum incomparabile. Sed & recentiſſima noſtra ætate, ſurrexerunt alii Practici quidam celeberrimi, aut fere penitus negligendum, aut valde ſuſpenſa manu id dandum eſſe palam ajentes. Magna ubivis Auctoritas eſt Cl. DEGNERI, ita quidem, ut is hodie jure ſuo inter optimos Auctores referatur, qui ex inſtituto de dyſenteria ſcripſerunt. Audiamus vero, quam parum honorifice ille de anodynis remediis ſentiat. *De opiatis* inquit, *quæ alii inter ſpecifica antidyſenterica numerant, ſpeciatim dico, illa in morbo noſtro mihi admodum ſuſpecta fuiſſe, nam ſingularem poſcebant applicationem, & attentionem; nec unquam incaute aut promiſcue erant præſcribenda, ne ſenſum & vitam obtundendo,*

b) *in Synopſi diſcurſuum latine verſa Londini 1653.*
c) *in Medicina caſtrenſi Vienn. 1739. edita.*
d) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. cap. VII. p. 543. 546. 547.*

*tundendo, malum intus augeretur, & latius ſerperet. Ancipitem, imo fatalem eventum præmaturum & largum eorum uſum habuiſſe obſervatum eſt, ſedium enim & dolorum induciæ, quas afferebant, admodum fallaces erant. Reddebant ægrum & medicum ſolummodo ſecurum, ut inimico malo minus quam oportebat, obviam iretur, interea alterum ſempiternus ſomnus oppreſſit, alter inflammatione correptus interiit, aut alvi fluxus ad aliquot horas, vel dies ſuppreſſus dein copioſior redibat. Ut taceam quod caput gravabant, & vires ſenſibiliter infringebant.* [e]) *Fateor me nunquam ex iis talem effectum percepiſſe, qui ad eorum uſum animum mihi facere potuiſſet, ſiquidem in gravioribus caſibus validiora non erant aliis remediis mitioribus. Cum vero evacuata jam ſatis materia morboſa ægri conditio eorum auxilium ſuadere videbatur, nunquam ulterius proceſſi, quam ad MP. de cynogloſſa, Syr. papav. Elect. diaſc. & Theriacam.* [f]) Vix vero aliter ſentit alius recentior ſcriptor Cel. PRINGLE [g]) *conſultius* nempe *futurum* dicit, *ſi opiata prorſus omittantur, antequam primæ viæ omnino repurgatæ fuerint; etenim quamvis aliquod levamen afferant, efficiunt tamen flatus, & pravos humores retinendo, ut cauſa morbi fixam magis ſedem adipiſcatur. Id ex repetita experientia affirmo, quamvis Sydenhamus parum periculi inde metuere videatur. In epidemica dyſenteria, equidem cathartica non omittebat, ſed omnibus aliis temporibus ſoli laudano confiſus videtur. Optima regula ergo hæc eſt, Opium tam diu ſeponere, quamdiu vomitoria & purgantia non ſufficienter uſurpata ſunt.* Prorſus eadem ratione Cl. YOUNG [h]) Opio in dyſenteriæ medela haud fidit. Quodſi morbus lenis ſit, & pauca tantum facilique opera corrigenda acrimonia vellicet inteſtinorum canalem, tum juvare Opium dicit. At in contrario ſtatu, qui ſolet eſſe longe frequentior, nocere ait, retentis nimirum & accumulatis acribus iſtis humoribus, qui morbum faciebant, eaque propter potius evacuandi erant.

e) *de dyſenteria bilioſa cap. III. §. 70.*

f) §. 71.

g) *de morbis caſtrenſ. p. 263, 264. edit. germ.*

h) *p. 47. ſeq.*

 Deinde

Deinde in omnibus illis caſibus ubi æger plethoricus eſt, excrementa valde fœtent, viſcida ſunt, atque pauca, morbum augeri ab Opio monet, quod irritationem ſaltem ad tempus cohibeat, quæ multiplicato impetu brevi recurſura ſit, quia id acrimoniam & putidum mucum non emendet. Hinc quoties purgantia levamen afferunt, ſemper uſum Opii ſuſpectum eſſe debere contendit, qui repetitus malum lethale reddere queat, quod repetita purgantia ſanaſſent. Igitur quando Opium adhibuit YOUNGIUS, id admiſcuit ſemper purgantibus, cum felici eventu, ea obſervata cautione ne doſis eſſet nimia, quæ alvinam evacuationem cohibere poſſet. Præcipue vero, ubi febris acceſſerit dyſenteriæ, cautiſſime mercandum eſſe cum Opio Vir clariſſimus injungit. In genere quippe conſtare dicit, putridas & inflammatorias febres, niſi per aliquam externam ſuppurationem judicentur, ut in variolis fieri ſolet, longe pejores Opio reddi.

§. III.

*eo tamen carere vix poſſe dyſentericos, & ii probant, qui id rejiciunt.*

Vidimus hucusque Opium in dyſenteria a clariſſimis in arte Viris & eximie laudatum, & ſuſpectum redditum; neque vitio vertere poſſumus junioribus Practicis, quandoceſpitantes, quo ſe vertant neſciunt, aut auctoritatis præjudicio ducti, ſive nimii in adhibitione ſunt, ſive uſum omittunt prorſus. In genere non bene carere poſſe dyſentericos Opio, hocque in apparatu medicamentoſo iis ſerviente, remedium non inutile exiſtere, vel ex eo judicare licet, quod inter Veteres qui id diſſuaſerant, ipſi tamen ſæpe medicamenta ægris exhibuerint, & in ſcriptis ſuis ſuppeditaverint, quæ opio ſunt prægnantia. Ita ſane §o I. citatus TRALLIANUS poſtquam Anodyna fere rejeciſſet penitus, aut ſaltem urgente neceſſitate conceſſiſſet, nihilominus dein Paſtillum diacoralliu, paſtillum diaelectru, paſtillum ex coagulo qui diapythias dicitur, paſtillum ex ſeminibus diaſpermaton, paſtillum crocoden, paſtillum clidion, catapotia ad dyſentericos, aliaque adhuc remedia Medentes conficere docet,

quæ

quæ ſine exceptione omnia Opium non mediocri quantitate recipiunt. Inter recentiores Cl. STAHLIVS [a]) certe anceps hæſit, & ſuos in bivio hærere fecit, quando, quod mirari haud deſino, pronunciare non dubitavit: Opiatorum uſum in hoc caſu non quidem damnamus, ſed neque laudamus. Certe niſi omnia me fallunt, ſi ulla alia ratione, hoc effato præcipue, bona cauſa Opii in medela dyſenteriæ elucescit clariſſime. Namque cum ne STAHLIVS quidem hoc pharmacum prorſus rejicere audeat, cumque raro aliquis celebris Practicus recentioris ævi affirmaverit, in totum abeſſe poſſe Opium a dyſenteria, & ſine exceptione omnem ſine eo eſſe ſanabilem, ſtatim certum redditur id retineri debere omnino in catalogo remediorum antidyſentericorum, eoque allaborandum eſſe Medico, ut uſum & abuſum cognoſcat accuratiſſime. Pulcherrime Illuſtris WERLHOFIVS [b]) Stahlium ambigentem & fluctuantem, tamen ad Opium in curatione recurriſſe monet. *In ipſo enim eo caſu* inquit, *paulo poſt, imo in leniori etiam malo, & primis initiis re vera, & claris verbis, illud collaudat. Præberi ſtatim mane jubet rhabarbarum, veſperi opiatam theriacam, vel præmiſſis pilulis balſamicis pilulas de cynogloſſa, & has quidem ad granum per 5. vel 6. horas unum, hoc eſt Opium ipſum nulla præparatione caſtratum ſeu correctum indies ad granum dimidium & amplius.* Atque poſtea notatu digniſſimis verbis pergit: *Cavendæ omnino ſunt nimiæ imbecillium medicaminum laudationes, ut ſemper ſufficere prædicentur evacuantia, quæ ſimul particulis ſubadſtringentibus pollent, aut & lac, oleum, ſerum lactis, nitrum, criſtallus montana, caſcarilla, tormentilla aliaque egregie demulcentia, temperantia, præcipitantia, tonica, alexipharmaca non opiata, licet hæc ſæpe feliciter ſufficiant, Opiata vero ſine limite reddantur ſuſpecta. Unde duplex oriri poteſt noxa, ut vel invalida molimina urgendo Medici minus experti & nimis diu horum laudibus fiſi, dum promiſſum juvamen expectant,* *ipſum*

a) *diſſ. de dyſenteria p. 32.*

b) *Caut. medic. de limitandis laudibus & vituperiis morborum & remediorum Tract. I. p. 22.*

*ipſum affectum intolerandum, & periculoſiſſimum, perſeverare, augeſcere, interimere ſinant, quem ſi laudum & vituperiorum limites didiciſſent, lenire, minuere, tollere licebat; vel præpoſtero generoſi medicaminis metu multa paſſim alia quaſi palpando in ambiguo minus apta & magis ſæpe periculoſa medicamina hinc illinc arripiant, vel ab ægro aut adſtantibus ſine arte tentari patiantur.*

## §. IV.

*Dyſenteriæ verum ingenium & uſus eximius evacuantium in medela.*

Omnes hi ſcopuli, quomodo evitari queant feliciter, in commoda ægrotantium, jam ut monſtrem accuratiſſime, mihi allaborandum eſt; quare ante omnia tanquam certum & evictum ſuppono, cauſam proximam dyſenteriæ eſſe acrimoniam tenuiſſimam, rodentiſſimam, cauſticam, ſepticam, contagio inficientem. Atque ſi ſymptomata inde enata conſideremus, hæc iis analoga deprehenduntur, quæ ſumto purgante draſtico valde, aut veneno eveniunt. Factum inde eſt ut acrimoniam dyſentericam colocynthidis æmulam MORTONUS [a]) habuerit, & plane pro venenoſa & arſenicalis naturæ habenda declaraverit DEGNERUS. [b]). Nil facit ad meos fines originem ejus primam prolixius & curioſius ſcrutari, atque operoſe inquirere, an in aere, an intus in ipſo corpore ea generetur; ſufficit notaſſe ejus in corpus noſtrum agentis effectus, qui omnes reducuntur ad ſummam irritationem villorum nerveorum inteſtinalium, horumque ſpasmodicas & convulſivas ſtricturas, tormina, & doloroſas dejectiones proritantes; ad eroſiones, inflammationes, gangrænas tunicarum inteſtinalium, ad reſolutionem humorum in tabum putridum, atque ad virium ſummam proſtrationem. Quomodocunque vero generetur morboſus hic ſtimulus, dum in corpore præſens eſt, ſedem ſuam præcipue habere videtur in bile, putrida & corroſiva reddita, quod ipſum ad varios Auctores provocans STAHLIUS, [c]) DEGNERUS, [d]) BOERHAAVIUS, [e]) de la METTRIE, [f]) PRINGLE [g]) & alii, variis argumentis evincunt. Redeunt

a) *Operum Med. Tom. II. app. pag. mihi 237.*
b) *de dyſent biliof. cap. II. §. 93-98.*
c) *diſſ. de dyſenteria.*
d) *de dyſent. billioſa.*
e) *in conſilio.*
f) *Memoire ſur la dyſenterie.*
g) *de Morbis caſtrenſ. Part. III. Cap. VI. p. 250.*

potiora

potiora ad tempus anni, quo morbus graſſari ſolet; ſub finem æſtatis & autumni initium; calor nempe aëris ſiccus bilis copioſiori generationi anſam ſuppeditat, ejusque acrimoniam exaltat, maxime ſi tenuiorum ſordium per cutim difflatio perſpiratione ſuppreſſa, inhibeatur. Idem deinde docere videtur cita infectio a fæcibus ægrorum, bilem acrem & in ea morboſum acre continentibus, hinc & lotione linteaminum propagatur malum, & Medicis fæces inſpicientibus non raro communicatur, ut bis accidit MORTONO,[h]) & celeberrimo cuidam Viro referente Ill. van SWIETEN.[i]) Porro bilem peccare apud dyſentericos inde conjicitur, quod malum valde familiare ſit regionibus calidis, ut alii morbi bilioſi, teſte PISONE,[k]) & BONTIO.[l]) Taceo juvamen a blandis ſubacidis laudatis præcipue a DEGNERO, & PRINGLIO. Taceo veſiculam felleam vacuam repertam in cadaveribus, & loca in inteſtinis quæ maxime laborarant, fellea flavedine tincta deprehenſa. Hujus autem acrimoniæ dyſentericæ bilioſæ, ſi necem afferat, ultimus effectus ſemper eſt gangræna inteſtinorum; ejus enim notas manifeſtas ſemper detexerunt extiſpicia, ut rectiſſime notarunt PLATERVS[m]) BINNINGERVS[n]) BARTHOLINVS,[o]) BAGLIVVS,[p]) RIVERIVS,[q]) PRINGLIVS,[r]) & alii multi.[s]) Cum igitur acrimonia hæc cauſa ſit omnium malorum, excretionum alvinarum exorbitantium, doloris, inflammationis, eroſionis, exulcerationis, gangrænæ, & mortis, nemo ambigit, illum qui eam acrimoniam ſtatim in principio quo agere incipit, poſſet tollere de corpore, vel inertem reddere, auferre aptum fore omnem morbum, cum omni ſymptomatum comitatu, omneque periculum ſimul ablaturum. Latet vero nos acrimoniæ ſpecificus character, nilque poſſidet ars, quod ejus verum antidotum poſſet venditare, neque generalia demulcentia, & incraſſantia vim ejus deleteriam vere invertunt & enervant, quare nil agendum prius, quam ut quantocyus e corpore

h) *Operum Tom. II. append. pag. 237.*

i) *in Comment. Tom. II. aph. 722. p. 396.*

k) *Hiſt. Nat. Ind. lib. II. c. 12.*

l) *Medic. Indorum.*

m) *lib. III. p. 821.*

n) *Cent. IV. obſ. 48.*

o) *Cent. VI. hiſt. 2.*

p) *p. 108. in fine.*

q) *Cent. III. obſ. 2.*

r) *de morbis militum p. 242. edit. germ.*

s) *vide Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Anno VI. obſ. 104. & Act. Haffn. Vol. II. obſ. 17.*

corpore proſcribatur, antequam in eodem fixiorem nacta ſedem pravos ſuos effectus omnes edere queat, ægrumque ſummo periculo exponat. Sed qua via? Tenuiſſima eſt ſine dubio, hæc acrimonia, & halituoſa, eam enim ejus indolem contagium loquitur; igitur quam optime ejici poſſe videtur per cribrum cutaneum; neque deſunt Practici ita ſtatuentes, & agere ſoliti, atque in certis conſtitutionibus epidemicis, omnino hanc evacuationem ſubinde locum habere, dubitari nequit. Verum & non poteſt negari, acrimoniam dyſentericam ordinarie innidulari cruditatibus primarum viarum coacervatis, a fructubus horæis, & aliis ingeſtis variis, mucoque inteſtinorum involvi, ac ut dixi, potiſſimum bili inhærere. Igitur non ſine contentorum ventriculo & inteſtinis expulſione, adeoque non ſine vomitu, aut catharſi, proſcribi e corpore poterit. Præferunt multi magni Practici alvum moventibus fere emetica, quod breviore via fomitem morboſum educant, bilioſasque ſordes potentius ejiciant. Notum eſt, quanta ſibi de radice ipecacuanhæ ex quo Europæ innotuit, poſt PISONEM qui uſum a barbaris didicerat *Med. braſil. p. 101.*, promiſerint tot Clari Viri, eam pro ſpecifico antidyſenterico venditantes. Inter eos VALENTINI [t]) radicem hanc in fluxibus dyſentericis ſeſe admirandam præbere dicit, dum vomitum movet materiam morbificam a parte affecta revellendo, dein finita operatione tonum viſcerum reſtituendo, quin & virtute alexiteria miaſma dyſentericum per poros cutis exterminando. Eadem elogia apud POMETUM [u]) & alios legas, ut mirum ſit, auſum eſſe *Commercium literarium Norimbergenſe* [x]) publice aſſerere, nil ſpecifici præ aliis emeticis ipecacuanhæ ineſſe. Nullam ego doctiſſimis Editoribus litem movebo, maxime cum hodie illam radicem negligere incipiant, potentiusque ſpecificum antidyſentericum Vitrum antimonii ceratum ſalutari debere, affirment, inter Recentiores Practicos peritiſſimos haud pauci. Vitro antimonii ſimplici, quod ipſe

t) *Polychr. Exot. p. 22.*

u) aufrichtiger Materialiſt *Part. I. lib. II. c. 1. p. 56. 57.*

x) *Anno 1733. p. 44. 45. & 1734. p. 333. & 1735. p. 221.*

ipſe ad ventriculum repurgandum identidem ſumere conſueverat, empirica periclitatione quendam belli Præfectum curaſſe quatuor dyſentericos, notat HOYERUS. [y]) Verum robuſtioris illi conſtitutionis erant, interim tamen primus eorum per vomitiones & dejectiones viribus penitus proſtratis diu alto ſomno mergebatur, ſanus tandem dum evigilabat. Mitius multo Vitrum antimonii ceratum, referente Cl. PRINGLE, [z]) qui id ſpecificum egregium declarat, & modum præparandi docet, primus ut arcanum in dyſenteria uſurpavit aliquis Parochus STEELE. Id adeptus Celeb. YOUNG ob vehementiam ſuam adhibere primo dubitavit, deinde ut docet laudatus PRINGLE, periculum faciens, pulchros ejus effectus didicit, & præparationem adhibendique methodum publici juris fecit. Youngianas laudes, variorumque aliorum, qui hoc remedio uſi ſunt, teſtimonia adfert PRINGLIUS, [a]) alibi tamen coacervatis his encomiis non parum detrahere videtur. Scilicet licet iterum Vitrum antimonii ceratum pro ſpecifico agnoſcat, ſi in principio detur, dicit tamen ſe ob violentam operationem ſemper optaviſſe, ut leniori remedio morbum poſſet ſanare. Igitur non niſi in caſibus pertinacioribus ſe eo uſum fuiſſe fatetur, addit tamen ſe obſervaſſe, quod aliis irritis profuerit, ſi inteſtina adhuc fuerint utcunque ſana, ægerque non nimis debilis nulla febre laboraverit. Dolet autem doſin incertam eſſe, cum mediocris aut ſegnior, aut fortis nimis ſæpe in actione obſervetur. His omnibus non obſtantibus hoc remedium antimoniale in curanda dyſenteria ipecacuanhæ etiam præferri video, in methodo illa brevi medendi morbis caſtrenſibus, quæ latine, gallice, & germanice in gratiam Exercituum imperialium edita eſt, non ſine præſcitu opinor & approbatione Illuſtris Archiatri van SWIETEN. Operæ pretium ergo videtur curatius inquirere, in vim ejus ſpecificam, quod in ſe ſuſcepit Auctor diſſertationis Halenſis, *de Viribus Vitri antimonii cerati ad rationes*

y) *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An. III. obſ. 51.*

z) *Act. Med. Edinburg. Tom. V. Part. I. p. 238. edit. germ.*

a) *de Morbis Militum p. 259. & 260. edit. germ.*

*ſuas revocatis.* [b]) Deducit autem eas a parte regulina terrea vitreſcibili arſenicali principio inquinata, at acido vegetabili inflammabilique ceræ quodammodo ita temperata, & involuta, ut draſtica potentia mitigata ſit, tumque ſtimulo mitiori vomitiones & dejectiones remedium cieat. Speciales autem virtutes deinceps idem Auctor ut in aliis morbis, ita & in dyſenteria id exerere, ex Anglorum recentiorum ſcriptis adductis probat. Hæc omnia dum cogito, dumque ſimul quod PRINGLIVS haud diffitetur, bene perpendo, Vitrum antimonii ſimplex vere venenum eſſe, ipſam dyſenteriam excitare aptum, illud cera etiam cicuratum non promiſcue adeo in uſum vocari poſſe, videor mihi intelligere. Dum mitigatum licet ſat tamen adhuc potente ſtimulo agit, nil demere poſſe videtur ſtimulo dyſenterico, igitur nil aliud facere ad medelam, niſi hunc ejiciendo per vomitum. Forte autem illud eapropter nullam prærogativam habet præ aliis emeticis, ut ad ſententiam Auctorum Commercii literarii Norimbergenſis Radix ipecacuanhæ nulla præ aliis pollet, quam tamen huic aſſerere laborat claſſicus de dyſenteria Auctor DEGNERVS *cap. III. §. 15. ſeq.* antimonialibus haud favens. Forte Vitrum antimonii ceratum, præ apta doſi tartari emetici haud laudari meretur, aut ſi hic potentius operetur, ejus doſis minor idem præſtabit, & æque ſecura erit in caſu idoneo, ac major Vitri antimonii cerati. Certe Cl. GEOFFROY [c]) in vitro antimonii cerato, ceram nil aliud efficere ſtatuit, quam ut hoc diminuta virtute dupla vel tripla quantitate ſumi poſſit, quam vitrum antimonii ſimplex ſpiritui vini in mortario miſtum. Niſi omnia me fallunt, ex omnibus morbi & medelæ hiſtoriis, quas collegit PRINGLE in actis edinburgenſibus, non conſtat, pluribus vicibus porrectum vitrum antimonii ceratum, citius & tutius ſanaſſe dyſenteriam, quam eam ſanasſet toties porrecta radix ipecacuanhæ. Saltem me nunquam eo perducet heteroclitum caput de la METTRIE, [d]) ut rejicien-

b) *Habita fuit ſub Præſidio Ill. Buchneri 1757.*

c) *Acad. Royal. des Sciences ann. 1745. p. 162.*

d) *Oeuvres de Medecine memoire ſur la dyſenterie.*

rejiciendam penitus cum rheo ſtatuam ipecacuanham, imo vero ob principium ſubadſtringens & hanc & illud pro noxiis plane pharmacis declarem, cum millenis & millies millenis vicibus ſalutaria valde deprehenſa ſint, antequam ab ipſo adeo magni factum Vitrum antimonii ceratum innoteſceret, cui præ Ipecacuanha nil tribuendum eſſe cenſet BARON *Not. ſur la Chymie de Lemery p. 309.* Id ſatis certum eſt, multum ſæpe boni præſtare dyſentericis emeticum, etiam repetitum, quo mitius vero illud egerit, ſi ſaltem mineram morbi ejiciat, eo magis erit laudabile; quo magis vero æger vitiorum diæteticorum ſibi conſcius eſt, quo magis præcordiorum oppreſſione, cardialgia, nauſea vomendique conatu affligitur in morbi principio, eo magis indicatur Vomitus. Nocet interea facile, & periculoſa eſt ejus provocatio, præcipue per remedium vehementius agens, ſi æger ſit valde ſenſibilis, ſi morbus jam adoleverit, ſi febris adſit, ſi inflammatio ventriculo & inteſtinis imminet, multoque magis ſi jam adeſt, hæcque eroſa ſunt & exulcerata, atque vires valde exhauſtæ. Sub his nempe conditionibus abeſſe debent omnes ſtimuli, etiam maxime medicamentoſi habiti.

Sed & præmiſſo, vel ſi morbus jam invaluit, aut vires ſunt nimis debiles, aut aliquid aliud contraindicet, omiſſo emetico, opera danda eſt, ut bilioſa ſaburra cum miaſmate innidulante per inferiora evacuetur. Ad hunc finem tantum non ab omnibus Scriptoribus practicis præcipue, ſimulque ut ſpecificum antidyſentericum commendatur Rheum, quos inter teſtis idoneus unusque inſtar omnium Cl. DEGNERUS,[e]) cum ſimul corroboret, ſelectiſſimum omnium in dyſenteria purgans id conſtituere affirmat, quo nec præſtantius ac tutius in rerum natura detur, quoque ars plane nequeat carere. Ego ſat ſæpe eximias ejus vires in hoc morbo expertus nollem ſaltem alia quædam ſelecta purgantia neglecta. Præfert ſoli Rheo, potionem ex Tamarindis, Senna, Manna, & Syr. Roſarum ſolutivo Rheo adjectis

e) *c. III. §. 14. ſeq.*

SYDENHAMVS,[f]) hocque niſi Mannæ aliquid aut Syrupi roſacei ea quantitate admiſceatur, ut plenior fiat catharſis, non admodum conducere aſſerit. Niſi ego vehementer fallor, Manna non ſaltem æquiparanda ſed certis reſpectubus plane præferenda videtur Rhabarbaro. Evacuat hoc & ſimul tonicam virtutem exerit, ſed hæc demum præcipue inſervire poteſt circa morbi finem. Dum is incipit & durat, inteſtina non ut relaxata conſideranda ſunt, ſed ut irritata & criſpata, atque in hoc ſtatu potius villorum relaxatione quam ſubadſtrictione opus. Primarii in medendo ſcopi ſunt acre quantocyus eliminare, adhuc reſtitans involvere, parietes inteſtinorum a roſione defendere, criſpatas fibras mulcere, inflammationem præcavere, & naſcenti occurrere. Hoc omne poteſt Manna bilis putredini adhuc magis contraria ac Rhabarbarum. Gaudet nempe manna præter gummoſum, mucilaginoſum & oleoſum principium, etiam multo ſale acido.[g]) Quodſi autem blanda ſubacida potulenta & remedia, teſte BOERHAAVIO,[h]) DEGNERO[i]) & SWIETENIO,[k]) ſunt laudatiſſima, utpote bilioſæ alcaleſcenti acrimoniæ adverſa, erit etiam laude dignum ejusmodi purgans. Atque tale cum Tamarindis eſt Manna, quæ ſimul incraſſat, demulcet, relaxat, antiphlogiſtica eſt, & indoli acrimoniæ morboſæ e diametro adverſa. Rhabarbarum, cujus vires laudo & miror, non tamen incraſſat, non demulcet, non ſolvit lentorem phlogiſticum, non eſt adeo antiſepticum; quanquam enim deſtillatum etiam acidulum liquorem largiatur, non eum alit tanta copia, ac manna.[l]) Hæc cum ita ſint, nondum ſatis capio, qui factum ſit, ut HOFFMANNVS benedictam ſuam Mannam non majori opera collaudaverit in medela Dyſenteriæ, in qua ſat ſæpe ipſam multum boni præſtitiſſe obſervavi, cum vel ſine rheo, interdum & in emulſione oleoſa adhibitam. Tacet fere prorſus de eadem *in Medicina Syſtematica*[m]) Vir clariſſimus, dum medendi methodum tradit, in cautelis practicis

ſaltem

f) *Operum p. 226. 227.*

g) *Hoffm. diſſ. de Manna §. 9. & Cartheuſer mat. Med. Tom. I. p. 464.*

h) *in Conſilio de dyſent.*

i) *cap. III. §. 77.*

k) *in Comment. Tom. III. §. 977. p. 195.*

l) *Vide Cartheuſer Mat. Med. Parte priori p. 464. & 518.*

m) *Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. 7. p. 548.*

ſaltem commode radicem ipecacuanhæ cum decocto ex rheo, tamarindis & manna parato exhiberi notat vel decoctum hoc ſine emetico. Tamen alibi [n]) adhuc juſtus eſt in merita, quæ huic remedio debentur. *In principio dyſenteriæ* inquit, *apprime conducibile eſt, ut mordaces cauſtici ſucci nervoſam inteſtinorum tunicam gravius infeſtantes, arrodentes, & inflammationem ſuſcitantes, clementer evocentur, quod apte perficitur ſero lactis adjectis aliquot rhabarbari extracti granis, & mannæ uncia una vel una cum dimidia.* Circa morbi finem manna utique, monente laudato Viro [o]) non bene convenit, ſed facile tormina revocat, cum relaxata inteſtina eam non bene ferant, ſed potius aliquod roborans deſiderent, tumque ſi alvum laxante adhuc opus, rhabarbarum erit convenientius.

n) *diſſ. de ſero lactis* §. 22.

o) *l. c. Med. Syſt. p.* 548.

§. V.

*Opium eidem repugnat,*

Nunc quando omnino utile & valde neceſſarium eſt, acrimoniam dyſentericam bilioſas ſordes habitantem, mature cum iis, vel vomitu vel catharſi ejicere, facile intelligitur, quam ineptum haberi debeat conamen, eo tempore neglectis his evacuationibus, quocunque demum etiam fine præſcribere Opium. Ægros, quorum Ventriculus ſaburra onuſtus eſt, nauſea, vomendi conatu, vomituque, cardialgia, præcordiorum anxietate, ſtatim in principio diſcruciari notat HOFFMANNVS, [a]) eadem mala ordinarie ſub initium morbi in diarrhœa bilioſa quam exponit, adfuiſſe ſcribit DEGNER. [b]) Turpe foret, licet ad nauſeam cardialgicam, & vomitionem compeſcendam aliquando valeat Opium, eapropter Dyſenterico ægro id porrigere, cum potius ſæpe juvare idoneis remediis vomitum expediat, tantum abeſt ut debeat præpediri. Pulchre notat Cl. PRINGLE, [c]) ſe nunquam in morbi principio exhibuiſſe Opiata, præcipue quando ingens nauſea aderat. Licet enim Opium aliquibus magnum levamen adferret, apud alios tamen ſe obſervaſſe, altera die & nauſeam & fluorem alvi pejorem

a) *Med. Syſt. l. c. p.* 530.

b) *Cap. I.* §. 29.

c) *Act. Med. Edinburg. Vol. V. Part. I. No.* 15 *p.* 245. *edit. germ.*

 reddi-

redditum fuiſſe. Quis vero fluori dyſenterico compeſcendo directe opponi haud poſſe Opium non animadvertit, quando perpendit, hac ratione hanc ipſam viam occludi, per quam præter emeſin, minera morbi cum ipſis ſordibus alvinis ſimul debet ejici, & omnium optime ejici poteſt. Sane temerarium eſſet aſſerere id fieri poſſe ſine manifeſto diſcrimine ægri, omnes quippe Autores notarunt, ex hoc ſolo errore nata fuiſſe diriſſima ſymptomata, terribiliaque ac mortifera mala, quæ vel ſibi ſoli relicta dyſenteria haud creaſſet. Ipſum dolorem magis exaſperari & malum incurabile reddi, ſi cauſa neglecta fluxum ſiſtentia adhibeantur, bonus docet SENNERTVS. [d]) Aphthas mortem imminentem utplurimum denunciantes ob evacuationem non exacto prius per cathartica morbi fomite, impeditam, enaſci, ſolers cum aliis notavit SYDENHAMVS; [e]) præter has anxietates præcordiorum, ſingultum, inflammationes, abſceſſus, convulſiones, febres, mortem aut varia chronica mala ob retentam intus materiam cauſticam, recenſet HOFFMANNVS [f]) ad varios Auctores ſimul provocans. Tympaniticos tumores ſpeciatim citat PRINGLE. [g]) Taceo poſt Veteres, HOLLERIVM, FORESTVM, WELSCHIVM, CRATONEM, PRIMEROSIVM, BERGERVM, LENTILIVM, RIDLINVM & multos alios, namque apud omnes Obſervatores damna ſimilia & ſontica, ex cohibitis minus opportune dyſenteriis inveniuntur. His igitur reſpectubus omnino noxium in dyſenteria eſt opium, namque omnibus ſuis dotibus acre irritans per alvum non expellit, ut opus erat, ſed ea occluſa, retinet, nec id deſtruit, nec involvit, nec impedit omnes ejus effectus, excepto ſolo dolore. At dum ſenſum ſaltem doloris ſæpe ad breve tempus tollit, manente ejus cauſa, Medicum & Ægrum ab abſente doloris ſenſu, ad abſentem vel non agentem cauſam forte concludentes, turpiſſime fallit, hæc enim præſens & agens omnia mala quæ patrare potis eſt, non obſtante exhibito ſenſum tantisper

d) *Pr. Med. lib. III. Part. II. ſect. II. Cap. 7. p. 343.*

e) *Operum p. 222.*

f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. 7. p. 546.*

g) *de Morb. caſtr. p. 236. & 253. edit. germ.*

per obtundente opio, libere patrat. Juſtiſſimæ ergo videntur omnes invectivæ in Opium, quas a nonnullis Gravibus Viris, præcipue HOFFMANNO, DEGNERO, PRINGLIO, YOUNGIO profectas in antecedentibus recenſui.

§. VI.

Verum enim vero urgentiſſimum Symptoma dyſenteriæ ordinarie tamen eſt dolor, cujus atrocitatem dum in proprio corpore ſenſi, qui ter dyſenteriam ſuſtinui, formidabilem eum, & tremendum vel in memoriam revocatum habeo, & ut tuto leniri queat, Ægris omnibus abominabili hoc morbo laborantibus candidus exopto. Neque etiam ſi triſti hac experientia ipſe deſtitutus ſat duro de robore ſatus, ſatque immiſericors foret Medicus, ut negligendam interea triſtiſſimam ægri ſenſationem reputaret, modo illius vita in vado locaretur, ſanitatisque tandem reſtitutio nihilominus confidenter ſperanda eſſet, perinde ſemper futurum eſt, ſive dolor reſpiciatur, ſive minus. Summo potius ſtudio, ut optime HILDANVS [a]) notat, allaborandum eſt, ut ille ſedetur, quia ſanguinem & humores ad partem affectam violenter attrahit, unde febris, ſyncope, inquietudines, phreneſis, aliaque graviora ſymptomata ſequuntur, donec tandem vires plane proſternantur. Atque ſimilia monenti Cl. BERGERO [b]) omnino auſcultandum, quando Opium non doloris ſolius reſpectu laudat, ſed plures indicationes id abſolvere poſſe innuit, cum & diaphoreſin promoveat, perque eam affluentem divertat materiam, ac ſtimulum & motus irrequietos, atque cruciatus & tormina inteſtinorum ſedet, ſomnumque, qui merito optimum dyſentericis remedium habetur, procuret. Hæc ſi penſitentur accuratius, dum alia anodyna dicta emollientia, demulcentia, relaxantia, oleum amygdalarum, Vitelli Ovorum, licet alcaleſcere queant, DEGNERO laudati, Gummi Arabicum, Tragacantha, Gluten ſcriniariorum, Sperma Ceti, Amylum, terræ pingues, cera lacti incocta, cortex ſimarutæ, radix ſalab, &c. remedia

*nihilominus ſub certis conditionibus proficuum.*

a) *Tr. de dyſenteria c. IX.*

b) *diſſ. cit.*

dia cœteroquin laudatiſſima, tamen nimis ſegnia ſæpe ſunt, quis non largietur, Opium boni multum præſtare dyſentericis poſſe, ſi ſaltem poſſibile fuerit noxas illas avertere, quas cordati Medici inde oriundas, non ſine prægnantibus rationibus recenſent. Eæ autem omnes ſi ſigillatim conſiderentur, pendere obſervantur ab una radice, evacuatione nimirum ſordium acrium, quam per alvum ipſe morbus inducit, minus opportune cohibita, artificialique evacuatione neglecta. Quodſi igitur acrimoniæ evacuationi ſatisfiat, quodſi præterea ſemper attendantur illi effectus, quos illa adhuc reſtitans ciet, iisdemque cito obviam eatur, id eſt, ſi quantum licet correctioni & involutioni ipſius acrimoniæ proſpiciatur, ſi denudatæ tunicæ villoſæ ſolamina parentur; ſi inflammatio ejusque ſequelæ idoneis præſidiis avertantur, nunquam nocere poterit ſimul uſurpatum Opium. Omnem potius morbi decurſum reddet tolerabiliorem, ſolum vero ſine aliis remediis ſufficienter in uſum vocatis, adhibitum morbum reddet atrociorem, funusque ægri tanto certius. Quare quando juvenili ætate, plethora, diæta vinoſa prægreſſa, febre præſente poſtulantibus, VS. ad arcendam inflammationem præmiſſa eſt; quando Vomitorium ab ingeſtis multis fructubus horæis, a nauſea, cardialgia, vomendi conatu, anxietate præcordiorum indicatum, fuit exhibitum; vel quando hoc natis juſtis contraindicantibus, omiſſo, purgans rharbarbarinum, aut mannatum, vel utrumque ſimul ea doſi ut ſufficienter agat, monentibus hoc SYDENHAMO, PRINGLIO, & aliis egregiis Viris, porrectum fuit; tutum erit omnino Opium, inter adhibitionem clyſmatum & potulentorum emollientiſſimorum, demulcentiſſimorum, incraſſantium, antiphlogiſticorum, ſimul in uſum vocatum. Hæc præcepta practica prorſus obiter habita, ſaltem ferire poſſunt anxiæ variorum dehortationes ab Opio, & funera inde excluſa, quæ allegantur, non juſtam adhibendi methodum. Cavendum ſaltem, ad noxas ab eo uſurpato avertendas,

tendas, ne unquam eidem ſoli fidatur, ſed cum mollientibus & mulcentibus evacuationes repetendæ ſunt, hisque opium interponendum, & ſubjungendum, præcipue verſus noctem, quod tunc ſaltem ſolum, cum demulcentium apparatu adhiberi debet, quando evacuantibus in morbo jam nimis adulto, & confirmato, nullus amplius locus eſt, ut in ſequentibus plenius expoſiturus ſum. Bene notari velim, pauciſſimos Medentum in curatione dyſenteriæ, opium damnare in totum, ſed ſaltem ſi ſtatim in principio detur, & evacuationes negligantur. Has vero cautiones practicas, circa ejus uſum ſecurum, ægroque acceptum ſimul, & ſalutarem, obſervandas, plerique præſtantiſſimorum Virorum, qui in hoc morbo Opium magnifaciunt, bene ſciverunt, & methodo ſuæ adaptarunt.

## §. VII.

*id quod ulterius commonſtratur.*

Priſco nimirum jam tempore HIPPOCRATES, [a]) in dyſenteria, pharmacum in potu exhiberi juſſit, quod ſurſum pituitam purgat, & alvum lacte eluendam voluit, eaque quæ inſunt ex ea ſubducere præcepit. Atque rectiſſime GALENVS [b]) HERODOTVM & DIOSCORIDEM taxat, quod in hoc morbo omni tempore adſtringentia danda eſſe opinati ſint, eademque ſola ſine aliis remediis. Nunquam certe facere poterunt genii ægritudinis probe gnari cum iis, niſi forte peculiaris Epidemiæ indoles ita jubeat, qui cathartica negligenda eſſe exiſtimant, de quorum genuino uſu in hoc morbo, pulchram diſſertationem, teſtimoniis optimorum Auctorum plenam, conſcripſit FICKIVS. Neutiquam igitur cum Cl. MOORIO [c]) ad hypotheſes Medicas, quas improbat, ſed ad leges medicas referendum ſtatuo, in profluviis alvinis, curationis principium ab expurgatione ſordium in inteſtinorum canali ſtabulantium, faciendum eſſe. Neque hic placet mihi alioquin ſæpe placens LENTILIVS, [d]) qui ſibi purgantium uſum in maligna & benigna dyſenteria nunquam probatum dicit, licet initio pra-

a) *libr. de affect.* §. 24.

b) *de ſimpl. Medic. facultatibus lib. I. c. 36.*

c) *Orat. de hypotheſ. medicis.*

d) *iatroum. p. 582. 583.*

xeos a ſe adhibitum, cum per locum affectum nunquam evacuandi ſint humores, omiſſoque omni rhabarbaro, in dyſenteriæ principio, bis terve potens ſudoriferum theriacam cum bezoard. min. CC. phil. & ſale volatili CC. exhibendum præcipit. Diſplicet vero mihi hic ille tanto magis, quod poſt ipſas noxas, a cita ſuppreſſione, quas ab ea natas agnoſcit, poſthabitis omnibus evacuantibus per alvum, denuo exhibuerit adſtringentia & opiata, ut ex ejus Miſcellaneis patet.[e]) Vix vero aliter ſeſe gerit WEDELIVS,[f]) is quidem non negat, poſſe interdum Curæ initium ſuſcipi cum rhabarbaro, ſeu ſibi relicto, ſeu toſto. Favet tamen potius ſudoriferis, tincturamque ſuam bezoardicam cum anodyna, in principio morbi commendat. Ut cum eo facere non poſſum, ita etiam non cum PITCARNIO,[g]) poſt VSem in omni fluxu Ventris ſanguinolento inſtituendam, niſi dyſenteria ortum traxerit a materia tenaci, omiſſionem purgantium, eaque ſaltem quæ adſtringunt, & incraſſant, ſuadente. Neque imitari vellem WILLISIVM[h]) ejusque, licet purgantia in uſum vocet, ὕϛερον πρώτερον practicum quod committit. Curam enim cum theriaca & laudano liquido incipiens, poſt diem unum aut alterum demum potionem purgantem rhabarbarinam exhibet, laudanum iterum veſperi, & interdiu ſubjungens. His omnibus rectius HILDANVS[i]) laudanum & alia opiata multis equidem laudat, ſed ſolers antea de VSe, purgantibus, & emeticis, præmittendis, conſilia ſuppeditarat. Multo etiam convenientius laudatiſſimus SYDENHAMVS poſt VSem, ſtatim in principio, & dein diebus alternis, mane ter exhibet purgativam potionem, veſperi, & diebus intermediis etiam mane ſuum laudanum, atque ter purgato ægro totam curationem laudano abſolvit. Mitiorem ergo animadverſionem Vir optimus mereri videtur, quam qua ipſum excepit Cl. PRINGLE,[k]) qui optime emetica & purgantia palmaria in cura remedia eſſe dicit, quando illum fere ſoli laudano confiſum fuiſſe

e) *Parte I. p. 64. 106.*

f) *Opiol. pag. 122.*

g) *Elem. Med. lib. II. c. 19. p. 108.*

h) *Pharmacevt. Rat. Part. I. ſect. III. c. 3.*

i) *Tract. de dyſenteria Cap. IX. & cap. VIII.*

k) *Part. III. c. VI. Sect. 4.*

fuiſſe contendit, cum tamen niſi in iis caſibus, ubi evacuantia ob irritationem qualemcunque, nullum locum habebant, non ſimpliciter catharſin, eandemque repetitam; ſed diſertis verbis, *pleniorem* injunxerit. l) Quemadmodum autem Sydenhamus, cujus veſtigia feliciter preſſit HVXHAM, m) ita quoque SENNERTVS n) noſter non cœco impetu opiatis uſus eſt, ſed egregie purgantia & clyſteres ſtatim in principio commendat, antequam inteſtina a cauſa morbifica gravius lædantur, atque aliquoties purgandum dicit, & ſi hoc continuis diebus non tutum videatur, alternis id fieri debere, donec humor vitioſus maxima ex parte ſublatus ſit, interimque clyſteres injici ſuadet vel uno die repetitis vicibus. Addit his præceptis ſapienter: *Si enim prius deſiſtatur, antequam materia evacuata ſit, ac fluxus intempeſtive ſiſtatur, multa mala ſequuntur, materia detenta deteriore reddita, ac majore cum impetu & periculo fluxus redit. Et quamvis ſatis ante excernere videatur æger, tamen hoc non ſufficit. Hæret enim ſubinde aliquid de materia in inteſtinis; imo quicquid vel cibi & potus etiam boni aſſumpſit corrumpitur, & in vitioſam materiam convertitur.* Deinde etiam præclare ETTMVLLERVS o) præmiſſo laxativo una vel altera vice, ad laudanum accedendum, & in hujus uſu perſeverandum dicit, niſi ubi urgeat malum, tum enim mitigatis utcunque opio ſymptomatibus, laxantia ſubjungenda vult opio iterum dato. Atque claris verbis BERGERVS p) mox primo mali inſultu alvum ſemel iterumque, ac ſæpius, ſi res poſtulaverit, interpoſito debito temporis ſpatio, leniter ſubducendam, rheumque uſurpandum eſſe, vel & ipecacuanham conſulit, tumque quod reliquum eſt fere opiata expedire monet, quorum rectum uſum ſimul docet. Eadem ratione BRVNNERVS in morbi initio deterſivum ex rheo, oleumque amygdalarum laudat, atque quanquam dein opiata divina remedia vocet, dum ſimul eos lupum ſtabulo includere dicit, qui adſtringentibus certant, abunde

l) *Operum p. 226. 227.*

m) *Obſ. de Aëre T. II. p. 108.*

n) *Med. Pract. lib. III. Part. II. ſect. II. c. 7. p. 351. 352.*

o) *in Operibus pract. cap. de dyſenteria.*

p) *diſſ. de dyſenteria §. 19. & 20.*

 ſatis

ſatis profitetur, inhibitione ſola fluxus alvini, ſine aliis reſpectubus malum neutiquam tolli, quare & opium ita dandum eſſe innuit, ut præpoſtere excretionem alvinam haud ſiſtat. Neque oblitus eſt noſter de HELWICH [q]) primo omnium reſpicere, ut materiam in cavitate inteſtinorum contentam abſtergeret, & educeret, licet anodyna poſtea collaudet. BOERHAAVIVS vero tribus diebus continuis, mane, militibus ſumendum ſuaſit vinum emeticum, vel purgans, finitaque operatione opium ad grana ij, tumque cura præcipua peracta, reliquum demandavit Electuario ex theriaca aromaticis & roborantibus compoſito per dies XI. aſſumendo; quem accurate imitatus fuit Ill. van SWIETEN, aut quicunque Autor fuerit libelli medendi methodum potioribus morbis militum exhibentis. Tandem MEAD [r]) Vino ipecacoanhæ vomitum elicere jubet, non ſemel ſed ter quaterve, interpoſito biduo vel triduo, atque inter has exinanitiones, & etiam poſtea, laudat bolum ex confectione cardiaca, & bolo gallica adjuncto extracto thebaico, ita ut illorum ſingulorum ſcrupulus unus, hujus granum unum ter de die aſſumatur. Atque cum MEADIO alii Medici Angli [s]) bolum antidyſentericum opiatum demum dandum & repetendum præcipiunt, quando præmiſſis VSe, emetico, & bolo rhabarbarino, juvamen haud ſequitur. Ex his vero methodis omnibus Clariſſimorum Medicorum jam abunde conſtat, eos etiam qui Opio in dyſenteriæ medela favent, ejus uſum juſtis cautionibus circumſcribere, valdeque memoratu dignum eſt, recentiſſimos Scriptores DEGNERVM, PRINGLIVM atque YOUNG, qui ab adhibitione hujus remedii dehortantur, id tamen idoneo tempore etiam ſuum feciſſe. DEGNERVS certe, ut ex loco in antecedentibus allegato patet, evacuata materia, ægri conditione anodyna ſuadente, pilulas de cynogloſſa, diaſcordium & theriacam vere exhibuit. PRINGLIVS ſepoſito opio, donec æger vomuerit, vel purgatus fuerit, deinde

q) *Hiſt. Morb. Vrat. 1699. p. 136.*

r) *Monit. Medica p. 70. 71.*

s) *vide* den Kern der gantzen *Medicin.*

tamen

tamen Pilulas Matthæi porrexit, vel mixturam quæ in Aquæ Cinam. unciis ſeptem Electuarii diaſcordii unciam dimidiam habebat. De hac illis diebus in quibus Rhabarbarum omittebatur, aliquoties unum vel duo cochlearia æger ſumebat, quando autem purgans hoc aſſumſerat, finita operatione, grana ſeptem pilularum capiebat. Quodſi his nulla quies obtinebatur certum ſignum inde natum exiſtimabat PRINGLIVS, reſtitare adhuc ſordes in inteſtinis, earumque excluſioni potius quam dejectionum conſopitioni, operam impendendam eſſe. Nonne vero ſic fere ita ſeſe geſſit ac SYDENHAMVS quem taxat, hic quippe purgativam ſuam potionem dato opio ſemper repetiit, morbum tamen ultra tertiam purgationem vix duraſſe edixit, quemadmodum & BOERHAAVIVS *) qui ter aſſumto emetico vel cathartico, cui ſemper Opium ſubjungebat, præcipuum curationis punctum abſolutum iri reputavit. Reſtat YOUNGIVS, qui ultro largitur Opium eſſe ſæpe utile intenſiſſimosque cruciatus minuere, poſtquam evacuationi proſpectum fuit, atque in morbi fine ad mitigandum tenesmum & ad vires excitandas, id tanquam præſtantiſſimum cardiacum commendat. Huic tamen ſcopo ego lubentius ſuperato morbo, deſtinavi cum HOFFMANNO [t]) Vinum rubrum, citius ſi detur, monente DEGNERO [u]) noxium, aut cum SYDENHAMO [x]) Vinum canarinum, qui illud aqua dilutum etiam durante morbo pro potu ordinario concedit, a LENTILIO [y]) ubi febris, æſtus, ſitis, & urina rubra adeſt, recte exulare juſſum.

## §. VIII.

*Auctoris ſententia limitato uſui Opii favens.*

Jam his omnibus excuſſis, atque evacuantibus remediis, ſi opio (quod non minus excellens remedium eſt) præmittantur & interponantur, omni modo utilibus & neceſſariis declaratis, mihi incumbere autumo, ut quid ipſe boni ex hac methodo obſervaverim, ſpeciatim exponam. Non deſunt mihi SYDENHAMVM præcipue ſecuto, dyſenteriarum feliciter perſanatarum hiſtoriæ, quas longa ſerie ad-

*) *in Conſilio.*

t) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p.* 572.

u) *Cap. III. §.* 78.

x) *Operum p.* 228.

y) *eteodr. p.* 750. 709.

ſcribere ſupervacaneum foret. Liceat ex peſſimis mentionem injicere ſpectabilis Mercatoris, cui rhabarbarum ter ſufficiente doſi exhibueram, frequentiusque clyſmata ex lacte, vitello ovi, & oleo, injici curaram, atque pro potu lac cum aqua coctum propinaveram, veſperi ſemper opii doſin porrigens. Septima morbi die, adhuc creberrimis dejectionibus ita vexabatur æger, ut vocatus in ſubſidium doctiſſimus Collega illis, & intercurrentibus torminibus, opium crebrius opponendum decerneret. Dedimus, cum evacuationes ulteriores moliri alvo ſponte ſua nimis profuſa valde incongruum futurum fuiſſet, per 4. adhuc dies ſingulis 4. 5. 6. horis granum unum laudani puri, cum abſorbente. Toties vero repetita hæc præbia tulit optime, ſemper valde levatus, ſine majori proſtratione virium; ſine phantaſmatibus, ſine ſomno diutius protracto, tandem dejectionibus remittentibus, granum dimidium iisdem intervallis accepit, atque ab ulcere reſiduo feliciter curatus hodie poſt multos annos ſanus ſupereſt. Largam certe Opii quantitatem durante morbo aſſumſit, cui ne quis oſor forte ulceris geneſin attribuat, quæ potius morbi magnitudini & pertinaciæ debetur, en me ipſum, ulcere tetro a dyſenteria olim affectum, ſine hoc remedio in uſum vocato. Magnum certe ſolamen perſenſiſſem miſer, ſi Juvenis 19. annorum dyſenteria horribili quæ epidemice tum Vratislaviæ graſſabatur excruciatus, ſatisque arte & morbo expurgatus, ad infandos dolores leniendos, tantillum Opii a Clariſſimo Medico qui mihi præerat, obtinere potuiſſem. Bene recordor, ipſum noctu advocatum mihi precibus enixe lenimen flagitanti porrexiſſe guttulas quasdam de eſſentia caſtorei, quibus eheu! parum reficiebar, qui tetrum caſtorei nidorem natura ad hunc diem averſor. Melius alio tempore & æger, & Medicus, poſtquam ad lectulum dyſenterici, latrinæ ejus portatili ſellæ ordinariæ forma deceptus inſederam, hauſtoque ſic contagio morbum in me ipſum derivaram, mihi con-

ſului.

ſului. Statim eadem veſpera clyſma applicari faciebam demulcens, dein tribus diebus mane ſumſi rheum in potu Coffée, veſperi poſt clyſma applicatum, Opium, interdiu emulſionem oleoſam. Quarto & quinto morbi die a dolore fere liber, corticis peruviani uſu ad ſeptimum protracto, inter potum lactis cum ſacharo, cum ſanitate felix in gratiam redii. Atque eadem fere methodo & tertia vice, infectione inter tales ægros verſans dyſentericus factus, per clementiam divinam citam opem mihi præſtiti. Illis autem omnibus, quæ hactenus fuſius diſputavi, ſufficienter Opio ſuum in levanda, & curanda dyſenteria honorem, ut decet, me vindicaſſe autumo, neque audiendos illos puto, qui ejecto ſtimulo, dejectiones & dolores ſponte conquieturas, & anodynis eapropter tum non opus futurum, prætendere poſſent. Ut enim jam memoratum ſummum levamen, quod dum decurrit morbus, prudenter data anodyna ægro præſtant, hic taceam, raro certe excretiones, ſponte ſua, remota licet materia, ceſſant; nam in habitum facile degenerant, adeo invaleſcentes motus excretorii. Speciatim autem ſumme moleſtus ille tenesmus, qui non ſaltem quicquid humorum in cavo inteſtinorum adeſt, ſed omnia liquida, quæ irritatione eo alliciuntur, emungit, tandemque indicibilis ſenſibilitas, denudatæ cruſtæ villoſæ, abraſo, quod hujus lanugini nervoſæ naturaliter incumbit, mucoſo tegmine, ſtimuli impatientiſſima, ſopiens pharmacum omnino flagitat. Deinde etiam is metus ſæpe inanis eſt, ſi primis diebus exhibeatur, actis licet agendis, Opium, nimis præmature excretiones & motus eas juvantes ſopiri. Adeo furioſo nimirum impetu, ſub ineffabilibus tormentis, ſubinde ruunt ad inteſtina, ſpeciatim ad rectum, ex omni ambitu corporis, ex omni vaſorum ſyſtemate, liquida omnis generis, ſub hoc morbo, quem febrem ſui generis in inteſtina introverſam, calidos & acres humores ex maſſa ſanguinea in arterias meſaraicas deponente, vocat SYDENHAMVS, [a]) ac ſi ad ultimam

a) *Operum p. 227.*

ultimam guttulam illa exprimenda eſſent; adeo omnia abdominis viſcera e ſua ſede naturali videntur deſcendere, ac ſi pariente nixu tenesmode, per inferius guttur illa excludi deberent. Illum vehementiſſimum certe fluidorum affluxum & effluxum, illum in ſolidis ſenſibiliſſimis ſpaſticum & convulſivum conatum, non tollet ſtatim generoſa etiam doſi datum opium, ſed refrænabit ſaltem, & coërcebit aliquantisper, in ægrotantis ſalutem, & commoda. Ipſe prima vice dyſenteria correptus nondum Medicinæ ſacris initiatus mane poſt horam nonam torminibus & fluxu alvi laborare incipiens veſperi ultra 40. dejectiones jam ſuſtinueram ad lipothymias uſque debilitatus, tum ſi calluiſſem artem, potu emollientiſſimo & lacteo largiter hauſto, elotisque inteſtinis per oleoſum clyſma ſine timore opii præbium mature adſumſiſſem, altera die de rhabarbaro & manna nihilominus cogitaturus. Sane notatu digniſſima ſunt, quæ huc facientia habet WEDELIUS.[b]) *Bone DEUS* inquit, *vidimus in dyſenteria ſtatim in principio 40. 50. 60. intra nycthymeron (incredibile dictu) ægros fuiſſe maceratos*, dejectosque ſedibus. *Dato convenienter opio, ſtatim pacatiori rivo mali ſentina effluxit. Nec fluxum tam ſiſtit Opium, quam moderatur, & corrigit, dolores minuendo, morbumque quod ſæpius repetimus, in centro detinendo, ut affluxus & effluxus fiat moderatior. Sancte teſtor, me omnibus dyſentericis, quorum ultra quadringentos curandos habui, cum feliciſſimo ſucceſſu propinaſſe Opium, & pleroſque evaſiſſe notavi, qui non malignitatis vi abrepti ſunt, & in tempore auxilium petierunt.* Omnibus opiatis igitur, monente Cl. BERGERO[c]) ſic uti convenit, ut ne ſupprimatur temere dyſenteria, nec vires opprimantur, ſed ut modus ponatur fluxioni, & optata corpori quies, rectaque tranſpiratio concilietur. Ponam vero Opio dato dejectiones prorſus conquieſcere, morbumque nondum expugnatum, diætam ante actam, & tormina adhuc urgentia, clariſſime nihilominus docere,

b) *Opiol.* p. 121. 122.

c) §. 20.

docere, evacuationi acris ſtimuli ſolerter invigilandum eſſe, unum clyſma injectum, unum rhei vel mannæ præbium ſtatim fluxum reſtituet, neque induciæ ad aliquot horas impetratæ adeo nocebunt ægro, quin eundem collectis aliquantisper viribus, idoneum magis reddent, ad ſuperandum diriſſimum morbum. Præterea vero tempus illud breve, quod vacuum ab evacuatione eſt, vel quo rarius dejicit æger, niſi dormituriendo abſumatur, non otioſe terendum erit, ſed demulcentibus, incraſſantibus, gelatinoſis, oleoſis aſſumendis, commode impendi poterit.

§. IX.

*Morbi conditiones adhibitionem Opii valde urgentes.*

Quæ hactenus de dyſenteria ſananda in medium protuli, maxime valere poſſunt & debent, quando ſtatim in principio adorientis mali, aut ſaltem primis diebus, in auxilium vocatur Medicus, aut quando non ad ſummam veneroſitatem evecta, rodentiſſima & urens materia pededentim ſaltem inteſtinorum tunicis vim infert, easdem radit, rodit, exeſt, excoriat, & inflammat. Quando vero tardius expetitur conſilium, adulto jam morbo, aut quando eo nondum diu durante, ob ſummam acrimoniæ virulentiam ſtatim omnem patientiam ſuperant cruciatus, læſorum valde & ſubito inteſtinorum teſtes, dejectionibusque numeroſiſſimis jam prægreſſis ſanguis non ſtriis ſaltem, mucum excretum tingentibus, ſed copia majore, & ſincerus effertur, eroſionesque graviores, & vulnera inteſtinalia loquitur, tum alia omnino ratione in curatione procedendum erit. Quæſtio nimirum hic naſcitur pragmatica, an quæ ſine dubio naſcens, & nondum adultus morbus flagitaſſet, aut levior aliquantisper bene tuliſſet, purgantia, non dicam emetica, locum adhuc habeant an minus? Leniter agunt rhabarbarum & manna, molliter ſuam operationem exequuntur tamarindi, neque tamen omnia hæc remedia ſale carent, licet blandius id ſit, & mucilagine & terra involutum, neque aliter quam ſtimulo, utut comiter irritante, alvum ſollicitant.

Hunc neutiquam rudem, ſed amicum, ſibi experiuntur inteſtinorum parietes, ſmegmate naturali, blando, inuncti, ſed non æque eum ferunt, in caſu quem loquor, quando nudi ſunt, arroſi, exeſi, & vulnerati. Leviſſimus ſtimulus nunc dolores, qui jam intenſiſſimi ſunt, mirum quantum adauget, criſpaturam & convulſionem villorum majorem reddit, affluxumque ſanguinis & humorum, in ſaucia vaſa copioſius allicit, diatheſin phlogiſticam invitat, præſentem ingraveſcere facit. Ea itaque ſi ſit facies dyſenteriæ, quam SYDENHAMVS [a]) confirmatam vocat, obſervandum eſt ejus monitum, quod ad quamplurimos ab Orci faucibus liberandos unice facere aſſerit. Nempe ſi inter tormina, mucoſa materia cum ſanguine excernitur, periculoſiſſimum morbum protractiori methodo per evacuantia & contemperantia ex ejus conſilio, aggredi non decet, ſed miſſis ambagibus fluxus laudano ſiſtendus, quia ſi dyſenteria jam confirmata, purgare ſatagas, perquam metuendum eſt, ne ea ſumtis inde viribus in præceps labatur, ægrumque præ incredibili fermento quocunque te poſtea verteris, diutius excruciet, vel etiam vita ſpoliet. Atque o utinam hanc cautionem obſervaviſſem ipſe, qui jam tum SYDENHAMVM non obiter legeram, cujus neglectus acerbam mihi præmatura morte erepti dulciſſimi filioli primogeniti, unum annum & paucas hebdomades nati, memoriam refricat. Graſſabatur Vratislaviæ dyſenteria puſionibus præcipue infeſta, ſanaveram decem eorum, & plures forte, feliciter manna, rheo abſorbentibus cum pauco nitro, lacte, clyſmatibus & laudani guttulis pro ratione ætatis. Eheu! dum milliari cum Uxore ab urbe abſum, interim torminibus & dejectionibus afficitur corculum meum, redeo ſub veſperam feſſus, obiterque recenſet Gerula ſtatum morbi, porrigo poſt infuſum clyſma, abſorbens per noctem identidem exhibendum. Summo mane excitor, adfertur ad lectum meum puerulus, per femora & pedes defluente cum

a) *p. 668.*

mucoſa

mucoſa materie ſincero ſanguine tinctus. Exilio quaſi fulmine territus, Mannæ unciam ſenſim ingeri facio, mox finita operatione laudanum liquidum exhibiturus. Conſulo interim mœſtiſſimus Parens, quos apud alios dyſentericos his medicinam faciens offendebam Celeberrimos Practicos, de HELWICH, HAHNIUM & PAULI, qui omnes exhibitam mannam probabant; clyſmataque oleoſa, lac, abſorbentia cum ſpeciebus de hyacinth. aliquotque guttulas laudani, ut exhiberem, ſuaſores erant. Sed brevi adeo tempore nimis jam fixam ſedem obtinuerat rabioſum malum irritisque omnibus miſer puerulus ultra 50. cruentis dejectionibus intra 40. horarum ſpatium confectus, dentibus ſimul exitum molientibus, inter ejulatus & convulſiones innocentem animulam exſpirabat, quam morari forte diutius, in tenerrimo quod ipſi Creatoris benignitas elegantius ſtruxerat, domicilio, cito exhibitum anodynum potuiſſet. Ipſum acre dyſentericum eminentiorem venenoſæ ſuæ indolis gradum nactum, nulli viſcidæ ſaburræ involutum, totumque ſui juris manens, atque in ſenſibiliori corpore, ſolum ſibi ſufficiens, quandoque & nimius interdum ſtimulus eſt, ad proritandum humorum in inteſtina copioſiſſimum affluxum, & movendas numeroſiſſimas dejectiones, quibus ſimul ejicitur, quemadmodum oculum ingreſſus pulvillus, rodere & pungere externam ejus membranam aptus, irritando & convellendo muſculum palpebræ orbicularem, & apprimendo bulbum ad glandulam innominatam, nimbum lachrymarum injuſſarum allicit, quo eluatur. Tum certe quemadmodum arſenicum nemo emeticis & purgantibus operoſe eliminare moliretur, ſed incraſſantibus emollientibus, diluentibus leniter involvere & abſtergere quivis prudens laborat, ita arſenicalis acrimonia in peſſima dyſenteria multo pejor redderetur, pharmacevtico ſtimulo qualicunque accedente, blandiſſimis lenientibus unice cicuranda, ſenſumque quem infert benigniter obtundentibus opiatis. His præcipue ex

b) *diſſ. de dyſent. §. 20.*
c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. ſect. II. c. VII. Obſ. 1.*
d) *Med. Indorum lib. III. c. 3.*
e) *Comment. Tom. III. aph. 977. p. 194.*
f) *Rat. medendi in Noſocomio practico. Part. II. c. 1.*

Cel. BERGERI [b]) conſilio temperandi ſunt vehementiores motus, ſicubi Naturæ negotium faceſſant, & metus ſit, ullo vel leviſſimo evacuantium ſtimulo cruciatus inteſtinorum ingeminari. Nam attendendi ſunt ſollicite motus omnes, exagitatæ & confligantis naturæ, tam ſalutares, quam infeſti. Ipſe Cel. HOFFMANNUS [c]) adeo raro exhibens Opium in dyſenteria, Juvenculæ teneriori hyſtericæ crudeles imi Ventris dolores, inter vomitiones & dejectiones, patienti, excretis ſanguine inſtar loturæ carnium tinctis, cum motus magis exacerbatos, quam ſordium craſſarum præſentiam ſuſpicaretur, ſtatim theriacam cœleſtem exhibuit. Atque huc omnino trahi meretur BONTII [d]) regula, commune remedium rhabarbarum ſæpe non prodeſſe, ſed aliquando ægros in certam perniciem conjicere, dum nimirum bilis acerrima turget, ac metus eſt, ne ex leviſſimo laxativo irritetur, ac majore cum impetu ad partem affectam feratur, cum incredibili ægri cruciatu, & certa ſæpe pernicie. Circumſpectum etiam, & valde limitatum evacuantium uſum eſſe debere, injungit Illuſtr. van SWIETEN, [e]) *Si ab acri* inquit, *& ſemiputrida bile ortum duxerit morbus, valent illa quæ ſurſum aut deorſum evacuant, modo viſcera firma ſint, & integra. Si hæc per artem, vel & ſponte evacuata cruda & excoriata inteſtina pergant moleſtum teneſmum alvi deponendæ excitare, molliſſima decocta bolus armena terræ ſigillatæ & ſimilia, quæ demulcendo agunt, optatum præſtant effectum, & imprimis opiata, quæ pulcherrime tunc proſunt dolorem ſopiendo.* Liceat mihi Illuſtriſſimo Archiatro ad latus ponere Illuſtrem Academiæ Vindobonenſis Profeſſorem Antonium de HAEN, [f]) eaque quæ de acutis quibusdam & putridis febribus a principio & in ſuo progreſſu Vomitu ſive dyſenteria vel utroque affectu ſtipatis habet, omnia huc tranſcribere. *Mala hæc* inquit, *quæ aliis in locis purgantia & emetica nedum ſedaſſent, ſed irritaſſent potius, ita ut hæ febres occiderent, complures*

*favente*

*favente Deo ſic brevi percuravimus. Si magnum pulſum valida febris comitabatur tundebatur vena, impetusque naturæ ferocior opio compeſcebatur. Tum ſubtile acre involvebatur nudaque villoſa Ventriculi & inteſtinorum membrana inveſtiebatur, muniebaturque oleo lini cum tantillo opii hauſto; enematibusque ex mero oleo lini tepide injectis; decoctis largis totius altheæ, Malvæ, parietariæ, mercurialis, citra ſal, citra mel exhibitis, tum denique emollientibus ſive fomentis, ſive cataplaſmatibus ventri univerſo epigaſtrioque admotis. Horum nimirum ope compeſcebantur ſymptomata; & vel febris ſponte miteſcebat, vel facilem ſui curationem admittebat.* Pergit dein aliquibus interjectis: *Opium irritabilitatem demit nervis, nudatos nervos oleoſa obliniunt, acria inviſcant. Qui vero emeticis hic & purgantibus malum ſatagit oppugnare, is auget nervorum irritamenta, ac nudam tunicam villoſam acriter & crudeliter vellicando eo forſan totius corporis liquida advocat, viresque exhaurit vitales.* Prorſus conſpirant cum his ea quæ alibi Vir eximius denuo eloquitur. *Curatio inviſcans & demulcens mirum quam noſtris in Noſocomio dyſentericis profuerit, ut hinc vel integre curarentur, vel induciis primo impetratis purgans tuto daretur, & Opiata cum oleoſis reliquam poſtmodum curam abſolverent.* [g]) Debeo hic loci omnino adhuc mentionem injicere, dyſenteriarum illarum, quas, qui antea evacuantium merita in aliis extulerat, cum cura deſcribit SYDENHAMVS, [h]) quasque indolis magis ſubtilis, ac ſpirituoſas fuiſſe dicit, ita ut non prompte catharticis parerent, ſed remedia ſanguinem & acres humores ex eo in inteſtina confluentes, diluentia & contemperantia præcipue flagitarent. Neque ſilentio premere poſſum certas conſtitutiones a laudato Autore memoratas [i]) quæ evacuantium plenariam omiſſionem & ſolius laudani uſum deſiderant. Forte huc trahi debent methodi WEDELII & LENTILII

g) *Ration. Medendi Part. III. c. II. p. 100.*

h) *p. 232. ſeq.*

i) *p. 235.*

 plus

plus diaphoreſi quam purgationi in dyſenteria dantium, de quibus antea dixi.

§. X.

*Uſus Corticis peruviani in dyſenteria cum Opio.*

Antequam ab hoc argumento diſcedam, quædam adhuc adnectere debeo Corticis & Opii connubium ſpectantia, quod in dyſenteriæ medela, utrumque remedium inire, interdum jubent, Clariſſimi Medici, multum boni ſibi ab hac unione promittentes. In declinatione dyſenteriæ, inter alios corticem laudat Cl. RENEAUME [a]) qui acrimoniam abſorberet, & fibras roboraret. Placet & hoc reſpectu Auctoribus *Commercii litterarii Norimbergenſis.* [b]) In morbi fine, ad inteſtina laxa corroboranda, & recidivam arcendam, cum extracto ligni campechenſis, & ſucco catechu eum extollit PRINGLE. [c]) Bene ego memini, non ſemel me cum bonis ægrorum rebus, in declinatione exhibuiſſe corticem per diem, ſubjuncto anodyno veſpertino, ſuperſtites adhuc dolores mitigaturo, quod & eapropter tanto magis utile duxi, quia corticem alvum etiam in ſanis & ad fluxionem ejus nondum diſpoſitis quandoque movere noveram. Verum alia prorſus intentione, corticem & opium conjunxit olim MORTONUS, [d]) epidemicam febrem συνεχῆν curandam habens, cujus dyſenteria ſaltem erat urgentiſſimum ſymptoma. Parum levari videns ægros ſuos a ſuetis remediis antidyſentericis, a rheo, myrobalanis, enematibus, fotubus adſtringentibus, quin opiatis (a quorum multitudine miſeri ad delirium & deliquium adacti, inebriationem potius, quam curationem experiebantur) atque ex alternante torminum & fluxus exacerbatione & remiſſione, febrile morbi ingenium conjiciens, remiſſionis tempore ſtatis intervallis laudanum cortici junctum, cum præſentaneo levamine exhibuit. Atque omnino ſtratagema hoc practicum notari meretur a medentibus, ſi quando ipſis obveniat ejusmodi protheiformis, & ſub larva dyſenteriæ occultata febris, quod in caſtris fieri ſolere, conjicit laudatus MORTONUS. Verum & in his, & in

a) *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences 1713. p. 47.*

b) *Anno 1735. p. 223.*

c) *de Morb. Militum edit. germ. p. 267. 268.*

d) *Operum Tom. II. p. 237. ſeq.*

& in aliis locis, ex conſtitutionis epidemicæ pravitate dyſenteriæ jungi poteſt febris maligna, a ſtimulo putrido, & villos inteſtinales irritante, & humores in fœtidum liquamen diſſolvente pendens. Obtinet tunc ejusmodi rerum ſtatus, quando æger de ſummis torminibus & moleſtiſſimo teneſmo queritur, quando pulſus debilis vacillat, quando nauſea inſuperabilis & ſitis clamoſa adeſt, quando facies lurido pallore fœdatur, atque fæces fœtentiſſimæ rejiciuntur. Jam cum hodie Medici optimi Corticem ob confirmatam tot fauſtis ſucceſſubus ejus vim antiſepticam, febribus malignis, putridis, feliciter deſtinent, poterit omnino is cum opio & in dyſenteriis malignis talibus febribus ſtipatis, locum aptiſſimum invenire, juſto tempore, congrua doſi, ſi nil contraindicat, porrectus. Male autem omnino ageret, qui in dyſenteria quam febris acuta inflammatoria comitaretur, magnum hoc remedium intempeſtive præberet, quod ad talem febrem ſanandam neutiquam quadrat, cui etiam opium haud convenit, niſi ſub certis conditionibus, ut ſuo loco de inteſtinorum inflammatione dum verba faciebam, indicavi.

* * * * * *

Jam abſoluta tractatione de dyſenteria, mihi adhuc agendum eſſet de Cholera, ſed de illa conſcripſi olim peculiarem tractatum, in quo ſaluberrimas regulas circa adhibitionem Opii, capitis proprii periculo morbum & remediorum vires expertus, ſubminiſtravi.

## §. XI.

*Opiata ad medelam diarrhœarum laudata.*

Prodeant nunc in conſpectum, & dyſenteriam ſtatim excipiant, fluxus alii alvini, quos diarrhœæ nomine comprehendere ſolent Medici. In horum omnium medela, ab antiquiſſimo tempore opiatorum fuit frequentiſſima exhibitio. In vetuſtiſſimis nempe compoſitionibus quæ ad alvi fluxus valere dicuntur, Opium deprehenditur, ut GALENI [a]) lectori-

a) *lib. IX. de compoſ. Med. ſecundum loca c. 5.*

lectoribus notum eſt. Atque ex quo inventa eſt Theriaca, ex quo pharmacopolium ingreſſum eſt ex aromaticis, adſtringentibus, & opio concinnatum diaſcordium, hæc remedia, & alia iis agnata, ad ſiſtendas fluxiones, & alvinas ſpeciatim, per omnia ſecula uſurpata ſunt liberaliter, & ſpecifici elogio condecorata. Quin inconſulto Medico, Patres & Matres familias, pharmacopœorumque Servuli, diarrhœis mederi, theriacæ & diaſcordii ope, a longo retro ævo ſciverunt. Plena igitur ſunt laudibus opiatorum, in hos fines adhibendorum, omnium ætatum ſcripta medica, neque mirari poſſumus tantum ubique conſenſum, etenim per perpetuam Experientiam conſtat Opium quavis intentione exhibitum, inhibere naturalem excretionem alvi. Debent ergo omnino conſentire Medici practici, ad præternaturales excretiones alvinas coercendas, Opiata magnam virtutem poſſidere. Supervacaneum foret eis faventium prolixum catalogum conſcribere, operæ tamen pretium erit, ex recentioribus quosdam produxiſſe in medium. Adeo extra limites Europæ in India BONTIVS extractum ſuum Croci Opio prægnans, ad fluxus alvi præſtans deprehendit; atque ad fluxiones tales ſiſtendas PISO [b]) in Braſilia exhibuit electuarium ſuum magiſtrale, Opium habens. Multo autem frequentior ſemper ejus uſus fuit in hac Orbis parte, quam nos habitamus. Theriacam ad omnes Ventris fluxus eſſe mirabilem dicit FORESTVS. [c]) Si fluxus vehemens ſit plane, & vigiliæ ac dolores urgeant, neque aliis remediis tolli poſſit, ad narcotica veniendum eſſe conſuluit noſter SENNERTVS, [d]) caute ſaltem, nec viribus valde dejectis, ne æger ſopitis ſpiritubus plane extinguatur. At ubi ex fluxu frequentiori, & acriori periculum eſt, ne vires deficiant, laudanum opiatum cum maſtiche & terra ſigillata, utiliter exhiberi Autor eſt RIVERIVS. [e]) Auſpicato ſupprimi diarrhœas Opio, ut alias fluxiones, impetu ſpirituum ſopito, teſtatur ETTMVLLERVS, [f]) hincque eſſe dicit,

b) *Medic. Braſil. p. 29. 30.*

c) *lib. XXII. obſ. 17.*

d) *lib. III. Part. II. ſect. II. c. VI. p. 302.*

e) *Pr. Med. lib. X. c. 6.*

f) *diſſ. de Vi Opii diaphø-*

dicit, quod eo fine theriacalia jam a Veteribus laudentur. In diarrhœis ſive a purgantibus fortioribus, ſive a pravis & vitioſis humoribus inductis, ſtatim ſæpe ſedare fluxum Opiata, magna cum ipſius ægri & adſtantium admiratione, WEDELIVS [g]) affirmat. Juveni ab aliquot diebus diarrhœa laboranti, cum virium inſigni debilitate, præter pulverem ex incraſſantibus & adſtringentibus, qualibet nocte cum fructu dedit gr. xij pilularum de cynogloſſa LENTILIVS, [h]) & aliis ſimilibus in caſibus, ſæpe diaſcordium & theriacam liberaliter exhibuit. Sudorifera generoſa, ut theriacam & alia opiata, in diarrhœis excellere dixit PITCARNIVS, [i]) veſperique laudanum liquidum Helmontii ægris dandum præcepit. Talibus remediis etiam RIDLINVS [k]) in hoc morbi genere ſæpe uſus eſt, atque data opera diarrhœam opiatis imprimis cedentem annotavit. Apud nos etiam diarrhœæ miſturis ex eſſentia carmin. travmatica, & anodyna recenſente Ill. de HELWICH [l]) feliciter ſublatæ. Denique Cl. RIDLEY, [m]) in hac ægritudine ſatis geneoſis doſibus hercle opium ſuperiori & inferiori gutturi exhibere non dubitavit; atque Ill. WERLHOFIVS [n]) in diarrhœis egregia reperit Ipecacuanham, rheum toſtum, potum lacteum, aquas emſanas, & anodyna. Vix vero ullibi adeo repetitis vicibus, atque adeo ſignificantibus phraſibus opii vires ad diarrhœas ſanandas deprædicatas memini, quam in Cl. FVLLERI Pharmacopœia extemporanea. Ibi quippe *decoctum adſtringens* Theriacam additam habens multiplicis uſus eſſe dicitur in diarrhœa. *Decoctum Fracaſtorii*, quod diaſcordium complectitur, divinam plane virtutem habere contra diarrhœam, inteſtinorumque furias ſopire aſſeritur. *Electuarium adſtringens* quod ſimul diaſcordium recipit, ceu remedium omnibus numeris abſolutum, ad diarrhœam reprimendam deprædicatur. *Hauſtus adſtringens* cui diaſcordium adjicitur, importunum motum dejectorium reprimere dicitur. *Miſtura* tandem *de Bolo*, ut alia

*retica Cap. I. §. 4. 15. & in Operibus practicis.*

g) *Opiol. lib II. ſect. II. c. V. p. 121.*

h) *Miſcell. I. p. 158. & in eteodr. p. 417. 515. 1147.*

i) *Elem. Med. c. XIX. §. 13. 23.*

k) *lin. med. Ao. VI, Sept. obſ. 8.*

l) *Hiſt. Morb. Vr. 1699. p. 92.*

m) *obſ. 4. & 7.*

n) *Comm. litt. Norimb. 1735. hebd. 14.*

alia pharmaca taceam, itidem diaſcordio impraegnata, inteſtinorum nixus cohibens, & humorum vaporumque acrium radios ad corporis circumferentiam & foras per diaphoreſin amandans, atque ita ad diarrhœam præſtans remedium audit. Miror me inter alias compoſitiones invenire & diaſcordium, & rheum, in uno *electuario de rhabarbaro*, de quo refertur, quod materiam morbificam leniter exturbet & diarrhœam ſimul feliciter ſiſtat. Difficulter utrumque fit uno eodemque tempore, ſi vero ſaltem unum fieri poteſt poſt alterum, ſi operatio purgantis vere impedit operationem ſopientis pharmaci, & contra, mallem ego potius diarrhœam curaturus præmittere ſeorſim rheum, & ſeorſim ſubjungere opiatum remedium; neque me pœnituit unquam ita me geſſiſſe, dum ſæpe ſæpius optimos quosque ſucceſſus ita agere ſolitus vidi. Atque hæc eſt curta illa & compendioſa methodus, quæ famigeratiſſimis in arte Viris perplacuit, mane rhabarbarum & veſperi opiatum pharmacum exhibentibus. Dum ob ſanandi artificium, quod in pacatione impetus per opium conſiſtit, RIVERIVM, DRELINCVRTIVM, & BONTIVM laudat BOERHAAVIVS,[o]) recenſet ſimul Herrmannum van der HEYDEN prius purgare ſolitum fuiſſe, deinde adulto dediſſe granum j Opii, reliquosque Medicos hoc non dare auſos reputaviſſe, ipſum poſſidere arcanum, optimum autem Virum paulo ante mortem ſuam methodum promulgaſſe. Verum ita etiam agere ſueverat SYDENHAM,[p]) qui de dyſenteria verba faciens, ſi alvi fluxus tantum ad diarrhœam uſque aſſurgat, rhabarbarum ſingulis horis matutinis, veſperi laudanum, ſique opus quotidie clyſma, cum victu tenui collaudat. Optime recordor Cl. noſtrum de HELWICH mihi novitio Medico olim candide edixiſſe, ſe innumeras diarrhœas per rhabarbarum mane & theriacam veſperi exhibitam curaſſe feliciter, ſimulque addidiſſe paternum monitum, hanc methodum graſſantibus epidemice dyſenteriis

o) *in Commentario ad aph. præter ejus voluntatem edito ad aph. 722.*

p) *Operum p. 229.*

optimam elargiri prophylaxin, neque Julio & Auguſto menſe ſibi diu permittendas eſſe ſimplices diarrhœas, ſed mature curandas & ſiſtendas eſſe, cum facile in dyſenterias abirent. Obſervavi deinde pervolvens Eteodromum practicum LENTILII [q]) ipſum quoad obvenientes graſſantibus dyſenteriis diarrhœas, eandem cautelam inculcaſſe. Vidi quoque RIDLINO [r]) placuiſſe rheum & ſubjunctum opium cum Eſſ. catechu, & Cl. HEISTERO [s]) Rheum vel aquas egranas aut pyrmontanas calide epotas, ac deinceps cum aromaticis theriacam vel diaſcordium. Nondum oblitus ſum, ante annos Summum quendam Principem, diarrhœa in caſtris corruptum, cum adſtantes enixe peterent, Medicum cui favere deſierat, advocari juberet, his reſponſum dediſſe illico, ſemetipſum rhabarbaro mane, Caſcarilla pomeridie, & Theriaca veſperi ſumta, ſe curaturum brevi, id quod etiam feliciter perfecit.

q) *p. 751. 755.*

r) *lin. med. Ao. VI. p. 1011.*

s) *Comp. Med. p. 337. 338. edit. germ.*

## §. XII.

*Diarrhœa quandoque cum damno ſiſtitur,*

Quanquam vero per tot repetitas innumerabiles experientias, Opium pulcherrime ſæpe diarrhœis, maxime autem præmiſſis præmittendis, medeatur, non tamen etiam haud negari poteſt, forte id tantum damni, & longe plus perpetrare in praxi communi, quam emolumenti in erudita & rationali, turpiterque ſæpe ſæpius peccari exhibitis alvum cohibentibus, in diarrhœis. Nunquam de ſiſtenda ejusmodi fluxione cogitare debet Medicus prudens, antequam trutinaverit ſerio, an quando antea ſanus fuit æger, ejus conſtitutio ſit talis, ut ferre excretionem ſat bene queat, atque an non ſit valde probabile, quin certum fere, ipſum ejus beneficio tutum præſtari poſſe, ab incurſu variorum graviorum ipſa diarrhœa morborum, qui ſine ea ex præexiſtente plenitudinis & viſciditatis humorum vitio, aut diætæ peccato, cumulatis in primis viis varii generis ſordibus, neceſſario excludendi fuiſſent. Quodſi vero ſanum antea ſeſe non ſenſerit æger, ſed morbo evidente laboraverit, cui diarrhœa

 accedit,

accedit, conſiderandum quam accuratiſſime erit, an ille levari vel ſanari queat a diarrhœa, an minus; an materies cum fæcibus ejecta ſi reſtitaret, graviorem morbum jam præſentem redderet, an minus; an pro materiæ excretæ qualitate ſi nil præternaturalis habeat, aut quidpiam præternaturalis habere deſinat, excrementis naturalibus ſimilibus apparentibus, pergente diarrhœa, gratis viribus orbaretur æger. Vix dici poteſt, quam eximium uſum horum momentorum ponderatio habeat in praxi clinica. Optime eapropter edixit PITCARNIVS:[a]) Morbus ille qui minuitur accedente diarrhœa, ortum habuit ab illa materia, quæ evacuatur per diarrhœam, unde ſequitur, criticam diarrhœam non debere ſiſti, eamque quæ ſiſti debet, ſemper eſſe ſymptomaticam, id eſt, quæ morbum cui accedit, non minuit. Neſcio ſaltem, an ut in ſequentibus ſcribit Vir clariſſimus, ſanis ſuperveniens diarrhœa ſimpliciter haberi debeat pro ſymptomatica, quia ipſis ex ejus mente nullum morbum minuit. Quodſi enim ſaniſſimus noſtrum occulte ægrotet, quemadmodum ipſe fatetur, aut ſaltem, per ſenſum ſuum licet ſanus, omni momento ægrotare incipere queat, æque prodeſſe poterit diarrhœa futurum morbum avertendo, quam ſi præſentem minueret. Eapropter rectiſſime CELSVS[b]) *Uno die fluere alvum* inquit, *ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra 7. dies id conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, utiliter effunditur.* Cujus veſtigiis inſiſtens CHESNEAU[c]) ſimulque HIPPOCRATEM[d]) ſecutus, qui liquidiores egeſtiones & ſine febribus contingentes & quæ 7. die aut citius judicantur, commodas eſſe dicit, *cum diarrhœa* inquit, *modum non excedens incipit, nullaque ſunt tormina aut leviſſima, neque vires proſternuntur, multoque magis ſi ægrotus quaſi ſarcina levetur*, addere mihi liceat ſi ſimul appetitus vigeat, *totum negotium naturæ committendum, adeo ad ſeptimum diem.* Scilicet in tortuoſo

a) *Elem. Medic. lib. II. c. XIX. §. 15. 16.*

b) *lib. IV. c. 19.*

c) *Obſ. p. 274.*

d) *Prorrhet. lib. II. c. 9.*

tuoſo illo tubo canalis inteſtinorum, horumque plicis, & in anfractuoſo Cœco, morari potuerunt diutius quisquiliæ ſordidæ, ab ingeſtis non digeſtis enatæ; ex ductubus biliariis potuerunt affluxiſſe in inteſtinorum cavum recrementa acria, ex glandularum cryptis viſcida & mucoſa, ex aliarum excretionum defectu & ſuppreſſione huc potuerunt deferri liquida vitiata, varii generis, oneri tandem ſanitati futura, ſine notis alicujus ægritudinis, adhucdum ſeſe manifeſtantibus. Ea omnia igitur, ſi beneficio virium vitalium mature eliminentur, variis & gravibus malis naſcendi occaſio feliciſſime præſcinditur. Atque eapropter toties ſtatis periodis, vernoque & autumnali tempore evenientes quin annuo ſpatio recurrentes diarrhœæ, magno valetudini hominum præſidio eſſe obſervantur,[e]) variique omnino & graves morbi dantur, a quibus una diarrhœa ſpontanea præſervat, quorum commemorationem apud Cl. WEPFERUM[f]) legere licet. Verum & numero plures morbos jam actu præſentes accedens fluxus alvi levat, & ſanat, quos non minus laudatus modo WEPFERUS recenſet. Nulli autem generi ægritudinum fluor alvi majus ſolamen adfert, quam quod caput affligere ſolet, unde Obſervatores notant Cephalalgiam, Hemicraniam, Epilepſiam, ſoporem, delirium, Maniam, Melancholiam, affectus paralyticos, apoplexiam, ophthalmiam, auditus quædam vitia, & in collo anginam, ſæpe ſolvi diarrhœa liberaliore, dum materia peccans deorſum fertur & excernitur. Speciatim Ophthalmia laborantem alvi fluxu corripi bonum, & ſurditatem bilioſis egeſtionibus ſupervenientibus ceſſare, jam annotavit HIPPOCRATES.[g]) Hæc omnia bene mente tenens Cl. CHESNEAU,[h]) cum ipſe jam annum agens 63. ingenti alvi profluvio ſine cauſa manifeſta corriperetur, quia a longo tempore fluxionibus a capite obnoxius fuerat, quamvis per biduum 66. vicibus dejiceret, maluit tamen totum negotium naturæ committere. Atque propterea Auctores Actorum

e) *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ao. VIII. obſ. 20. Ridl. Cent. Obſ. med. 17.*

f) *Obſervat. p. 421.*

g) *Sect. VI. aph. 17. & IV. 28.*

h) *Obſervat. p. 277.*

Berolinenſium [i]) directe nunquam ſiſtendam eſſe diarrhœam præceperunt. Intempeſtive quippe ſuppreſſa, remanente materiæ peccantis quantitate, majora incommoda parit, & tormina ingraveſcere facit, ut vel arte iterum revocandus ſit fluxus, pro illis amovendis. Ita annotavit Cl. RIDLINVS, [k]) alvi fluorem cum torminibus mithridatio intempeſtive cohibitum, auctis poſtea ad clamorem torminibus, quæ rheo dato, & evaçuatis acribus humoribus, fuerunt ſanata. Et alibi [l]) in Ruſtica ex adſtringentibus ſuppreſſa diarrhœa varia mala recenſet, quæ dato ab eo mannato remedio, cum ſenna ceſſarunt. At vero gratulandum omnino foret ægro, ſi ſemper in manus Medici incideret, qui ſuum proprium, vel alius in cohibitione nimis cita commiſſum errorem, ita corrigeret ſagax, aut ſi quod bona fortuna aliquando fit, exſpirante actione anodyni ſponte iterum rediret diarrhœa, placide corpori noxiam futuram ſarcinam eliminatura. Sed ſæpe ſalubri excretione præter neceſſitatem coercita, mala metaſtaſi ſordes aliquando ex inteſtinis nobiliora loca corporis petunt, atque diarrhœa mirum quantum graviores morbos ingenerant. A fluxu alvino adſtricto articulorum dolores memorant Miſcellanea Nat. Cur. *) febrem & alia mala, convulſiones adeo & mortem RIDLINVS, [m]) lentam febrem, cachexiam & hypochondriacos affectus HOFFMANNVS, [n]) quin ſuppreſſa ſordium excretione viſcerum obſtructiones difficulter ſolubiles facile naſcuntur, quibus tandem BAGLIVO [o]) notante pertinax hydrops ſuccedit, quod tanto minus mirari convenit, cum Leucophlegmatia jam detento, vehemens diarrhœa ſuperveniens malum teſte HIPPOCRATE [p]) ſolvat. Atque ita & capitis periculo luere poſſunt ægri errores medentum, ad cohibitionem fluxuum alvinorum cœco impetu feſtinantium. Neque multa & operoſa arte ad mortem brevi tempore inferendam aliquando opus eſt. Puellæ 7. annorum, putrem & olidam materiam ſine dolore per dies aliquot dejicienti, pertæſa diuturnitatis morbi

i) *Dec. II. Vol. VII. p. 86.*

k) *Cur. med. obſ. 472.*

l) *l. c. obſ. 641.*

*) *Cent. IX. p. 14. vide & Act. Erud. Lipſ. Ao. 1723. Apr. p. 137.*

m) *lin. med. Ao. VI. Mart. obſ. 19. & Oct. obſ. 6. item Anno III. Nov. obſ. 15. & Cur. Med. 661. & 740.*

n) *Med. Syſt. Tom. III. ſect. I. c. X. §. 19.*

o) *Operum p. 108.*

p) *Sect. VII. aph. 29.*

morbi Avia dedit larga mana cydoniatum remedium, ſubſtitit fluxus, ſed Venter intumuit quaſi hydropicus, atque inter horribilia tormina & lipothymias, miſera non obſtante Medici advocati auxilio, diem ſuum obiit. [q])

q) *Fernel. Pathol. lib. VI. c. 19.*

§. XIII.

*alio tempore cum damno ſibi permittitur.*

Quamvis autem non raro morbos qui orturi erant præcaveat, præſentesque & leniat & tollat diarrhœa ſibi relicta, ac proinde ſine ratione coercita graviſſima mala evenire faciat, mortemque accerſat; tamen etiam plus juſto invaleſcens & diutius corpus fatigans, non minus diras ægritudines poſt ſe trahere & fato ſuo hominem tradere poteſt. Eapropter HIPPOCRATES [a]) Pater, qui cum Commentatore ſuo DVRETO toties ſalutem a fluxibus alvi commemorat, eosque haud impediendos cupit, tamen etiam alvi profluvia longa penitus mala eſſe edixit, ſive bilioſa fuerint, ſive pituitoſa, ſive cruda, & victus ratione propria ſingula opus habere, itemque medicamentis, alia aliis. Scilicet ſi heterogeneis, nocivisque œconomiæ corporis futuris liquidis excluſis, ſuperſtites boni & laudabiles ſucci efferantur, perpetuo affluxu, laxitas ingens maceratis quaſi colluvie humorum vaſis, villisque inteſtinorum inducitur. Ab hac autem nauſea, proſtratus appetitus, indigeſtio aſſumtorum, lienteria, flatus, murmura exoriuntur, interdum & continuo egerendi conatu laxatum inteſtinum rectum prolabitur. Porro dum inteſtina flaccida majorem evacuationem patiuntur, motu eorum inordinato, partes quæ ex eodem trunco vel plexu ſuos nervos habent, in conſenſum abripiuntur, unde vomitus, ſingultus, aliaque mala emergunt, omnibusque afflictionibus quæ conjunctæ malum hypochondriacum efficiunt facilis via ſternitur. Quin interdum vaſa arteriarum lateralia laxata ſanguis emunctis tenuiſſimis liquidis, immeabilis redditus ingreditur, diatheſinque phlogiſticam excludit; ut mucum oblinientem cruſtam villoſam, repetitis egeſtionibus deperditum taceam, unde papillarum

a) *Prorrhet. lib. II. c. 9.*

nervea-

nervearum denudatarum irritationes, tormina, teneſmus, eroſiones, & exulcerationes membranarum inteſtinalium, & quæ inde pendent enaſcuntur. Verum præter inteſtina, omnia reliqua viſcera abdominalia laxa redduntur & debilia, quia profuſis per illa humoribus etiam in hæc allicitur major humorum affluxus, canales diducens, ſicque omnes omnium viſcerum horum functiones languent. Tandem autem neceſſario laxitas hæc univerſæ ſolidorum compagi communicatur, dum fibræ ſingulæ ob profuſos humores ſua nutritione deſtituuntur, vaſaque cuncta liquidis elaſticis minus impleta concidunt ac flacceſcunt unde cachexia, pedum œdemata, leucophlegmatia, tympanites, & hydrops exoriuntur. Atque hæc de ſolidis. Non minus autem fluidorum vitio & primo ex eorum defectu per diarrhœam nimis ingraveſcentem graviſſima mala excluduntur, dum humoribus ex toto ſyſtemate arteriæ cœliacæ & meſentericarum, & proinde ex arteria magna & ipſo corde ad inteſtinales tubulos nimis ampliatos & hiantes, impetuoſe ruentibus, liquidorum omnium ſerierum penuria ingeneratur. Inde circulus languens, ſecretiones omnes parciores & ab iis animi deliquium, dejectio virium animalium, tremor, macies, atrophia, motus convulſivi ab inanitione, palpitatio cordis, ſingultus, mors. Reſtat humorum craſis depravata, quia acceſſus boni chyli laudabiliumque liquidorum ex eo parandorum in humorum oceanum deficit, unde tenuiſſimis deperditis & non reſtitutis, viſciditas, blandioreque novorum humorum commeatu non advecto, acrimonia alcaleſcens, a qua phthiſis varia & mors. Omnia hæc quæ protuli hactenus, ni fallor abunde monſtrant non ſemper ſuo arbitrio relinquendas eſſe diarrhœas, ſed pro circumſtantiarum omnium varietate & nexu, probe inquirendum eſſe, ſitne magis e rebus ægri, vel ut fluxus pergat viribus adhuc ſalvis, vel ut iis jam fatiſcentibus dextre cohibeatur. Neglectum ſcilicet, non ſaltem varia mala quæ enarravi

quæque

quæque forte ſe ſanari iterum patiuntur, ſed & mortem ipſam poſſe inſequi cogitandum eſt. Sane Vir ille 23. annorum, cui forte non male Pharmacopœus infuſionem rhabarbari exhibuerat, quemque tertia die advolans Cl. CHESNEAU [b]) ex pulſu & dejectionibus peſſime agentem, emorienteque jam in manibus torpidis facultate, ex penuria ſpirituum, ut loquitur, fato ſuo proximum invenit, anodyno pharmaco mature dato potuiſſet ſervari.

b) *vide ejus Obſerv. p. 279.*

## §. XIV.

*Diarrhœæ in genere ſpectatæ indoles.*

Ut uſus & abuſus ſiſtentium remediorum, a quo ſalus & periculum ægrorum pendet, accuratius intelligatur, conſiderandum eſt fluxus alvini, in quo curando Medicus occupatur, verum ingenium. Aliter enim hic certo noxam, aut ſaltem caſu fortuito auxilium adfert, cum opium nil aliud præſtet, quam quod ſenſum & motum fibrarum inteſtinalium minuat, quod ipſum vero ad felicem ſanationem omnium diarrhœarum, neutiquam ſufficit. Diarrhœa in genere dicitur adeſſe, ſi alvo excerni ſolita ſecundum naturam, magis lubrica frequentius, & quantitate naturali majore, vel cum iis ſordes aliæ, aut liquida cujuscunque generis peregrina alvo naturaliter non excernenda, ejiciantur. Ut vero facies diarrhœarum omnium pateat, animadvertendum eſt, in tubo inteſtinorum motus periſtaltici beneficio deorſum ſemper volvi contenta, quibus ingeſta dant materiem, partemque eorundem nobiliſſimam durante hoc itinere bibi & ſorberi a patulis lacteorum aliarumque venularum oſculis, quisquiliis tandem inutilibus & ſordidis, inferiori gutture ejiciendis; deinde quoque ex variis ductubus adfluere liquida, eademque venoſis oſculis bonam partem iterum ſugi, & in humorum oceanum reduci. Quæcunque ergo cauſa efficit, ut afferantur majori copia & cumulentur in inteſtinali cavo liquida, & quæcunque ſimul reſorptionem, pro hujus copiæ ratione, minuit aut inhibet, ea provocat diarrhœam. Majorem copiam & affluxum contentorum

 cient

cient ingluvies, aſſumtorum cruditas, & degeneratio, ac ſtimulus quivis, villos nerveos inteſtinales vellicans; motum periſtalticum intendens; propulſionem citam verſus rectum ciens; ex arteriis hepaticis, pancreaticis, meſaraicis, tubulisque innumeris liquida ſua in cavum inteſtinale exhalantibus, adeoque ex omni vaſorum advehentium ſyſtemate, liquida uberius alliciens atque exprimens; vel & tubulorum inteſtinalium laxitas, quæ pariter nimium acceſſum liquidorum permittit, eaque jugiter elabi ſinit; tandemque aliæ excretiones ſuppreſſæ & impeditæ, unde fit, ut liquida copia & impetu majoribus, verſus inteſtina determinentur. Reſorptionem fruſtratur venularum laxitas, viribus contrahentibus & propellentibus verſus humorum oceanum liquida, ob debilitatem fibrarum deficientibus, oſculisque ſic ſugere impotentibus, dum interim affluxus eſt copioſior, quæ laxitas quo major eſt, & quo magis in paralyſin vergit, eo plus liquidi non reſorpti præteribit oſcula alioquin bibula, & profundetur per alvum. Reſorptionem tamen etiam impedit oſtiolorum venoſorum obſtructio a muco, oppilatio ab aphthis, aut quæ rarius evenit, concretio plenaria. Hæ univerſales ſunt fluxuum alvinorum omnium cauſæ, ad quas omnes ſpeciales, quæ ſui generis diarrhœas excludunt, reduci poſſunt. Singulas earum facies in claſſes certas diſtributas nunc ordine videbimus. Valde nimirum hæ inter ſe differunt, ſumſitque inde occaſionem Cl. LAMBSMA, ut *Ventris fluxum multiplicem*, ex antiquis & recentiorum monumentis propoſitum, peculiari libro ſiſteret, in quo multa egregia habentur.

§. XV.

*Hypercatharſis.* Sit primo diarrhœa ab imperitis artificibus excitata, ſive Hypercatharſis, a purgante draſtico, ultra hominis vires agente.

Hoc mali genus omni poſſibili arte excipi meretur, maxime quando inter tormina ſumme doloroſa, & virium immen-

immenſam proſtrationem animi deliquia tandem ingruunt. Namque ſi illa perdurent, eroſio inteſtinorum, eorumque diatheſis phlogiſtica ſubſequi, ac febris accendi poteſt; hæc autem ſi jam profuſis ultra modum humoribus evenerint, convulſionum metum incutiunt, quæ notante HIPPOCRATE [a]) a purgantis potione enatæ lethum accerſere ſolent. Bene faciunt, qui quaſi rodens venenum hauſtum eſſet, ad acrem ſtimulum involvendum, affatim tepidum lac, quod & jacturam liquidorum commode reſarcit, & oleoſa ingeri jubent. Id cum radice Alth. coctum bibendum largiter, & ano injiciendum, optime commendat noſter SENNERTVS, [b]) dum SCHVLTZIVS [c]) poſt aromaticorum abdomini applicandorum uſum, quo humores ad exteriora corporis determinari affirmat, pinguia juſcula eosdem in fines laudat. Hæc & alia talia oleoſa, & mucilaginoſa, licet pro blandiſſima ſua indole, parietes inteſtinales inungant, eroſionemque præpediant, aut jam natam leniant, ſimulque inflammationi reſiſtant, tamen ſæpe curationi haud ſufficiunt, niſi ſimul motuum ſpaſticorum & convulſivorum impetus, excretionumque frequentia Opio, remediorum ſopientium ſummo, compeſcatur. Ut antiquioribus Medicis, qui eam tanquam inſignem antidotum in ejusmodi caſibus porrigere ſueverant, ita & recentioribus maxime placuit theriaca, præ aliis opiatis, ab iis laudari ſolita. Si fluxus a lacte & adſtringentibus non ceſſet, (quæ tamen, quia hic laxitas non peccat, ſed motus & ſenſus irritatione auctus, proprium ſibi remedium unice poſcens, plane non congrua exiſtimo,) ad theriacam recentem, aut laudanum opiatum confugiendum eſſe, antea laudatus SENNERTVS præcipit. Diarrhœam hanc artificialem, diaſcordio Fracaſt. cum aqua Cinam. Eſſentia theriacali, Theriaca intus & foris adhibita, etiam curandam vult ETTMVLLERVS. [d]) Theriacæ quantitatem vino diſſolutam, ſat celeriter & feliciter hypercatharſin ſiſtere, Medico Sene præſcribente, in Xenodochio ſe

a) *lib. VII. aph. 25.*

b) *Med. Pr. lib. III. p. 322.*

c) *diſſ. de purgatione copioſa & nimia.*

d) *Operum Tom. II. cap. de diarrhœa.*

e) *Operum p. 108.*
f) *loco cit.*
g) *obſ. 23.*

ſe miratum fuiſſe, recenſet BAGLIVUS. [e]) Neque minus SCHULZIUS [f]) theriacam, diaſcordium, & Mithridatium deprædicavit; atque in vehementiſſima illa hyperemeſi & hypercatharſi, quam deſcripſit RIDLEY, [g]) curationis initium fecit Theriaca, laudani londinenſis ſat generoſis doſibus deinde exhibitis, cumque hæ non amplius tutæ viderentur, iterum theriaca fuit præſcripta, quæ colophonem medelæ impoſuit; quaſi vero hæc tuta magis fuiſſet, quam ſimplicis opii ea quantitas, quæ in quantitate theriacæ præſcripta continebatur. Ego potius ſub certis conditionibus, non bene tutam theriacam autumo, ob dolorem quippe, ob excoriationem, & inflammationem metuendam, nemo unquam conſuluerit farraginem talium acrium & aromaticorum, quæ Opium in theriaca involvunt, ſed potius cautus ea abeſſe jubebit. Cum vero Opium ſine his omnibus æque motus ſopiat, ac ipſis junctum, cur theriaca opus? ubi ſolum Opium exacte ſufficit. Improbatur mihi eapropter & Vinum, vel ſolum, vel cum aromatibus epotum, maxime ſi ardor internus ſentiatur, & pulſus celerius vibret. Solo lacte tepido & ſimplici Opio non ſemel profui, illo acrem ſtimulum involvente, & vaſa exhauſta implente, hoc dolores mitigante, & excretionibus obicem ponente. Nil amplius requiritur. Saltem his ſcopis obtentis deinceps robori deperdito proſpiciendum.

§. XVI.

*Diarrhœa a cruditatibus.*

Sequatur Diarrhœa a Cacochylia in primis viis ſtabulante.

Oritur hæc ab ingeſtis quantitate & qualitate peccantibus, vitio potiſſimum nimis diu retinentis, debilis, & non bene digerentis Ventriculi, corruptioni illi, in quam humido calori expoſita ſponte vergunt, permiſſis. Inde excluſa cruditas varii generis, vel mole, vel acrimonia ſibi propria, villos inteſtinales irritat, motusque excretorios provocat. Maxime autem huc referri debent omnia, ſub fermentatio-

nis

nis actu aſſumta, vel facile fermentationi obnoxia, ut fructus horæi, muſtum, cereviſia recens. Talia & ſolvunt humores noſtros in tenue liquamen, quod tanto promptius per canaliculos in cavum inteſtinorum hiantes elabitur, & acrimonia, quam fermentatione acquirunt, fibrillas nerveas inteſtinorum laceſſunt. A ſolo eſu carnium diarrhœam recenſent *Acta Nat. Cur.* [a]) & RIDLINVS, [b]) a cereviſiæ non conſueto potu, idem a ficubus recentibus, & ſuperingeſta cereviſia, [c]) a muſto PLATERVS; [d]) atque fere haud opus eſt, ejusmodi obſervationes allegare, cum eas quotidiana praxis largo numero ſuggerat. Quia illa cujuscunque generis cumulata ſaburra diarrhœa excitata ſimul ſui ipſius eliminationem proritat, per quam morbi, qui ab illa reſtitante, & pejore reddita, oriundi erant, certiſſime præſcinduntur, non bene intelligentis eſſet Medici, hunc fluxum ſive opio, ſive alio remedio coërcere. Potius ars naturæ debet amicas ferre ſuppetias, atque omni opera efficere, ut quantocyus noxii humores e corpore proſcribantur. Dum autem anorexia & nauſea, ponderisque ſenſus in regione ſtomachi, talem diarrhœam fere ordinarie antecedunt, aut comitantur, hæc incommoda flagitare quaſi videntur, ut breviore itinere per Vomitum, minera morbi ejiciatur, maxime quia hic ſponte ſubortus, ſtatim dicta incommoda tollit, & ſimul diarrhœam levat. Uti hanc viam inter alios jam aptiſſimam judicavit noſter SENNERTVS, [e]) qua non ſolum vitioſi ſucci evacuentur, ſed & materia fluxura revellatur, ita & conſummatiſſimo noſtræ ætatis Medico Ill. van SWIETEN [f]) arriſit, ſive educta materie peccante, ſive dum tenax adhærebat, concuſſu viſcerum ſub Vomitu, fortius excuſſa, ſive inverſione motus periſtaltici, pertinaces diarrhœas, aliisque remediis rebelles, ita ſe ſtitiſſe ſcribenti. Id remedium generoſius ſi nolit, vel æger, vel Medicus, quemadmodum non abſolute ubique neceſſarium eſt, manna tamen, ſalibus, vel rheo per inferius guttur ejicienda eſt

a) *Anno IV. obſ. 76.*
b) *lin. med. Ao. VI. Nov. obſ. 21.*
c) *Cur. med. 26. Ao. VI. Nov. obſ. 13.*
d) *lib. III. p. 799. 801.*
e) *Lib. III. Part. II. Sect. II. cap. 6. p. 314.*
f) *Comment. Tom. II. p. 389. ſeq.*

materies, aut clyſmatibus blandioribus aut pauliſper irritantibus pro re nata, quin & purgante ſtimulo armatis, proſcribi debet. Tum vero demum, quando nil ſordium reſtare certi ſumus, nunquam antea, niſi ſponte ſileat fluxus, de eo coërcendo, deque reddendo vel adſtringentibus, vel aromaticis, & ſtomacho gratis pharmacis robore, cogitandum erit. Atque huic quidem a diætæ vitiis obortæ diarrhœæ, quammaxime convenit illa plurium doctiſſimorum Virorum, primo rhabarbarum, dein theriacam aut aliud opiatum, cum vel ſine adſtringentibus, illudque mane, hoc veſperi exhibentium methodus, de quo antea verba feci. Rectiſſime eapropter præcepit Cl. de GORTER, [g]) fluxum ſe ipſum curare ſolentem non ſiſtendum eſſe, niſi evacuato alieno, tumque illo diutius permanente, motum inordinatum anodynis compeſcendum eſſe. Vix autem dici poteſt, quam larga copia adeſſe poſſit hoc alienum, ita ut licet præmittenda ſatis præmiſſa eſſe judicentur, nondum tamen ſiſtentibus excretionem idoneus locus ſit. Sæpe etiam ejus exigua portio reſtitans, plicæque ſtomachali vel inteſtinali, agglutinata tenacius, & ſine intermiſſione vellicans, fruſtraneam reddit repetitam anodynorum adhibitionem, recurrente, poſtquam horum operatio exſpiravit, ut antea fluxu. Virum habet RIDLINUS, [h]) a ficubus recentibus & cereviſia aceſcente diarrhœa laborantem, cum per diem ſæpius alvum depoſuiſſet, dedit ille Veſperi mithridatium idonea doſi, ſed hoc nil profuit, nam per totam noctem vix potuit numerare dejectiones, acceſſere tormina, huic altera die veſperi theriaca cœleſtis fuit data. Sequebatur nox quietior & ſedes fiebant rariores. Superveniebat vero cephalalgia. Judicabatur eum eſſe a reſtitantibus, exhibebatur ergo rheum, & tum omne malum ſanabatur. Talia exempla in Praxi mea bene multa obſervavi, adducam unicum! Vir erat nobilis muneri publico præfectus, qui bene prandere & cœnare ſolitus, vitæ tamen ſedentariæ addictus diarrhœa corri-

g) *Syſt. Med. Tom. II. p. 111. §. 5. & p. 114. §. 7.*

h) *lin. med. Anno VI. Nov. obſ. 13.*

corripiebatur, ut ipſe fateri non erubeſcebat, gulæ peccatis accerſita. Toleraverat morbum per nycthymeron, ſumſerat ſalia lenia, rheum, clyſmata applicari fecerat, multisque ſordibus excluſis ipſe tandem ſiſtens, remedium poſcebat. Annuebam lubens, dabam opium cum abſorbente, veſperi mediocri doſi, ſed aliquot horis elapſis redibat copioſior fluxus. Vocabatur in conſilium alius Medicus, qui mecum de mole ingente jam ejectæ ſaburræ cogitans ac ſolum motuum vitium in animo habens, continuandum uſum anodynorum ſuadebat. Dantur illa repetitis vicibus, turbari incipiebat cerebrum, recurrebat interim, diæta licet exacte obſervata, cum nil niſi tenuia carnium & avenæ juſcula adſumeret æger, ſemper pertinax diarrhœa, incommodis magis a flatubus pendentibus, quam veris torminibus ſtipata. Nos Medici de poſſibilitate reſtitantium cogitare a malo diu adeo perſeverante juſſi, tribus vicibus mane rheum, a meridie clyſma, & veſperi diaſcordium exhibebamus, qua methodo ultra omnem expectationem copioſa cacochylia, omnique adeo fomite irritationis latibulis ſuis excuſſa, ſimul exeunte, morbus feliciter ſanabatur.

* * * * * * *

Quanquam vero modo nil amplius evacuandum Arti naturæque ſuperſit, tutam eſſe theriacam, diaſcordium & alia opiata, nemo Practicorum dubitaverit, quæſtio tamen inter medendum mihi ſæpe nata eſt, an omnis diarrhœa ab ingeſtis male digeſtis oriunda, omnibusque circumſtantiis penſitatis vere compeſci deſiderans, compeſci tandem debeat & ſine noxa ulla poſſit, opiato remedio. Opium niſi aromatica & adſtringentia ſimul in compoſito officinali, ut theriaca, diaſcordio &c. cum eo exhibita vitium hoc aliquantisper minuant, ſemper appetitum deſtruit, & coctionem ventriculi lædit; ſed diarrhœa orta erat a læſa coctione, appetitumque proſtratum habebat comitem, & ſequacem, igitur

igitur adhibitioni Opii naſcitur contraindicans. Opium fibrarum inteſtinalium actionem debilitat, ſuſpenditque motum periſtalticum, atque opiata crebrius adhibita ob ipſam hanc deſtructionem motus periſtaltici, diſpoſitionem ingenerant, ad inordinatam alvi excretionem & diarrhœas. An ergo Opium conveniret diarrhœæ, maxime quando ejus conſopitio neceſſaria aliis remediis tutioribus functionibusque Ventriculi & inteſtinorum magis amicis, impetrari poteſt. Sane motus auctus, & ſenſus auctus, & intenſior periſtalſis, ſi in culpa ſit, quod perduret diarrhœa, ſique hæc nonniſi his minutis cohiberi queat, Opium ob ipſam illam vim qua ſenſum, & actionem fibrarum nimiam minuit, erit princeps remedium, quo nullum invenietur convenientius. At ſæpe ſæpius excluſo ſtimulo, ſaltem ſupereſt debilis laxitas, & deficiens actio villorum, ab affluxu humorum nimio enata, ſine ſenſu nimio, & præternaturali, id quod abſentia torminum clare demonſtrat. Atque hoc quidem in caſu, peccari multum credo anodynis, vitium hoc non corrigentibus, ſed confirmantibus, ut in ſequentibus fuſius docebo, ſolaque aromatica, tonica, & adſtringentia morbum flagitare affirmo, eique curando pulcherrime ſufficere. Omnia ingredientia theriacæ & diaſcordii hic convenirent, ſi opium abeſſet, ſine quo alioquin nil poſſunt, hoc vero in ſe ſpectatum vix convenit, ſi omnia agi debent a Practico quam accuratiſſime, morbique curatione nulla nova diſpoſitio ad eundem ipſum, vel ad alios debet induci. Valde mihi placet, SENNERTVM noſtrum, Theriacæ certe in Praxi haud inimicum, nec de hac, nec de alio anodyno verbulum proferre, dum diarrhœæ a Ventriculo & cibis corruptis medelam tradit. MEAD [i]) quoque ad citam alvum curandam, ſatis eſſe dicit, ſi ſemel aut bis ipecacuanha, aut aliquoties rhabarbarum exhibeatur, dein aromaticis, adjuncta creta, aut bolo gallica, inteſtina roborentur. HEISTERVM [k]) porro, diarrhœas vulgares rhabarbaro, more anglicano,

i) *Monit. med. p. 70.*

k) *Obſerv. 84.*

mane

mane & veſperi per 3. vel 4. dies exhibito, & ſi fluxus non ceſſaret, Abſynthio & caſcarilla, ſineque opio ſanaſſe video. Mihi quidem ſalia, manna, rheum, magneſia, aut aliud abſorbens pro cruditatum differente indole, ſubjuncto ad robur reddendum vino generoſo, aut rubro gallico, cum corticibus aurantiorum, & pauco ſacharo, ſæpe ſæpius cum fructu fuere uſurpata.

Supereſt ut de diarrhœa a fermentantibus, vel fermentationem ubi ingeſta ſunt facile ſubeuntibus, quæ quam ab ullo alio diætæ errore, pejor eſt, ſigillatim quædam ediſſeram. Hanc abſorbentibus & opiatis ſanari dicit ETTMULLERUS. [l]) Priora ob ſaturationem acidi, merito BOERHAAVIO [m]) antizymotica dicta, motum fermentationis, ſi idonea copia ſumantur, egregie componunt, natæ inde acrimoniæ directe adverſantur, diarrhœæque ejus effectui, optime conveniunt. Poſteriora vehementes illas ſtricturas & convulſiones fibrarum, quas Gas illud ſylveſtre vaporoſum, etiam ex maturiſſimis fructubus horæis, in calore ſani hominis genitum, inducit, efficaciter placant. Sed & aqua tepida epota tum valde prodeſt, & ſi nimia copia aſſumta fuerint, quæ fermentativæ ſunt indolis, rhabarbaro vel magneſia hic purgantem indolem acquirente, illa debent ejici.

l) *in Operibus pract. cap. de diarrhœa.*

m) *Chem. Tom. II. p. 162. edit. Lipſ.*

§. XVII.

*a laxitate inteſtinorum:*

Tranſeo ad Diarrhœam a laxitate Inteſtinorum. Laxitas hæc poteſt eſſe effectus diarrhœæ a contentis cruditatibus, & acri ſtimulo jam expulſo, novam dare diarrhœæ perſeveranti faciem, ut modo dixi. Poteſt tamen etiam ſola vaſorum villorumque laxitas, ex alia cauſa enata, nullo notabili vitio diætetico prægreſſo, nihilo præternaturalis & laceſſentis in Ventriculo & arundine inteſtinorum ſtabulante, & permittere nimium affluxum humorum, & coctioni alimentorum officere, ſicque anſam dare alvino fluxui. Ubi ergo nulla cruditatum colluvies educenda adeſt, ubi nullum acre peccat, ubi nullum vitium viſcerum præſto eſt, ubi in

fæcibus nil præternaturalis conſpicitur, quod ejici præſtabat, quam retineri, paucis ubi ſola laxitas peccat, & inteſtina parum agentia fere ſaltem patiuntur, inſtar canalium ſemiparalyticorum, illa liquidis affluentibus, omnibusque contentis, tranſitum facilem, fere ſine ſenſatione moleſta, permittunt. Hæ conditiones quando obtinent, ſemper egregia ſunt adſtringentia, extra eas vero ſemper nociva, ubi nempe irritatio, ſenſus exquiſitus, & quæ tum neceſſario involvuntur fibrarum ſtricturæ, & convulſiones ſubſunt. Sed & ſimul ubi adſtringentia indicantur, per rationes antea jam explicatas, nocentiſſima ſunt opiata, facileque ſerio attendentibus clarum eſt, non adeo prudenter bina hæc conjungi, in diarrhœarum medela, licet hoc ipſum in Praxi quotidiana ita ſæpe fieri ſoleat. Scilicet fibræ inteſtinali laxæ medetur adſtringens, irritatæ, ſtrictæ, & convulſæ opem fert opium, ſed una fibræ conditio alteri contrariatur, eamque excludit, quare & remedium quod uni convenit, alteri contrarietur neceſſum eſt. Non igitur mirum, quando fluxus alvinus, qui ſibi adſtringens depoſcebat, opiato dato aut non auſcultat, aut auſcultare parumper viſus, brevi pertinacior redit. Ad hoc momentum non ut decebat, ſatis attenti ſunt omnes Medicinam facientes, pulchre vero id inculcat Celeb. de GORTER.[a]) *Laudanum liquidum* inquit, *cum aliis opiatis minuendo motum & ſenſum villorum inteſtinalium, compeſcit alvum, hinc decipiuntur, qui in alvi fluxu ex laxitate dant adſtringentia.* Atque aliquibus interjectis, quæſtionem proponit, quomodo opiata laxant & conſtipant alvum? ad quam facile reſpondetur ex antea diſputatis. Optime certe eam ſolvit Cl. TISSOT,[b]) dum Opium ad eas evacuationes alvi ſiſtendas conferre ſcribit, quæ a nimia irritabilitate inteſtinorum pendent, nocere autem quando hæc irritabilitas languet. Impegi aliquando, fatear ingenuus, faciendorum & cogitandorum mole in Praxi mea obrutus, contra hanc regulam, quam ab eo tempore, tanto firmius animo

a) *Compend. Med. Tr. XC. §. 161.*

b) *Diſcours preliminaire ſur la diſſertation ſur les parties irritables & ſenſibles de Mr. Haller. p. 24.*

animo impreſſam geſtavi. Vocabar ad Illuſtrem Fœminam, ducis legionarii uxorem, quæ ſine alio morbo per 3. hebdomadas alvi fluxu largiſſimo laboraverat, jamque exhauſtis omnibus viribus, pene ad incitas redacta lecto affigebatur. Erat tenerrimi corporis, laxa, pallida, pulſumque exhibebat debiliſſimum, atque ſimulac aliquid ingerebat ſtatim inter murmura ventris alvum deponere cogebatur. Clarum erat, quæcunque ſubeſſet cauſa, niſi componeretur profluvium, tantillum virtutis vitalis quod ſupererat, brevi exhauriendum fore, quare de ſiſtendo illo præcipue cogitabam. Scripſi Potionem ex aquis rutæ, meliſſæ, menthæ, Cinamom. cum diaſcordio, foris ſpiritum meliſſæ cum aqua Reg. Hung. abdomini applicari curabam, ſimulque victum nutrientem facile digerendum, & juſcula potiſſimum imperabam. Videbatur primo mitigari malum, ſed non obſtante continuatione remedii identidem revertebatur, quin priſtina pervicacia adfligebat. Ut formam pharmaci mutarem exhibebam laudanum liquidum per vices, ac pro potu ordinario aquam quæ fervida cinamomo infuſa ſteterat, vel corticibus aurantiorum recentibus, ſed eadem perſtabat ſcena. Fiducia ægræ in remedia tepeſcente, accedebam ad pilulas ex theriaca cœleſti, namque omnes pulveres averſabatur. Harum 3. vel 4. cum aliquoties per intervalla ſumſiſſet, fluxusque ventris interim ſilens aliquamdiu, dein tanto majori violentia increbuiſſet, vocor ſubito, ægramque offendo, ſopitam, & ſemianimem, excitantiumque naribus admotorum ope reviviſcentem, at de anguſtia præcordiorum, de ſuſurro aurium, de gravitate capitis, de impedito viſu conquerentem. Culpam horum malorum non ſine ratione rejiciebam & in jacturam liquidorum, & in repetitum anodynorum uſum, in quo forte tenellulæ ſtructuræ corporis reſpectu, nimis liberalis fueram. Seponenda igitur erant hujus commatis pharmaca, at nihilominus urgebat diſcuſſis his pravis ſymptomatibus, iterum

 diarrhœa,

diarrhœa, quæ attentius a me conſiderata, dum nullo prorſus dolore ſtipabatur, magis ſoli laxitati inteſtinorum quam alicui irritationi tribuenda videbatur. Igitur roborantibus adſtringentibus opportunum locum fore conjiciens, atque ea ſola citius adhiberi debuiſſe intelligens, utpote laxitati inteſtinorum totique corpori laxo reſpondentia, præſcribebam Tinct. martis cum ſucco pomorum præparatam, ſingulis tribus horis ad gt. 80. capiendam. Pauci dies elapſi erant cum inſignes fructus ægra inde caperet, igitur anni tempore annuente, aquas ſpadanas per menſem potandas ſuadebam, atque nihilominus brevi ante prandium & cœnam Martis tincturam propinabam. Multum hac methodo efficiebatur, venter ſenſim non niſi naturaliter reſpondebat, redibat appetitus, vultus pallidus colorem lætum adipiſcebatur, hæmorrhoidum ſymptomaticus fluxus ſubinde antea effuſior, minuebatur, corpusque omne pleniorem habitum nanciſcebatur. Paucis ægra quam nemo emerſuram crediderat, ad eam iterum ſanitatem perveniebat, quæ apud fœmellas teneriores, corporeque & animo delicatulas, morbisque, puerperiis, abortubus labefactatas, eſt poſſibilis.

Hujus ſane indolis diarrhœis tanto magis dextre proſpiciendum eſt, quo magis in habitum facile degenerant, laxa debilitate non ſolum inteſtinorum, ſed tandem omnium viſcerum abdominalium, pertinacem morbum excludente, quod a neglectis ex malo victu fluxubus in pauperibus potiſſimum eveniſſe, obſervavit van SWIETEN. [c] Unice interim valent ſi juvamen poſſibile fuerit, adſtringentia, eoque certius juvant, ſi nullum aliud vitium laxitati complicetur atque in diæta cibus ſiccus, panis toſtus, caro aſſa, vinumque auſterum, adhibeatur. Jam poſt HIPPOCRATEM, [d] GALENUS [e] Meſpila adſtringente virtute donata, ventrem occludere annotavit. Ex FORESTO [f] ægrum habet RIVERIUS, [g] diuturno alvi fluxu laborantem, Meſpilis etiam immaturis curatum, aliumque a Medico lovanienſi

c) *Comment. Tom. II. p. 383.*
d) *de Victu Acut. T. 2.*
e) *de Alimentorum facultatibus lib. II. c. 25.*
f) *lib. XXII. obſ. 1.*
g) *Pr. Med. lib. X. c. 5. p. 300.*

nienſi eoporiſto hoc remedio quoque perſanatum, pro quo conſilio ſoſtrum 300. aureorum hic accepit. Quernos cortices in cerevifia decoctos commendant *Miſcellanea Nat. Cur.* [h]) CHESNEAU [i]) virum memorat frequenti alvi profluvio ab imbecillitate partium, primæ coctioni inſervientium, affectum, quod ipſe pulvere gallarum orientalium, in vino rubro ſumto, pro lubitu inhibuit. Præferri his ſine dubio merentur Cortex Caſcarillæ & peruvianus. Diarrhœam diuturnam & indolentem LENTILIVS [k]) demulcentibus, & adſtringentibus, Croco martis, ſucco catechu, carne cydoniorum ſanavit. ETTMVLLERVS [l]) in ejusmodi habitualibus caſibus martialia laudavit, RIDLINVS [m]) marte crudo talem fluxum ſuſtulit, atque tandem BOERHAAVIVS, [n]) in diarrhœa perpetua nocturna, cum diuturno indolente hæmorrhoidum fluxu, pilulas ex gummi ferulaceis, & vinum medicatum martiale cum corticibus ſubadſtringentibus conſuluit. Non ſilentio præterire hic debeo *Lyſimachiam vulgarem*, *flore purpureo*, quam in diarrhœis a laxitate oriundis excellens remedium vocat Celeb. Antonius de HAEN. [o]) Sane morbum magis a laxis inteſtinis, quam a ſordibus oriundum, neque viſceris alicujus corruptioni purulentæ, ulceroſæ debitum, præmiſſo ſi opus purgante, etiam diuturnum, pulchre pulvere hujus plantæ ſanari expertus eſt. Nemo autem horum Virorum Clariſſimorum in hiſce caſibus opiatis uſus eſt, quæ laxis jam inteſtinis atoniam plenariam neceſſario debent inducere.

Non obliviſcar hic moniti Cl. BAGLIVI, [p]) diarrhœas frequenter oriri ex mœrore, eſſeque incurabiles, præſertim ſi cauſa mœroris perſtiterit, hisque ægris ſupervenire ſolere febrem, donec tandem atrophia conſumti intereant. Tales poſt moralia pharmaca mœrorem mitigantia, qui furtim appetitum omnem peſſundat, coctionem deſtruit, & non ſaltem tonum canalis inteſtinorum, ſed omnium ſolidorum mirum quantum relaxat, medicamentis alimentoſis & corroborantibus,

h) *Dec. III. Ao. I. p. 88.*
i) *obſervat. Med. p. 276. 277.*
k) *Jatromin. p. 335.*
l) *Operum Pr. cap. de diarrhœa.*
m) *lin. med. Ao. I. Aug. obſ. 27.*
n) *Conſult. Vol. II. caſ. 4.*
o) *Rat. med. in Noſocomio practico Part. III. p. 214. 215.*
p) *Operum p. 107.*

borantibus, gratisque nervoſo ſyſtemati pharmacis ſanantur. Perduntur autem certo, & celerius fato ſuo traduntur Opiatis, id fere hic præſtantibus, quod mœror præſtat.

§. XVIII.

*Diarrhœa a mobilitate nervorum.*

Mentionem jam faciam Diarrhœæ, a mobilitate ſolidorum & conſenſu nervoſo originem habentis. Ejusmodi fluxus, ſine omni materiæ vitio, aut ſaltem ex leviſſimis diæteticis peccatis familiaris eſt delicatulæ ſtructuræ hominibus; hyſtericis potiſſimum, & hypochondriacis, & animi perturbationibus obnoxiis. Quia in hoc caſu nil morboſi evacuatur, anodynis nervinis compeſcendam eſſe excretionem monet Cl. de GORTER. [a]) Verum eſt, nimia irritabilitas & ſenſibilitas inteſtinorum requirere videtur Opium, at cogitari ſimul debet a laxa fibrarum teneritudine utramque induci. Magis ergo amica debilibus haberi debent aromatica nervina, & corroborantia, quam anodyna, neque ad hæc confugiendum eſſe conſtat, ſine urgente neceſſitate. In uſu eorum omnia illa tenenda, quæ de malo hypochondriaco & hyſterico agens obſervanda eſſe commemoravi. Mihi in praxi Remedia ex Meliſſa, Ruta, Mentha, Salvia, Cortice peruviano, tum & balſamica, ſales volatiles oleoſi, martialia denique majori cum fructu exhibita fuere, talibus ægris, quam Opium, ad quod, maxime ſi fluxus nullo notabili dolore ſtiparetur, raro vel nunquam acceſſi.

a) *Syſt. Med. Tom. II. p. 111. §. 6.*

§. XIX.

*Lienteria.*

Sequatur Diarrhœa indigeſtorum ſeu Lienteria. Hanc adeſſe dico, quando ingeſta alimenta, indigeſta & non mutata, cito per alvum ægris ſæpe vix animadvertentibus excluduntur, proprio ſaltem pondere, a reſpirationis viribus deorſum pulſa, canali alimentorum immutatis tranſitum ſaltem concedente. Lævitatem inteſtinorum vocavit CELSUS [a]) quando nil aſſumtu continere poſſunt, ſed penitus inconfectum reddunt. Cauſa eſt inertia omnium humorum digeſtioni famulantium, & laxitas ſumma, ac quaſi paralytica

a) *lib. IV. c. 16.*

tica fibrarum Ventriculi, & inteſtinorum. Curam amara, aromatica & adſtringentia abſolvunt, niſi icterum, hydropem, febrem lentam Lienteria comitetur, principemque morbum præcipue ſanari velit. Opiata qui præberet, ignoraret naturam morbi & effectus opii, quos exerit in Ventriculum & inteſtina. Caute cum iis ſi in uſum trahantur procedendum vult COSCHWITZIVS, [b]) cum in nimis magna copia propinata tonum debilitent. Verum & in mediocri tono jam ſatis debili non quadrant. Non ſufficit cohibere velle alvum, remedio qualicunque, ſed ita coërcendus eſt fluxus, ut languens functio totius canalis alimentorum ſimul juvetur, non ut hæc cum omni ſpe reſtituendæ virtutis contractilis, prorſus extinguatur.

b) *diſſ. de Lienteria* §. 20.

## §. XX.

*Fluxus cœliacus.*

Lienteriam excipiat fluxus cœliacus, ſive diarrhœa chymoſa, & chyloſa. Hæc adeſt, quando ingeſta jam in chymum mutata, aut ipſe chylus cum fæcibus ejicitur. Multi antiquiorum & recentiorum Autorum Lienteriam & fluxum cœliacum pro uno eodemque morbo habent, aut invicem confundunt, quod evolventibus eorum ſcripta patebit, atque adeo huic fluxui cœliaco, Lienteriæ nomen perperam imponunt, quod ſtatim debet abeſſe, quando ex alvo egeſtis, mutata fuiſſe vi digeſtionis ingeſta, apparet. Recte eapropter Vratislavienſes noſtri, [a]) quando cibi non diu poſt prandium in pulticulam reſoluti egeruntur, morbum fluxum cœliacum dixere. Multo minus vero ubi diarrhœa vere chyloſa eſt, qualem rariorem omnino in Praxi *Miſcellanea Nat. Cur.* [b]) deſcribunt, hæc Lienteria vocari poterit, licet id fiat paſſim. Ut cauſa fluxus chymoſi ſola eſt inteſtinorum laxitas, ita cauſa chyloſi erit ſemper impedimentum, ingreſſui chyli in vaſa lactea, & progreſſui per eadem, enatum. In illa ægritudine ſcilicet, ſtomachus utcunque ſuo officio fungitur, bilis iners autem non rite famulatur digeſtioni, atque inteſtina laxiora ex chymo chylum non conficiunt.

a) *Hiſt. Morb. Vratisl. Ao. 1700. p. 94.*

b) *Dec. I. Anno II. obſ. 152.*

ciunt. In hac inteſtina debilia confectum utcunque chylum vaſis lacteis non inſinuant; aut hæc obſtructa eum recipere non poſſunt, oſculis lenta & viſcida pituita oppilatis, vel concretis prorſus; aut glandulæ meſentericæ infarctu laborant, appellentem chylum non transmittunt, ejusque iter ad vaſa lactea ſecundi generis, atque ad receptaculum Pequeti morantur. In Curatione, quamvis jam DIOSCORIDES [c]) Opium cœliacorum valetudini mederi profeſſus ſit, fluxus ipſe non reſpiciendus, ſed cauſa ad quam Opium nil facit. Laxitati quippe, ſola medentur grata ſtomacho & inteſtinis aromatica, ſtimuloque amico fibrarum vim contractilem incitantia, & eas corroborantia. Mucum diſſolvunt ſalia, & ſapones, quibus tonica ſubjungenda ſunt. Concretio oſculorum lacteorum; ſi forte poſt dyſenteriam graviorem, & ulcus inteſtinorum veris cicatricibus natis, orta ſit, GALENO [d]) poſſibilis habita, GORTERO allegata, [e]) ſed alibi exploſa, [f]) atque vere per omnem tractum inteſtinorum tenuium quin & craſſorum difficulter concipienda (nam aliqua pars oſculorum ſaltem concreta non omnem abſorptionem chyli inhiberet) malum foret prorſus inſuperabile, immedicabilemque atrophiam poſt ſe traheret. Glandularum obſtructioni niſi ſcirrhoſa jam fuerit, auxilium promittit abdominis tumentis diligens frictio, tumque ſaponis, Gummatum, ſalium, amaricantium remediorum, reſolvens virtus, una cum balneis.

c) *lib. IV. c. 55.*

d) *Si ad eum pertinet* Introductio *ſeu* Medicus *c. 13.*

e) *Comp. Med. II. p. 171.*

f) *Med. Hippocrat. lib. VII. aph. 76.*

## §. XXI.

*Diarrhœa pituitoſa.*

Prodeat nunc in conſpectum diarrhœa mucoſa & pituitoſa. Excernitur quandoque per alvum, larga ſatis copia mucoſa & pituitoſa materies, ut commode inde ipſa diarrhœa nomen ſuum adipiſci queat. Illa vero cumulatur interdum in Ventriculo & inteſtinis, ab ingeſtis tenacibus glutinoſis & farinoſis per debilitatem canalis alimentarii, & ſaponis naturalis, bilis puta inertiam, haud ſuperatis. Cognoſcitur hæc diarrhœa, ex diæta prægreſſa, & ſignis glutinoſi

tinoſi ſpontanei, in primis viis, diluentibusque, reſolventibus, ſtimulantibus, amaris, ſaponaceis, tandemque ſtomachicis, corroborantibus, neutiquam vero Opio, curatur.

Alio tempore mucus in membrana Schneideri, in faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, glandulis ſecerni ſolitus, qui naturaliter obducit cruſtam villoſam, quique a glandulis horum locorum relaxatis ſecerni poteſt copioſius, vel a vellicatis ab acri qualicunque convulſione fibrarum excuti, alvo exit. Tum vero nudatis villis, exuta naturali veſte, dolor inducitur, moleſtaque ægro tormina naſcuntur. In hac inteſtinorum coryza, acre irritans ſi ſubſit, corrigi, denudata nervoſa lanugo obliniri, atque mucus blandus deperditus reſtitui debet. [a]) Juvant oleoſa intus data, quæ tormina levant, molliaque gelatinoſa & demulcentia, atque clyſmata ex talibus, hisque remediis ad ſenſum inteſtinorum, & teneſmum ſi concurrit minuendum, commode anodyna jungi poſſunt. Omnia omitti debent ſollicite, quæ qualicunque ſtimulo agunt.

a) *Kaau de perſpirat. p. 120.*

Pituita etiam culpa laxorum viſcerum generata inferri poteſt humoribus, & culpa minus vegeti circuli colligi in ſinu eorum, quin & ibidem generari, in corporibus cachecticis, leucophlegmaticis, atque tum deponi in cavum inteſtinorum, largiusque excerni. Tanta vero eſt quandoque pituitæ excretæ tenacitas, ut gelatinam & gluten referat, unde pituitæ vitreæ appellatio ab Autoribus uſurpata. Quandoque tenax pituita, ad ſuperficiem inteſtinorum concreta, & emiſſa veram membranam mentitur, portionemque inteſtini, quin viſi ſunt coagmentati pituitoſi polypi, per alvum prodiiſſe, de quibus Dresda epiſtolam typis impresſam, ad beatum HAHNIVM noſtrum perſcripſit Cl. BAVER. Ejusmodi diarrhœa non ſiſtenda eſt, vel anodynis vel adſtringentibus, ſed reſolventibus, ſaponaceis, ſtimulantibus, calefacientibus, roborantibus, tractanda, ut pituitæ generatio ſic præpediatur. Levat illa ſæpe corpus

vindicatque ab imminente morbo, vel a præſente liberat. Doctiſſimus LIPSIVS a lenta pituita, quam intemperantia ſtudiorum & vita ſedentaria contraxerat, diu valetudinarius, ſumſerat remedium purgans. Maſſam cohærentem excerni ſentiens, terrore perculſus, illam habebat pro portione inteſtini, atque eapropter HEVRNIVM vocari faciebat. Hic inſpectis alvo excluſis, tenacem pituitam in formam aliquam, quæ inteſtina referebat compactam, ejectam obſervans, de ſuperato morbo LIPSIO gratulabatur, plenamque ſanitatem promittebat, qua dein etiam Vir egregius gaviſus eſt. [b]) Atque ſi a Leucophlegmatia detento, teſte HIPPOCRATE [c]) vehemens diarrhœa ſuperveniens morbum ſolvit, tenaci nempe humore in membrana adipoſa hærente, utcunque attenuato, moto, & ad inteſtina depoſito, quis auderet coercere ſalubrem hunc fluxum. In omnibus potius ejusmodi caſibus, conducit materiam tenacem divellere, ſalibus, ſaponibus, gummi reſinis, extractis amaris, mercurialibus, ſtimuloque purgante ejicere, aut per emeſin concuſſu Viſcerum excitato, tenacius adhærentem validius avellere, tonumque viſcerum omnium deinde roborantibus reſtituere.

b) *Vid. Vita Heurnii.*
c) *lib. VII. aph. 29.*

§. XXII.

*Diarrhœa ſeroſa.*

Pituitoſam Diarrhœam excipiat ſeroſa & lymphatica. Hæc alvinorum fluxuum ſpecies, ſeſe diſtinguit ab aliis aquoſa tenuitate, minus coloratorum excretorum, cum vel ſine dolore aliquo rejectorum, humidisque & ſero turgentibus corporibus frequens eſt, maxime ſi laxitate ſimul peccent inteſtina. Materiem ipſi dat latex ſalivalis, tenue ſerum halituoſum, quod ex tubulis arterioſis exhalantibus, œſophagum ventriculum inteſtina ingreditur; tum & ſuccus pancreaticus, & bilis tenuis hepatica, ex ſuis officinis liberaliter affluentes. Hæc ſeroſa colluvies undiquaque adveniens, quæ ſatis magna eſſe poteſt, ſi non reſorbeatur, facile diarrhœam procreat. Aliquando ſuetæ excretiones ſeroſæ impeditæ, ut renalis, maximeque cutanea efficiunt, ut liqui-

dum

dum retentum ruat majori impetu ad inteſtina. Ejusmodi diarrhœa ſi ſerum abundet in corpore, ſibi permittenda eſt, quamdiu appetitus viget, & vires utcunque ſibi conſtant, cum morbos ab ejus copia & immeabilitate oriundos præcaveat feliciter. Præſentibus vero talibus ſæpe ſalubrem criſin largitur, hinc tanto minus turbanda, cum ut jam annotavit HIPPOCRATES,[a]) adeo in aqua inter cutem incipiente, alvi profluvium aquoſum oboriens, citra cruditatem morbum ſolvat. Quin & quando alius ſeroſæ excretionis ſolemnis ſuppreſſæ vicaria eſt, toleranda prudenter erit, donec illa iterum reſtituatur. Stimulo igitur arte addito per ſalia, rheum, ſaponem, amaricantia, atque clyſmata ſæpe potius promotione, quam conſopitione indiget, ſub finem autem curationis corroborantia poſcit. Interim ſi diutius duraverit, maxime ſi non ſerum excrementitium, ſed laudabile & lympha bonæ notæ profundatur, mirum quantum corpus quandoque ad animi deliquia uſque debilitat, peſſimas obſtructiones viſcerum relinquit ob liquida tenuiſſima exhauſta, & reliqua inſpiſſata, febresque lentas poſt ſe trahit. Sub his ergo conditionibus fluxus omnino compeſcendus adſtringentibus & aromaticis, ſi nulla adſint tormina, anodynis ſi hæc complicentur. Interim attenta omnium circumſtantiarum conſideratione ponderandum ſemper eſt, an e re ſit ægri, diarrhœam cohibere, cum interdum ſat diu durare poſſit, fomite omni nondum exantlato, quo in caſu anodyna retardant & includunt colluviem, ſegetem futuram variarum aliarum ægritudinum, aut magna etiam doſi data inducias ſaltem faciunt, diarrhœa iterum, iterumque recurrente. Vocabatur ad annoſam Virginem Cl. RIDLEY[b]) per 4. ſeptimanas diarrhœa ſeroſa laborantem, pulſu jam ſumme debili, viribusque proſtratis, febreque lenta præſente cum perpetuis vigiliis, aliisque gravibus ſymptomatibus. Quis hic non cogitaſſet de ſiſtendo fluxu? Dedit RIDLEY gr. j. opii, altero mane omnia pejora. Julapiis perlatis re-

a) *Prænot. Coac. No. 457.*

b) *Obſ. IV.*

fectæ ægræ, dedit opii gr. ij. Bene dormivit & omnia in melius abire viſa; ſed vi remedii evaneſcente denuo recrudeſcebant ſymptomata, datum igitur bis rhabarbarum, a quo aliquot ſedes motæ cum fructu, ægra dein ſub uſu amarorum & martialium prorſus convaleſcente. Alio tempore c) talem diarrhœam ad extremum corporis marcorem jam affligentem, ægra ipſa theriaca per aliquot noctes compeſcere allaboraverat, ſed varia peſſima ſymptomata accerſerat, loco ſperatæ medelæ. RIDLEY vocatus dedit rhabarbarum, dejecit quater, nocte dormivit ſine opio, & tum longe melius ſe habuit. Binis vicibus deinde repetita potio purgativa ex rheo, evanuit diarrhœa, cum omnibus ſymptomatibus, repetitisque adhuc purgantibus ad ſeri redundantiam minuendam, & ſubjunctis chalybeatis, febreque tandem tertiana cum profuſis ſudoribus poſt tertium paroxyſmum ſponte ſilente, prorſum convaluit.

c) *vid. Obſ. 15.*

Sed meretur adhuc ſeorſim & cum ſpeciali cura expendi illa diarrhœa ſeroſa, quæ ſaniſſimis hominibus toties accidit a perſpiratione inſenſibili, eo potiſſimum tempore ſubito ſuppreſſa, quando laxata cutis eſt, & humorum determinatio eo vergit, calidumque & ſudans corpus auræ frigidiori exponitur. Id æſtate maxime & autumno ſolemne eſt, ut ex inſtituto morbos a colluvie ſeroſa exponens bene notavit PISO. d) Scripſit HIPPOCRATES: e) *Cutis raritas, ventris denſitas.* Valebit vero & contrarium, cutis denſitas, ventris raritas, quoque magis ſenſibile corpus eſt, & quo citius delicatulæ & tenerioris ſtricturæ cutis ſtringitur, eo citior diarrhœa, dum duriore & denſata pelle induti non æque a quavis externa aëris injuria læduntur. Hanc diarrhœam in cujus locum, niſi ipſa oborta eſſet, catarrhus a ſero perſpirabili ad glandulas capitis & faucium repreſſo oriundus, ſeſe forte manifeſtaſſet, quæque adeo ad valetudinem ſartam tectamque ſervandam facit, ſi aliquis perſpirationem & ſudationem inverſam, vel catarrhum aut coryzam

d) *Sect. IV. c. 1. p. 260.*
e) *Popularium VI. ſect. III. init.*

inteſti-

inteſtinorum, ſero illo ad horum glandulas depluente, nominare voluerit, a veritatis tramite non abludet. Si vero de ulla diarrhœa valet illud BAGLIVI,[f]) Quod ſudor diarrhœis ſuperveniens morbum ſiſtat, id certe de hac ſpecie valet maximopere, quæ artificiali determinatione humorum ad corticem corporis, cito, & pulchre ſanatur. Memini illuſtrem HOFFMANNUM olim mihi auditoribusque reliquis, tanquam arcanum commendaſſe, ad diarrhœas ſeroſas ſanandas hanc methodum. Jubebat ut æger in lecto cubaret, bene tectus, aſſumeretque repetitis ſed parvis doſibus liqu. CC. ſuccin. cum liquore anodyno, deſuper ſorbillando infuſum menthæ calidum, & ut certius ſudor moveretur abdomini imponeret cataplaſma ex fermento panis cum pulvere aromatum & Vino bene calidum, prorumpentemque ſudorem regimine aliquamdiu ſuſtentaret. Anne vero potentiſſimum diaphoreticum Opium huic fini æque inſerviret? Anne forte adhuc pulchrius? cum diarrhœam etiam ſine peculiari regimine diaphoretico ſimul obſervato compeſcere aptum ſit, doloresque ſi concurrant, ſimul leniat, utrumque hoc neutiquam præſtante liquore CC. ſucc., & liquore anodyno, aut multo ſegnius ſaltem. Ita certe ſtatuere jubet ratio, & rerum ſucceſſus. Sane in hoc caſu ſudorifera primo blanda, deinde generoſa exhibenda vult PITCARNIUS,[g]) inter quæ theriacalia & opiata excellere dicit. Atque Ill. BOERHAAVIUS[h]) determinatione humorum aliorſum, morbum talem curaturus dat primo granum unum Opii, vel theriacam venetam vel ſal aliquod volatile, ſpiritumque Vini cum charta bibula apponit umbilico, vel aliud epithema calidum. Jubet ſimul ægrum ſe continere in lecto, ut ſudor erumpat, affirmatque, quando ille apparet, ægrum eſſe ſanatum. Quanquam vero diarrhœa quam loquor ſi a ſola ſuppreſſa perſpiratione pendeat feliciter opio curetur, & ſudore inde moto, vacuum tamen a ſordibus canalem alimentorum proſper hujus medelæ ſucceſſus

f) *Operum p. 108.*

g) *El. Med. lib. II. c. 19. §. 13.*

h) *in Comment. in aph. 722.*

ceſſus ſupponit, adeoque ſi forte ingluvies & refrigeratio corporis ſimul, ut fieri non raro ſolet, originem malo dederint, eadem hæc methodus haud bene confert. Niſi enim antea ars aut natura quisquilias in inteſtinorum arundine ſtabulantes ejecerit, calido pharmaco & regimine facile hæ urgentur in humorum maſſam, ſanguineque cui intimius miſcentur, validius commoto, ſic febrilis ignis accenditur, aut alii graviores morbi excluduntur, id quod dato prius rheo pulchre præcavetur.

De diarrhœa mercurii uſum ſubſequente, quæ certo reſpectu ad ſeroſas referri poteſt, dicam alibi.

§. XXIII.

*Diarrhœa biliosa.* Venio ad diarrhœam bilioſam. Huic cauſam ſuppeditat 1. abuſus facile alcaleſcentium, pinguium, rancidorum, quæ in nidoroſam cruditatem vergunt, bili corruptæ analogam, 2. bilis per habitum ſolidorum & fluidorum mutuum copioſius generata, in hominibus cholericis: geneſi ipſi, ſicca & calida tempeſtas multum favet, una cum perſpiratione ſuppreſſa, per quam aliter tenuiores ſordes alcaleſcentes in humoribus coacervatæ difflandæ erant, quæ tum introrſum ad cavum inteſtinorum urgentur, 3. copioſior bilis effuſio per ductus ejus itineri deſtinatos, maxime quando Veſicula tumet; eam proritant mobilitas & irritabilitas facilis nervoſæ compagis, & ira vehementior præcipue. Sæpe quod HOFFMANNVS [a]) notat, ipſa Natura per bilioſas dejectiones, ſponte repurgat corpus, a redundantibus ſalinoſulphureis ſcoriis, quæ æſtate nimis fervida progenitæ cohibita perſpiratione partim ad hepar, partim ad glanduloſas inteſtinorum tunicas relabuntur, ac in ipſo canali moleſta tormina & ſpaſmos excretorios producunt. Id ſi non fiat, facile nauſea, anorexia, anxietas, cardialgia, vomituritio, colica cum urina intenſe flava, ex remanente ſtabulanteque in duodeno maxime, ibidemque per moram acri rancida putrida reddita bile, ingruunt; ingens vero periculum ſubeſt, ſi bilioſa

a) *Med. Syſt. Tom. III. Sect. I. c. 13. §. 43.*

ſi bilioſa ſaburra cerebrum petat. Omnia vero hæc mala præcavet vel præſentia tollit ſuperveniens diarrhœa bilioſa, quæ ex eorundem prægreſſu aut comitatu, dejectionibusque intenſe flavis, & virideſcentibus, præcipue dignoſcitur. Solvit quoque non raro febres maxime intermittentes, interdum delirium, [b]) atque annotante HIPPOCRATE [c]) & Celſo ſurditatem; neque minus BAGLIVO [d]) teſte bonum eſt, ſi diarrhœa talis iræ ſuperveniat, nam ſi non ſuperveniat, febris ſuperveniet. Quamvis vero tot bona ſæpe præſtet diarrhœa bilioſa, non tandem etiam negandum eſt, id quod pulchre monet laudatus HOFFMANNUS, [e]) ſi acres hi ſucci diutius per inteſtina ferantur, tonum eorum deſtrui, tunicas exedi, tormina ingentia, ardores, affectum hypochondriacum, atrophiam, hecticam, tumores œdematoſos ipſumque hydropem inſequi. Attente igitur penſitandum eſt, an fluxum permittere an inhibere deceat, ſciendumque eſt, tutius ſemper illum ſiſti, ſi ſtimulus enervetur & ejiciatur. Binis his finibus demulcentia omnia, acidula, ſaponacea, ſyrupi horæorum, lac ebutyratum, nitrum ipecacuanha, rheum, manna, pulchre inſerviunt. His ſufficienter & diu uſurpatis, ſi malum non cedat, quod tamen ſæpe fit, RIVERIUS [f]) quippe diarrhœam Virum robuſtum media ætate affligentem, & valde urgentem, ſolo ſale prunellæ ſanavit; aut adſtringentibus, aut ſi tormina perdurent anodynis coërcendum eſt. Mallem vero ea ſi opus, præmiſſis corrigentibus & evacuantibus ſubjungere, quam purgantibus ex conſilio Cel. de GORTER [g]) ſociare.

b) *Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. ſect. II. c. 8. p. 585. §. 15.*
c) *ſect. IV. aph. 28.*
d) *Operum p. 108.*
e) *loc. cit.*
f) *Cent. I. Obſ. 33.*
g) *Syſt. Med. II. p. 113. §. 4.*

§. XXIV.

*Fluxus hepaticus.*

Meminiſſe nunc mihi liceat Diarrhœæ ſeroſo-ſanguineæ, inſtar loturæ carnium, ſeu Fluxus hepatici. Veteres & recentiores Autores profluvium alvinum, quo ſerum ſanguineum, rubellum inſtar loturæ carnium excernitur, Fluxum hepaticum vocant. Quodſi Jecur non retinet inquit LOMMIUS, [a]) varii difficileſque incidere caſus a profuſione

a) *Obſerv. med. lib. II. pag. 180. 181.*

alvi

alvi poſſunt. Eoque vitio raptos, fluxusque factos, Græci proprie hepaticos nos jecinoroſos appellamus. Dejectio primum ſimilis eſt aquæ, qua nuper mactati animantis carnes ablutæ ſunt, ſanioſa ſcilicet, atque ſubcruenta. Ita quoque BOERHAAVIVS, [b]) Si in hepate ſit dilatatio ait, ut nimis ſtillet humor rubellus, fit fluxus hepaticus, inſtar loturæ carnis. Non minus de GORTER [c]) hunc morbum poſt colliquationem humorum & cohærentiam eorum ablatam, produci dicit, ab actione hepatis debiliore, materiem bilioſam imperfecte præparatam copioſius per choledochum in duodenum deponente. Ex his patet hos Clariſſimos Viros, id quod jam GALENVS [d]) fecerat, manifeſte vitium hepatis accuſare, ita ut malum a ſede ſua dicatur fluxus hepaticus. Ab omni vero culpa hepar abſolvit MEIBOMIVS, [e]) ita ſcribens: Purus ſanguis ſed ſeroſior in fluxu hepatico excernitur, qui tamen non ab hepate eſt, ne quidem ut nonnulli volunt, hepatis vitio primario, quanquam forte illud aliquando cum aliis viſceribus in culpa eſſe poſſit, ut ſanguis ſeroſior generetur. Per arteriæ autem cœliacæ ramos aquoſus ille ſanguis ad inteſtina fluit. Atque fluxum ſic dictum hepaticum ſanguinolentum, inſonte hepate vere deſcribit KLAVNIGIVS, [f]) ac anatomen demortui ſimul tradens, exſangue jecur fuiſſe totumque ſanguinem in vaſa meſaraica delatum fuiſſe notat, quæ omnia ejus copia turgida inventa fuerunt, quare potius dyſcraſiam humorum & inteſtina accuſat, magnamque analogiam huic fluxui fuiſſe cum hæmorrhoidali affirmat. Quamvis vero laudatus modo Cl. de GORTER [g]) hepati omnino culpam detulerit, tamen & ſanguinem venæ portarum liquatum, per vaſa cruenta meſenterii relaxata, in cavum inteſtinorum aliquando ſtillare, fluxu hepatico præſente, contendit. Prorſus vero aliter BONTIVS [h]) ſub hoc nomine morbum deſcribit, in quo non ſerum ſanguineum, ſed purum ſanguinem dejici dicit, vel propter debilitatam vim jecinoris retentricem,

b) *in Commentario ſuo ad aph. 719. & vocem* inteſtinorum.
c) *Syſt. Med. II. p. 116.* §. 2.
d) *lib. V. de locis affectis c. VIII. text. 7.*
e) *diſſ. de motu ſanguinis naturali & præternaturali* §. 68.
f) *Noſoc. Charit. hiſt.* 23.
g) *loc. cit.*
h) *Med. Ind. lib. III. c. 4.*

cem, vel propter acrimoniam ſanguinis, oſcula venarum reſerantis per anaſtomoſin, vel propter copiam regurgitantem in venas meſaraicas, & inde in inteſtina, in quo caſu omnium fluxuum hepaticorum minus periculoſus, plus terroris, quam damni inferat. Studio adduxi diverſas has ſententias, ut eluceſceret, præſtantiſſimos quosdam Viros circa fluxum hepaticum non omnino convenire, & ſubinde etiam eum confundere cum diarrhœa cruenta, de qua in ſequentibus acturus ſum, quo titulo vere ſaltem inſigniri debet fluxus non ſerum cruentum, ſed cruorem ſincerum conſpiciendum præbens. Negari vero nulla ratione poteſt, poſita laxitate hepatis ſanguinem affluentem per venam portæ, maxime ſi ſero abundaverit, vel rubram ejus portionem, ſero dilutam, intrare poſſe in tubulos biliarios, apicibus Venæ Portarum continuos, atque ex iisdem cum liquamine billioſo pergere in ductum hepaticum, & choledochum, adeoque ſic ruere ad inteſtina. Saltem ita Cl. BIANCHI [i]) i) *Hiſtor. hepat. p. 172. & 455.* fluxum hepaticum deſcribit, quem catarrhum hepatis nominat; adeoque is hepar ſedem morbi abſolutam agnoſcit, quod affluxu perdurante exedi, corrumpi & totum in tabum reſolvi, dicit. Atque in demortuis hoc morbo hanc faciem hepatis fuiſſe conſtat ex BONETI *Sepulchreto*, ubi tali ſero ſanguinolento refertum fuiſſe corruptum hepar, legitur, quale durante vita ægri per alvum excreverant, quo ipſo ſedes vera fluxus hepatici in hepate clariſſime conſpicitur. Nollem interim negare per laxatos apices arteriarum meſentericarum in cavum inteſtinorum hiantes etiam ſerum rubicundum elabi poſſe, fluxumque hepatico analogum ſic poſſe emergere, qui tamen ſi magis adhuc laxa oſtiola conſiſtentem ſanguinem fundunt, potius diarrhœa cruenta appellari meretur. Atque hoc ipſum hic loci facilius evenire poſſe credo, quam in hepate, quia impetus ſanguinis arteriarum meſentericarum major eſt, quam impetus venæ portarum, rarius forte tantus, ut verum ſan-

guinem poris biliariis intrudat. Licet vero ſi ex laxis inteſtinorum tubulis exhalantibus ſerum ſanguinolentum exudet, hæc diarrhœa fluxus hepatici nomen ob excretorum ſimilitudinem obtinere queat, nollem tamen illam dejectionem loturæ carnium, quæ puellæ cuidam, ſesquiannorum accidit, & lethifera exſtitit, poſtquam cholerica paſſione antea laboraſſet, & rob ſambuci aſſumſiſſet, ut SALMVTHO [k]) placuit, fluxus hepatici nomine inſignire, cum ex eroſis inteſtinalibus vaſculis hoc rubellum ſerum originem ſuam ſine dubio traxerit, atque ad ipſos choleræ effectus referri debeat. Quicquid ſit, ſi Medico cuidam verus fluxus hepaticus curandus obveniat, quem HOFFMANNVS, [l]) tantus Practicus nunquam ſe obſervaſſe dicit, abeſſe debebit omne opium, ſolaque affluxum ab hepate divertentia, hepatisque laxitatem aut concurrentem ſimul obſtructionem tollentia, atque ſimul bilioſæ acrimoniæ contraria, ut nempe eroſio & corruptio hepatis præpediatur, prodeſſe poterunt. Polychreſtus ſemper erit rhabarbari uſus & acidularum martialium. In nobili muliere remediis multis fruſtra tentatis, uſu aquarum meinenſium prope Bellicadrum fluxum hepaticum fuiſſe ſanatum, & cum poſt multos annos reverteretur, iterum abactum fuiſſe, narrat BORELLVS, [m]) cumque & aliis ægris profuerit hoc remedii genus, ut ægri hoc morbo affecti eo utantur, ſimul monet.

k) *Cent. II. obſ. XI.*

l) *diſſ. de Morbis ex hepatis vitio* §. 24.

m) *Cent. I. obſ. 99.*

Quanquam vero laudatus modo HOFFMANNVS non viderit alvo excerni ſerum ſanguinolentum ex hepatis vitio, neque viderim ipſe, deſcribit tamen ille aliam diarrhœam hepaticam, ſed ſimpliciter ſine tingente ſanguine, ſeroſam. Hæc ex illius ſententia pro fundamento habet obſtructionem hepatis notabilem, eaquepropter dum ſanguis ex aorta per cœliacam arteriam apertum iter ad hepar non invenit, is ruit copioſius ad vicinam meſentericam, ſerumque copioſius ita inteſtinis ſuppeditat. Deinceps etiam ſanguis ob hepatis infarctum tardius per venas meſaraicas verſus hoc

viſcus

viſcus motus, propter moram, majorem lymphæ quantitatem ſecedere facit. Ita HOFFMANNUS [n]) faciem hujus diarrhœæ pingit, videor autem mihi adhuc clariorem ætiologiam invenire apud Ill. van SWIETEN. [o]) Nempe fiſtulæ venoſæ hiantes in cava inteſtinorum reſorbent ſecundum naturam contentos ibi humores, omnes vero ſeſe tandem exonerant in truncum Venæ portarum, ſi igitur obſtaculum in hepate adſit non ſaltem iisdem jam repletis, ſeſeque evacuare prohibitis reſorptio ceſſat, ſed & poſt ſummas anxietates vomitus & aucta reſpirationis molimina poterunt humores, retrogrado motu ex venis in cavum inteſtinorum venire. Geneſi Morbi igitur ita ſeſe habente, omnino per aſſertum HOFFMANNI, ille Medicus gravi damno ægrum afficiet, ſi eadem ratione ac in aliis diarrhœis fieri conſuevit, fluxum adſtringentibus & ſedativis ſiſtere moliatur, cum ſi obtineri queat, una ſalus pendeat ab iis, quæ oſtructos meatus reſerant, quem in finem extracta amara, rhabarbarum, corticem chinæ & caſcarillæ laudat, cui apparatui ſapo, & aquæ minerales merito addi debent.

n) *diſſ. de Morbis ex hepatis vitio* §. 6.

o) *Comment. Tom. II. aph. 719. p. 375.*

## §. XXV.

*Diarrhœa cruenta.*

Deferor ad Diarrhœam cruentam, quam jam tetigi, cum de fluxu hepatico agerem anteced. §o. Non confundi hæc debet cum dyſenteria, quia ſine dolore eſſe ſolet, & ſine teneſmo, neque plures ſimul adoritur, ut epidemice plerumque graſſans dyſenteria, multum quoque diſtat ab hæmorrhoidibus. Fontes ſanguinem ſincerum qui per alvum excernitur, ſuppeditantes, ſunt arteriæ meſaraicæ, & venæ meſaraicæ, namque & ex his, licet hoc circulo humorum repugnare videatur, poſito obſtaculo in hepate, deponi poteſt cruor in inteſtina. Non potens quippe ferri libere per truncum venæ portarum, ob obſtructos canales hepaticos, retrogreditur facile, quia venæ meſaraicæ valvulis deſtituuntur, & perrumpit oſtiola in cavum inteſtinorum hiantia. Utriusque autem generis vaſa meſaraica quando ejus-

 modi

modi hæmorrhagiam inteſtinalem cauſantur, aut dilatata ſunt, aut diſrupta; utraque ſanguine qui in toto cadavere deficiebat, turgida vidit KLAVNIGIVS [a]) noſter, qui adeo hoc profluvium cruentum per alvum, rectius diarrhœam cruentam quam fluxum hepaticum debuiſſet dicere, tumque hepatis innocentiam in hoc morbo adeo diſerte tueri non opus habuiſſet. Certe cruorem excerni poſſe per alvum, ſine hepatis vitio, hic caſus abunde probat, atque ſine dubio illa diarrhœa cruenta, quam habet Simon PAVLI, [b]) quæque eo aſſerente neque dyſenteria neque fluxus hepaticus fuit, ac poſt 3. vel 4. menſium durationem fabis cum lacte coctis curata eſt, ex vaſorum meſaraicorum oſtiolis laxatis ortum ſuum habuit. Interim tamen non ſemper ſanguis diarrhœæ cruentæ ex vaſis meſaraicis fertur, poteſt nempe is & per ductum choledochum & wirſungianum infundi inteſtinis, ſi vaſa hepatis vel pancreatis ſint nimis dilatata, aut exeſa. Talem diarrhœam BONTIVS §0. anteced. citatus a vi retentrice jecinoris debilitata deductam ſub fluxus hepatici nomine deſcribit, melius vero LOMMIVS [c]) dejectionem cruentam vocat, quæ jecinoris vitio fiat, quando ſine calore infirmum jecur eſt, tumque ſine multo fœtore dejectionem eſſe, diutiusque trahi, ſineque febre incipere quanquam interdum languida ea oriatur, putrefacto in viſcere ſanguine, talemque diarrhœam nullis torminibus, nullo dolore ſtipari dicit.

Non vero idem fatum expectandum eſt hominibus ſanguinem per alvum excernentibus. Notat GALENVS [d]) per profluvium alvi cruentum, æque ac per venas quæ in ano, vel in muliebribus ſunt, totum corpus a puro ſanguine ob copiam depleri, maxime in illis qui athletice valent, qui vitam laborioſam cum ſedentaria commutant, vel quibus membrum quoddam exciſum eſt; interdum etiam fœminas, quibus catamenia haud fluunt, ſanguinem per alvum fundere hoſtiæ occiſæ ſimilem. Ita quoque LOMMIVS, [e])

a) *loc. cit.*

b) *Quadrip. Botan. p. 30.*

c) *Obſ. med. p. mihi 181. & 182.*

d) *lib. II. de loc. affect. c. 5. t. 7. & lib. V. c. 8. & Comm. IV. in lib. Hipp. de articul. t. 12. & de ſympt. cauſis lib. III. c. 7. ex eo Lambsma Ventr. flux. multiplex c. 9.*

e) *l. c. p. 182.*

Si

*Si mutilato* inquit, *membro grandiori, aut propter neceſſariæ ſolitæque vacuationis compreſſionem, ex alvo ſanguis diffluat, is multa copia purus ſubito prorumpit, ſubitoque deſinit, longiſſimis ſpatiis temporum recurrens.* Atque hæc diarrhœa cruenta eſt ille fluxus hepaticus, perperam ita BONTIO dictus, qui plus terroris quam damni habet, (imo vero qui inſons & ſalubris eſt) quando peccans copia ſanguinis in vaſa meſaraica defertur, & per hæc in inteſtina effunditur. Neque ſaltem Fœminis non rite menſtruatis interdum accidit tale profluvium, vidit nempe & Viros multos laute & otioſe viventes Illuſtr. van SWIETEN, [f]) quibus familiare fuit ter vel quater in anno purum ſanguinem alvo excernere cum fructu. Ut autem ſub his conditionibus ſalutaris eſt diarrhœa ſanguinea, ita & febres interdum ejusmodi evacuationibus judicantur, de quibus HIPPOCRATES [g]) variis locis egit, qui & ſymptomaticas non reticuit. Præterea is, quibus dolores præcordiorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum accidunt, eos ſanguine per alvum egeſto ſervari, non autem egeſto mori edixit. [h]) Interim poſt eardialgias diuturnas, ingentem copiam ſanguinis absque ullo dolore per alvum excretam vidit laudatus van SWIETEN, [i]) brevi autem ſecutam ſummam debilitatem, ſyncopen, & mortem. Facile clarum eſt, diſcrimen hoc a leni dilatatione apicum arterioſorum, & a ruptura majorum vaſorum viſcerumque conditione pendere. Aliquando Quartanariis, viſcerumque obſtructione & labe laborantibus diarrhœa cruenta evenit, hos vero nil juvat, ſed ſonticam ſui cauſam indicat.

f) *Comment. Tom. II. aph. 719. p. 374.*

g) *allegat ea de Gorter in Comp. Med. II. p. 173. criticam diarrhœam cruentam habet Rhodius Cent. II. obſ. 25.*

h) *Coac. Prænot. No. II. circa finem.*

i) *loc. cit.*

Ut tandem ad Praxin perveniam, ante omnia ſponte patere reor, illam diarrhœam cruentam, non curandam eſſe, quæ a plenitudine pendet, aliusque ſolemnis ſuppreſſæ eſt vicaria, ſed illam ſaltem, quæ accuratius dijudicata nihil emolumenti homini promittit, ſed potius damnoſa futura cenſetur. Pro tali igitur ſiſtenda anodyna & abdominis ſu-

k) *Syſt. Med. Tom. II. p. 112.* ſtentationem laudat de GORTER, [k]) adſtringentia rejiciens, quippe quæ vas apertum non attingant. Si major impetus peccaverit VSem, ſi tenuitas ſanguinis aut colliquatio antiſeptica leniter adſtringentia commendat. Quod opium concernit, eadem omnia in hac hæmorrhagia inteſtinorum conſideranda erunt, quæ in ſuperioribus Sect. II. c. 1. de ejus uſu in hæmorrhagiis in genere monui. Quia hæc nullis ſpaſmis dolorificis ſtipatur, quia nullus in parte affecta, inteſtinorum interna ſuperficie adeſt ſtimulus morboſus, qui ſanguinis humorumque affluxum huc alliceret, ut in dyſenteria, per ibi demonſtrata locum nullum habere poteſt Opium. Forte hoc fuit in illo apparatu remediorum, quæ ſine fructu exhibita fuerunt Ægro, quem habet Simon PAVLI, [l]) antequam a cive Haffnienſi pulmento ex fabis, & lacte curaretur. Si hoc incraſſans pharmacum juvit, quia juvare non aliter potuit, quam minutula oſtiola in interna inteſtinorum ſuperficie nimis patula glutinando, juvabunt etiam ubi coarctatione eorum vere opus eſt, quævis adſtringentia. Matronam quæ ſanguinem multum per alvum perdiderat, longeque puriorem & floridiorem illo quem interdum dolentibus prius vaſis hæmorrhoidalibus per has ipſas vias excernere ſolebat, ſanavit RIDLINVS [m]) inteſtina tenuia affecta judicans croco martis adſtringente, qui non ſolum fluxum ſanguinis inhibuit ſed & cachexiam imminentem avertit. Ego bis in ſimilibus caſibus magna fiducia & cum fructu exhibui decoctum corticis, & aquas ſpadanas cum lacte, quæ remedia chronicas, aliorum remotiorum a primo contactu remedii, viſcerum hæmorrhagias ſedare, haud raro obſervavi. Atque hæc corroborantia unice juvabunt, ſi dilatatio vaſorum hepaticorum ac pancreaticorum, laxitasque utriusque viſceris, ad quod pertinent, in culpa fuerit. Obſtructio alterutrius, quæ circulum turbando hæmorrhagiam per alvum ciet, aperientibus aquisque potiſſimum mineralibus bene ſelectis indigebit.

l) *Quadrip. Botan. p. 30.*

m) *Cur. med. No. 401.*

Labem

Labem autem ipſius parenchymatis, majoris momenti, cum febricula lenta, vix quicquam tollet, ſed antiſepticis blandis, & lactea diæta mitigato malo, quantum fieri poteſt ad tempus vita ægri prorogabitur. Rupta vaſa majora nulla ars facile conſolidabit, confertimque & cum grumis erumpenti cruori, obicem incaſſum ponere laborabit Medicorum ſagaciſſimus.

Obiter noto adhuc, diarrhœam cruentam Variolarum, quam poſt AVICENNAM [n]) SYDENHAMVS [o]) cum aliis pro ſymptomate habet, quo pejus vix datur, rarius medelam admittere ſanguine a morbi vi quaſi liquefacto. Teſtantur tamen Medici Edinburgenſes [p]) largius datum ſpiritum vitrioli profuiſſe, ipſumque oleum ejus; corticemque peruvianum & alumen cum ſanguinem cogant, interdum vitæ periculum avertiſſe refert MEAD. [q]) In Peſte dejectionem ſanguinis inſtantem mortem nullo remedio abigendam portendere, monuit DIEMERBROECK. [r])

n) *Tom. II. lib. 4. p. 73.*

o) *Operum p. 173.*

p) *Medic. Eſſay Tom. III. art. 2.*

q) *de Variolis c. 3. vide & Philoſophical Tranſactions Vol. XLIV. Part. II. No. 484.*

r) *de Peſte c. XV. No. 20.*

## §. XXVI.

*Diarrhœa atrabilaria.*

Ordo nunc dictat ut Diarrhœam atrabilariam conſiderationi ſubjiciam. De hac, qua ſanguis niger ſæpe inſtar picis liquefactæ excernitur, variis locis egit HIPPOCRATES. Dejectionem nigram ſponte prodeuntem cum & ſine febre peſſimam dicit Sect. IV. aph. 21. bilem atram ſurſum vel deorſum prodeuntem morbis quibusvis incipientibus, lethale, aph. 22. atque maxime in extenuatis eſſe declarat aph. 23. dyſenteriam tandem ſi ab atra bile inceperit lethale pronunciavit aph. 24. Interim tamen etiam ſanguinem nigrum deorſum dejectum bonum aſſerit, aph. 25. ut alia loca taceam. Hæc omnia ut accuratius intelligantur, penſitandum eſt, in Syſtemate Venæ Portarum, ob motum per varias mechanicas cauſas, etiam in ſanis lentum & impeditum, congeri non raro ſanguinem, ibidem ſtagnare, tenuiſſimam ejus partem diſſipari, ſicque illum tanto pertinacius incarcerari, atque diu interdum ibidem moras nectere, malumque

hypo-

hypochondriacum, & melancholiam ingenerare. Maxime autem hoc fit apud homines, quibus evacuationes ſanguineæ ſolemnes hæmorrhoides & menſes ſuppreſſæ ſunt. His ergo ſi accidat nigra dejectio, vel per hæmorrhoidalia vaſa vel & per meſenterica, ſæpe ſalubris eſt, hos morbos præcavet; talisque materies atrabilaria non nimia copia & ſine torminibus ejecta ipſis hypochondriacis & melancholicis magno ſolamini eſt, iisdemque plenariam ſanationem aliquando reddit. Longe aliter vero cum ægris agitur, quando longo aut acuto morbo ſunt extenuati, quando materies nimia copia excernitur, & quando ſimul moleſtiſſimæ intus roſiones & tormina complicantur, tum enim infauſtum valde omen præbet. Etenim in priore caſu materies atrabilaria viſcida licet, blanda tamen eſt, vaſaque licet diducta, ſalva ſunt & integra, viſcerumque compages illæſa. In poſteriore autem mora rodentem acrimoniam acquiſivit hæc materies, qua nerveos villos irritat, vaſa exedit, in ſua continuitate ſolvit, & viſcerum parenchyma deſtruit. Peſſimum ergo ejus characterem, & ſimul miſerum ſtatum ægri indicat ejus nigredo intenſa, ſplendor, tenacitas ſumma, hisque infauſtis qualitatibus ſocia acrimonia rodentiſſima, vel acidæ, (GALENO[a]) jam notante guſtu & odore talis, ita ut cum terra miſta ebulliat, & metalla rodat,) vel putridæ, vel auſteræ indolis. Atque talis ſanguis niger, ſplendens, corruptus ſi ſtabuletur in hepate, ex hypochondrii dextri dolore & tumore, ac colore ægri icterico, ibidem hærere colligendus, arrodit & exedit ejus vaſa, tandemque per choledochum ductum deſcendit in inteſtina, ſurſumque vel deorſum, vel utraque via ſimul, cum fœtore aliquando evacuatur. Nil igitur juvat ægrum excretio, namque Viſceris nobilis textus eſt deſtructus, a peſſimæ indolis materie, atque dum hæc tranſiens inteſtina arrodit, & exulcerat, omnemque alimentorum digeſtionem peſſundat, & cum chylo ægre confecto & impuro, omnibus humoribus denuo remiſce-

a) *de locis affectis lib. III. c. 7. vide & Prælect. Bœrhaavianas Halleri Tom. VI. p. 174. & van Swieten Comm. Tom. I. p. 84*

remiſcetur, vitæ multiplici ratione adverſatur, ſemperque mortem ante fores eſſe docet. Ex his quæ hactenus diſputavi jam conſtat, diarrhœam atrabilariam, niſi arte in hypochondriacis ægris, antea ſoluta ſaponaceis vel acidis vel alcalicis materie, melanagogis congruis ſtudio exhibitis, excitata fuerit a Medente, ſemper eſſe criticam, vel ſymptomaticam. Critica, quæ malo certe conſilio inhiberetur, adſtringentium & opiatorum omnium uſum ſevere interdicit, potiusque datis alvum ducentibus talibus, quæ indoli materiæ adverſantur, promovenda eſt. In uno ſaltem illo caſu, ſi nimia copia, nimioque impetu rueret ad inteſtina materies, interponi anodynum debet, ut egregie notavit de GORTER. [b]) Interdum etiam ubi ea aliquam jam acrimoniam acquiſivit dolorem inteſtinis infert, dum per eorum volumen movetur, qui ſi nimius fuerit, & blandiſſimis potionibus atque ejusmodi clyſmatibus non minuatur, Opium indicat, quemadmodum etiam, quando adeo arte mota eſt ejusmodi diarrhœa, in hypochondriacis ſub his conditionibus, ægris pauxillum opii non denegandum eſſe dicit Cl. RICHTERVS. [c]) Parum vero aut nil prorſus ſolaminis, in ſymptomatica diarrhœa torminibus intenſiſſimis ſtipata ab Opio expectandum. Ad magnum quippe corruptionis gradum quando devenit materies, vidit Ægros de GORTER, [d]) in quibus nec per narcotica compeſcere dolorem, nec per adſtringentia evacuationem cohibere potuit. Certiſſime nempe illos ſupervenientibus ſudoribus frigidis, deliriis, convulſionibus, atque proſtratione virium & anxietate ſummis, atræ bilis miniſterio atra dies aufert, quod & mihi videre triſti ſpectaculo plus ſimplici vice contigit.

b) *Syſt. Med. Tom. II p. 114. §. 6.*

c) *diſſ. de Morbo hypoch. §. XI.*

d) *Med. Hipp. lib. IV. aph. 22. p. 406.*

## §. XXVII.

*Diarrhœa purulenta & ulceroſa.*

Miſſa diarrhœa atrabilaria, converto me ad purulentam, ulceroſam & ſanioſam. Pus & ſanies quando per alvum cum excrementis excernuntur, aut geneſin ſuam habent in inteſtinis ipſis, aut ex aliis locis corporis in inteſti-

norum caveam defluxerunt. In inteſtinis per quamcunque cauſam nata inflammatio, niſi ſolvatur intra triduum, poterit tranſire in abſceſſum, qui ſi rumpatur, pusque ſuum fundat in eorum cavum, facit diarrhœam purulentam. Mala hæc dicitur ab HIPPOCRATE,[a]) nec præter rem, namque in gyris & cavernis inteſtinorum ſæpe latet difficulter & plane haud ſanabile ulcus. Nititur interim hujus diarrhœæ ſanatio, medela ipſius abſceſſus & ulceris, quæ tenuiſſimo victu, aquis medicatis, lacte, ſero lactis, decoctis vulnerariis, mellitis, lenioribusque balſamicis admiſtis, interdum obtinetur, ſi ulceris ambitus haud nimis magnus fuerit, nec viam ſibi in cavum abdominis paraverit, aut abſorptæ ſordes omnes humores inquinaverint, & febrem hecticam ſic excluſerint. Nil boni autem hic facit opium, etiamſi a doloribus intercurrentibus indicari videatur, quod alvum occludendo puris exitum remoratur, ejusque abſorptioni favet. Decocta mollia, lenientia, potus & clyſmatum forma injecta, ſenſibilitati inteſtinorum demulcendæ melius & felicius deſtinantur. Non raro autem generatur abſceſſus inteſtinorum a prægreſſa dyſenteria, quam ſi longa fuerit & pertinax, dirisque doloribus ſtipata, inflammatio ſemper comitatur. Pus ergo quando ea prægreſſa per alvum cum excrementis deponitur, ulcus abſtergendum eſt, & conſolidandum, totaque humorum maſſa contra infectionem alimentis & remediis antipyeticis munienda. Nullo reſpectu ad implendas has indicationes facit Opium, quod ſoli dolores ab irritatione nervulorum & exeſa ſubſtantia inteſtinorum nati palliativo fine poterant flagitare; horumque intuitu veſpertinum præbium interdum exhiberi ſolet a Medentibus.[b]) Memini tamen me ipſum Juvenem dyſentericum, ab ulcere ſuperſtite quod tabem minabatur, fuiſſe ſanatum a Celeb. noſtro de HELWICH lacte & conſerva Roſarum cum pauculo balſ. de Mecha remixta, ſine Opio. Medicus poſtea ipſe cum doctiſſimo quodam Collega ſanavi ſpectabilem e noſtratibus

a) *in Prænot. Coac. No. 608.*

b) *vide Miſc. N. C. Dec. II. Ao. VII. obſ. xii.*

tibus Mercatorem, qui poſt graviſſimam dyſenteriam quæ uſum Opii largiorem extorſerat, quotidie cum excrementis per bene longum tempus notabilem puris copiam excernebat absque ullo anodyno. Suaſimus infuſum vulnerarium cum lacte & ſyr. balſ. peruv. clyſmata ſimilia admiſto Vitell. Ovorum melle & terebinthina, & tandem decoctum Corticis peruv. cum melle roſarum, & oleo myrrhæ per deliquium, victumque vegetabilem tenuem injunximus. Verum eheu vix unquam medelam ſperare licet, ſi latitans cancroſum ulcus ſaniem ſuam rodentiſſimam effundat alvoque exire faciat; miſeraque in triſtiſſimo hoc ſtatu prognoſis formari debet.

Ad diarrhœam purulentam etiam referri debet profluxus puris, & ſaniei, cum teneſmo ex ulcere vel fiſtula inteſtini recti, a ſtaſi ſanguinis hæmorrhoidalis enata. Tale malum deſcribunt RIVERIVS,[c] RIDLINVS[d] & KLAVNIGIVS[e] noſter, quantasque ærumnas inde pati per menſes bene multos debuerit ſpectabilis mihique amiciſſimus Mercator Hirſchbergenſis, fruſtra ut ſanaretur ad me & dexterrimum aliquem Chirurgum Vratiſlaviam veniens, mœrens & dolens expertus ſum, donec tandem inteſtino recto omni calloſo, vitioque ſurſum ſerpente, macie partium ſuperiorum confectus, inferioribus œdemate adfectis, Hirſchbergam iterum delatus fatis cederet.

Hactenus de ſcaturigine puris & ſaniei latitante in inteſtinis ipſis, verum & aliunde adveniens in inteſtina deponi poteſt. Referunt Miſcellanea Nat. Cur.[f] tumorem in coxa, quem Chirurgus aperire meditabatur, nocte autem operationem decretam præeunte, purulenta materies aliquot dejectionibus per alvum excernebatur, & tumor omnis diſparebat. Ita quoque poſt læſionem ab exploſione globuli plumbei, nato in cubitu abſceſſu, cum diffractione oſſis, vidit diarrhœam largam purulentam BELLOST[g] ejusque beneficio difficile malum potuit ſanari. Similia & mihi

c) *Cent. II. obſ. 40.*

d) *lin. med. Ao. II. Maj. obſ. 22.*

e) *Noſoc. Charit. p. 68.*

f) *Dec. II. Ao. II. p. 82.*

g) *Chirurgien d'Hopital Part. III. c. 15.*

mihi obſervare contigit. Conſpexi in Duce legionario Auſtriaco 70. annorum cui in prælio ante mœnia noſtra habito, globus tormentarius os humeri ſub capite diffregerat magnam quotidie quantitatem puris, quæ reſorpta aliquoties diarrhœa excernebatur, oſſe tandem multis feſtucis ſecedentibus feliciter curato. Ut vero a partibus externis corporis, ita tanto magis, tantoque facilius ab internis Viſceribus, reſorptum pus quandoque alvino fluori materiem præbet. Ita pulmones abſceſſu, vomicis, ulceribus laborantes in pthiſicis, pleuriticis, peripneumonicis, neque minus collectiones puris empyemate thoracis afflictorum, diarrhœæ purulentæ anſam præbere ſolent. Fere ſemper autem hæ mali ſunt ominis. Alvus turbata in pleuritico, aut peripneumonico aut ſuppurato, ſecundum HIPPOCRATEM [h]) malum. Phthiſicis ſi alvus turbetur actum eſſe dicit ARETAEVS. [i]) Vidit equidem MEIBOMIVS [k]) purulentis dejectionibus ex Vomica deſperatos convaluiſſe. Rara interim ſunt exempla, GORTERO [l]) monitore, pleuriticos, phthiſicos, empyematicos, per alvum cum levamine evacuaſſe pus. In his caſibus Opium fontem non attingit, aliquid interdum facit ad mortem procraſtinandam, ut alibi dicam.

Sed omnium frequentiſſime ſcaturigo diarrhœarum purulentarum latitat in viſceribus infra ſeptum transverſum, in vicinia inteſtinorum conſitis, & in hepate potiſſimum, ac Meſenterio. Hepar quod atttinet, ſi ſtagnatione humorum non in ambitu & ſuperficie ejus, ſed profundius in parenchymate prægreſſa, pus generetur, quod docente HOFFMANNO, [m]) non ſemper inflammationem veram prægreſſam ſupponit, id nunquam laudabile erit, quia multa bilis per ſuam naturam facile in putredinem vergens, ſanguinem quieſcentem, potius in ſaniem putridam, aut amurcam HIPPOCRATI [n]) vocatam convertit. Eapropter vomicæ, abſceſſus, & ulcera hepatis, etiamſi pus ablegent per ductum

h) *lib. I. de Morb. No. VI.*

i) *de Cauſis affect. diutur. c. 8.*

k) *de Abſceſſibus p. 104.*

l) *Comp. Med. Part. II. Tr. XC. §. 35.*

m) *diſſ. de Morb. Hepatis ex Anatomia deducendis §. 18.*

n) *Sect. VII. aph. 45.*

ctum choledochum, alvi fluore eliminandum, raro valde, & vix unquam boni quid ſperare ſinunt, ſed colliquatione humorum tabem, & hydropem poſt ſe trahunt; extrorſum vergentibus a ſuperficie jecinoris abſceſſubus per teſtimonia HIPPOCRATIS,[o]) ARETAEI,[p]) BONTII,[q]) HOFFMANNI,[r]) SAVIARDI,[s]) interdum, ſi pus album & purum effluat, ſanabilibus. Sed hic pus hæſit, in tunica ſaltem ut HIPPOCRATES, vel inter membranam cingentem hoc viſcus, & ipſius carnem, ut BONTIVS loquitur, qui ſi parenchyma ſeu ſubſtantia ipſa hepatis occupetur, incurabile malum eſſe dicit. Valde notanter ſcripſit LOMMIVS,[t]) Ulcus ſi in jecinore relinquitur, nunquam ſaneſcit, hominemque extenuatum conſumit, tum alvus putrida eſt & ſanioſa, & nonnunquam ſubcruenta, ac ſi ex cadavere eſſet facta colliquatio. De tali rerum conditione quoque pronunciat BOERHAAVIVS,[u]) quod eo uſque provecta, nullam medelam, vix palliationem capiat, ſed fœtentiſſima diarrhœa, quam miſerabilia ſymptomata, anxietas ſumma, ſitis inexplebilis, ac virium indicibilis proſtratio comitantur, ad mortem perduret. In cadavere hominis hepatis abſceſſu cum diarrhœa putrida demortui, hepate corpore delicti inciſo, quod totum quaſi in utrem putredinoſa ſanie repletum abierat, hanc, illi quæ defluens per bilioſa vaſa cum excrementis excluſa fuerat, tanquam ovum ovo ſimilem invenit, noſter KLAVNIGIVS.[x]) Atque hæc certe nec acidis antiſepticis, nec diluentibus demulcentibusque mitigatur, nec Opio auſcultat, quod ſuppreſſo ad tempus fluxu ſi ſupprimi ſeſe patiatur, omnia reliqua mala deteriora efficit, quare niſi dolores ſummi ut aliquando evenit urgerent, ego quidem in malis ſimilibus vix ad illud confugere ſolitus fui. Interdum tamen licet verum pus & ſanies ejiciatur, dejectionum frequentia pauxillum opii circa veſperam extorquet, ut in Mercatore quodam cui dum hoc ſcribo, gratis medicinam facio, morte ſemper propius adrepente.

o) *lib. VII. aph. 45.*
p) *lib. I. c. 13. de cauſis morb. diuturn.*
q) *de Med. Ind. c. 8.*
r) *diſſ. de Morb. hep. ex anat. §. 18.*
s) *Obſervat. chirurg. 39. 40. 41.*
t) *Obſ. medic. p. 189.*
u) *aph. 938.*
x) *Noſocom. Charit. obſ. 31.*

Ut vero ex ſtaſi vel inflammatoria, vel ſimplici, abſceſſus, vomica, & ulcus, in hepar cadunt, ita ſi id ſcirrhoſum antea fuerit, inflammatione ſuperveniente, cancroſam indolem induit, tumque humor acerrimus, ichoroſus, & ſanioſus, cancroſæ corruptioni proprius, inteſtina rodens & excorians, cum ſummo dolore per inteſtina profunditur, hæcque fluxio miſerabile ſolamen ab Opio adipiſcitur, malo exiſtente immedicabili.

De pancreatis & lienis abſceſſubus [y]) ab antiquis & recentioribus Autoribus notatis ſuumque pus in inteſtina effundentibus, multa dicere non intereſt, neque de pancreatis cancro & inde pendente diarrhœa ſanioſa, cum mala hæc raro vel nunquam ſolidam medelam admittant, opioque tantum non pallientur. Sed mitiora fata interdum manent illos, in quorum meſenterio ex quacunque cauſa generatus abſceſſus eſt, ſi is ſat cito rumpatur, atque pus ſuum benignius & album nondum mora attenuatum & acre factum, inteſtinis infundat, atque hoc per ea naturali via effluat, namque ſanie diutius ſtillante ſordidum fit ulcus, quod difficulter ſanatur. De his abſceſſubus FERNELIVS [z]) præcipue, SENNERTVS [a]) & MEIBOMIVS [b]) legi merentur. Valde autem diſpoſitum eſſe Meſenterium ad ſuppurationes concipiendas egregie probat HOFFMANNVS, [c]) atque inter ſigna ibidem formatorum abſceſſuum, ſanioſæ materiæ per alvum, cum ardore & dolore inteſtinorum fientem excretionem, refert. Incipiente morbo ſaniem rubram, orto vero abſceſſu pus album permiſtum excrementis, interdum etiam ſincerum defluens, habet LOMMIVS. [d]) Id excerni omnino bonum eſt, ſique non latius ſerpat malum, atque abſorptum e loco affecto pus humorum maſſam non inquinet, ſanationem ſperare licet. At illam is minime juvaret, qui opiatis vel aliis remediis fluxum ſupprimere moliretur, ſed lupum ſtabulo includeret, cujus potius exitus maturandus eſt. Optime & huc trahi debent,

y) *Meibom. de abſceſſ. p. 67. Aretæus lib. I. de morb. diut. c. 14.*

z) *lib. VI. Pathol. c. 7. & 10.*

a) *Med. Pract. lib. III. Part. III. c. 5.*

b) *de Abſceſſ. p. 61-65.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. II. c. 13. p. 556 ſeq.*

d) *Obſerv. med. p. 178. 179.*

quæ

quæ de curatione ulceris jecinoris, & puris effuſionis ab eo ſcripſit ARETAEVS [e]) ſi per inteſtina pus educere malis, tibi lac eductorium eſto, præcipue quidem aſinæ, vel capræ, aut ovis. Solo ſero lactis & infuſo herbarum vulnerariarum, ejusmodi diarrhœam, quæ jam per tres menſes duraverat, felix curavit HOFFMANNVS. [f]) Ego in ejusmodi caſu aquas ſelteranas cum lacte, & pauxillum balſ. peruv., cum melle quotidie ſumtum, victumque vegetabilem, & equitationem profuiſſe novi. Ex his omnibus patet, pulchre ſcripſiſſe Cl. de GORTER, [g]) diarrhœam quæ fit a pure, putredine, corruptione, neque ſiſtendam, neque augendam eſſe, ſed curato, aut levato morbo præcipuo, minuendam.

e) *de Curat. diut. lib. I. c. 13.*

f) *loc. cit. p. 580.*

g) *Syſt. Pr. Med. Tom. II. p. 112. §. 8.*

## §. XXVIII.

*Diarrhœa colliquativa.*

Prona via deducor ad diarrhœam colliquativam. Non autem hic intelligo diarrhœam diuturnitate aut largioribus excretionibus brevi temporis ſpatio evenientibus, omnem humorum penum emungentem, vires proſternentem, nutritionem peſſundantem, maciemque homini inferentem, licet talem quandoque Medici colliquativam vocent, & curaviſſe glorientur. Vera diarrhœa colliquativa fundamentum ſuum habet in præcedente purulenta, ulceroſa, ſanioſa, putrida. Simulac enim ejusmodi materies ubicunque in corpore hærens, abſorbetur venulis bibulis & liquidis omnibus immiſcetur, hæc ab ea ſolvuntur in tenue acre ichoroſum, ſanioſum, fœtidum liquamen. Sic nempe & naturalis glutinoſitas albuminis ovorum perit, hocque ipſum totum in tenue fœtensque liquidum abit, quando tantillum putridi ſub teſta hæret. Ruunt ergo ita diſſoluti humores omnes ut aliquando in tubulos cutaneos laxos & debiles, ita & in extremos apices ramorum arteriæ cœliacæ & arteriarum meſentericarum, minus reſiſtentes, atque per oſcula ipſorum depluunt in cavum inteſtinorum, ſicque generata diarrhœa recte colliquativa audit. In hujus curatione

omnino

omnino reſpicienda eſt cauſa colliquationis humorum, quæ quia in phthiſicis hecticis hydropicis conſummatis, quibus tandem a ſtagnatione putrida diatheſis humorum oritur, ſphaceloque laborantibus, ordinarie omnem artis potentiam excedit, ipſa etiam his ægris ſuperveniens diarrhœa colliquativa curari nequit. Atque hi ægri ſunt illi, de quibus dicit BAGLIVUS, [a]) quod nonnulli in morbis chronicis ut phthiſi, paulo ante mortem corripiantur ſtimulo fæces ejiciendi, & quod multi in ipſo actu ejiciendarum fæcum moriantur. Licet vero ejusmodi alvi dejectiones abſolute ſint immedicabiles, dum interim Medico incumbit, ut ægri ſui vitam etiam miſerabilem quantum poteſt, extendat, certamque mortem procraſtinet, etiam in his caſibus eo allaborare debet; quod ipſum an & quousque fieri queat Opii beneficio, diſquiram tractatione inſecutura de Phthiſi, cui diarrhœa colliquativa præcipue eſt familiaris.

Ad diarrhœam colliquativam non ſine ratione etiam referri poteſt illa, quæ poſt uſum remediorum mercurialium evenire ſolet. Scilicet Mercurius & ex eo parata pharmaca, oceanum humorum ſi ingrediantur, ut inter alios egregie demonſtrarunt THOMSON, [b]) & ASTRUC, [c]) ea dote pollent, ut globulos rubros & ſeroſos diſſolvant, & liquent, omniaque corporis fluida in laticem tenuem fœtidumque convertant. Hic ordinarie per glandulas ſalivales male olente anima, exitum molitur, verum alio tempore, etiam mota pancreatis & glandularum inteſtinalium ſalivatione, diarrhœam ciet. Diarrhœa talis naſcitur ſæpe, quando in curatione fœdæ ſiphylidis ptyaliſmum mercurialium uſu movere laborans Medicus nimis cito repetitis, nimisque auctis quandoque doſibus peccat, regimenque juſtum Ægro haud injungit. Tum autem veræ felicique medelæ maximopere contrariatur ejusmodi alvi fluxus. Etenim nondum orta aut incipiente ſalivatione, humores aliorſum determinando ejus exoptatum ſucceſſum interturbat, luemque non ſanat, niſi

a) *Operum p. 108.*

b) *diſſ. de Mercurio.*

c) *de morbis venereis. vide & Cel. Hundertmark librum de Mercurio paſſim.*

niſi levioris notæ fuerit, ſi vero liquatis jam ſatis humoribus profuſior fiat, ſerum acre quod linguam, gingivas, & fauces arrodit, ad inteſtina ruens ſenſibilibus valde membranis graviſſima tormina infert, vaſcula exedit, ſicque graviſſima ſæpe mala inducit. In ejusmodi rerum ſtatu, cum potulentis clyſmatibusque emollientiſſimis & demulcentiſſimis, in uſum vocatum opium princeps certe & unicum eſt remedium. Id vel ex eo patet, quod non defuerint Practici, qui ut alvi fluxum, qui a datis mercurialibus evenire ipſis invitis poterat, præcaverent, veſperi aliquid theriacæ, diaſcordii, aut cujusvis opiati exhibere ſoliti ſunt, cum talia ſucceſſui proſpero ipſius ptyaliſmi nil detrahant. Ipſe olim PARACELSVS [d]) Turpetho ſuo minerali theriacam adjiciebat, nullumque aliud mercuriale pharmacum ſine hujus comitatu propinari debere aſſerebat. Ejusmodi ergo cautelis omiſſis aut inſuper habitis, tanto magis ſi loco deſideratæ ſalivationis diarrhœa oboriatur, ad anodyna confugiendum erit. Si vis Mercurii ruat ad alvum, opus eſſe opiato & diaphoretico edixit BOERHAAVIVS, [e]) cui adſtipulatus Cl. ASTRVC [f]) unam curationis rationem eſſe contendit remedia anodyna & paregorica qualicunque via adhibere, quæ humorum defluentium acrimoniam demulcere valeant, & partium ſolidarum erethiſmum compeſcere, quare præmiſſa VSe, lac, oleum amygdalarum, & diaſcordium, commendat una cum clyſmatibus demulcentibus quibus philonium romanum addit. Non minus Fr. HOFFMANNVS [g]) ſi mercurialia pro ſalivatione cienda propinata, dolores inteſtinorum admodum feroces excitent, protinus danda eſſe theriacalia, ut theriacæ cœl. aliquot grana, cum emulſione amygdalarum dulcium & ſyr. diacodii monet. Scripſerat etiam inſignis BOHNIVS, [h]) degenerante ſalivatione in alvi fluxum, virulentiæ venereæ non adeo congruum, ægro veſperi theriacam, diaſcordium, vel aliud opiatum exhibendum eſſe, & inteſtina contra eroſionem defen-

d) *Vid. ejus Parvum Noſocomium.*

e) *aph. 1474.*

f) *de Morb. Vener. lib. IV. c. VIII. p. 410. 411.*

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. V. c. 4. p. 166.*

h) *de Offic. Medici dupl. Part. I. c. 15. p. 300.*

denda clyſteribus, ex lacte, ſevo cervino, oleo lini &c. Inter recentiores YOUNG teneſmum quem mercurius cauſatur, & diarrhœam, vel & dyſenteriam ſub ſalivatione, egregie levare opium profitetur. Atque tanto majori in pretio talibus in caſibus habendum eſt hoc pharmacum, quo in majori periculo vitæ tum æger verſatur, quod tamen illud ſæpe feliciter avertit. Sub ipſa nempe diarrhœa inter moleſtiſſimum teneſmum, inter atrocia tormina, & animi deliquia, aliquando, maxime ſi ſimul ſanguis prodeat, ægros mori teſtatur BOERHAAVIUS, [i]) atque experientia loquitur. Si enim tum non cito ſatis impetus ab inteſtinis revocetur, inteſtina debilia vim ejus ſuſtinere non poſſe dicit. Neque tamen aliud remedium aptius ſuppeditare novit, quam Opium, cum potu lacteo, & ex emollientibus ſpeciebus parato, ac clyſmata talia, theriaca impraegnata. Ceſſant nimirum in hiſce rerum anguſtiis mercurialia agere ut remedia, agere incipiunt, & pergunt ut vera venena. Nullum autem mercuriali veneno opponi poteſt convenientius antidotum, quam cum emollientibus Opium, ut alibi adhuc fuſius ediſſeram.

i) *in Comment. ad aph. 1474.*

## §. XXIX.

*Diarrhœa a retropulſa materie acri.*

Reſtat Diarrhœa a retropulſa vel retrocedente arthritide, podagra, rhevmatiſmo, ſcabie, materia exanthematica, ulceroſa. Materies arthritica aliquando in corporibus robuſtioribus a Natura per alvum excernitur, taliſque diarrhœa paroxyſmos arthriticos antevertens ſalutaris eſſe reperitur, quare præcipue ſi modum non excedat, neutiquam ſiſtenda eſt. Quodſi vero homini qui arthritidi ſubjectus eſt, ex perverſa diæta, collectæ fuerint in inteſtinis ſordes, indeque oborta fuerit diarrhœa, hæc ſi per blandam catharſin remotis ſordibus non ſileat, & effuſior reddatur, theriaca & diaſcordio componi poteſt, & debet, ne materies arthritica oberrans in oceano humorum, ſuoque tempore ad exteriora ableganda, perperam ad interiora trahatur. Ubi ſub ipſo paroxyſmo

roxyſmo diarrhœa evenit, dolore externarum partium ceſſante, rubore diſparente, tumore ſubſidente, præter alia quæ ad habitum corporis humores determinant Opiata conveniunt, & proſunt, cum hæc ad exteriora liquida propellant, materiemque retrocedentem ad loca debita promoveant. Sed de his omnibus legi meretur MVSGRAVE [a]) de *arthritide anomala.*

a) *c. IV.*

## §. XXX.

*Diarrhœa febrium multiplex.*

Superſunt adhuc Diarrhœæ febrium acutarum, quæ harum decurſui a principio ad finem ſeſe adjungentes communi diſtinctione Practicorum, in ſymptomaticas & criticas diſpeſci ſolent. Sed addendas iis eſſe putat ſpontaneas, neque immerito certe, Clariſſimus apud Lipſienſes Profeſſor LVDWIGIVS diſſertatione docta *de diarrhœa in febribus acutis.* Hæ ex mente ejus oriuntur a collectis jam ante incurſum febris in laxo inteſtinorum volumine varii generis ſordibus, impetu febrili vigente commotis, quarum tamen excluſio tandem obortura erat, licet nulla adfuiſſet febris. Tales diarrhœas ſpontaneas obſervari ait in initio & progreſſu morbi, eaque propter cum ſymptomaticæ iisdem temporibus eveniant, illas ab his ſaltem diſpeſcendas eſſe monet, quod priores facilis morbi progreſſus ſine malorum augmento comitetur, cum ſymptomaticæ morbum certo exaſperent. Valde utiles eſſe rebus ægri, has diarrhœas ſpontaneas, vel ex eo clarum eſt, quod ubi ſordes in primis viis ſtabulantes certis notis præſentiam ſuam manifeſtant, in ipſo principio febris purgatione artificiali opus ſit, natura eandem haud moliente. Id ipſum eleganter variis locis ex HIPPOCRATE adductis monſtrat Cl. LAMBSMA, [a]) alvum duci, ubi febres ſunt, oportere monens, ſi nauſea eſt, atque cibi faſtidium, ſi lingua ſordibus obſeſſa, ſi oris ventriculi morſus, ſi anxietates, ſi in ſtomachum telioſa quædam concurrunt, vel etiam pituita eo ſe confert, ſi præcordia tument, ſi in imo ventre dolores ſunt, ſi caput grave eſt, ſi oculi caligant,

a) *Ventris fluxus multiplex c. 14. p. 166. 167.*

 atque

atque dum hæc mala accidentia febribus vires addunt, ſi dejectiones cieantur, & materia turgens ejiciatur, febres facilius decurrere & abſque vehemente perturbatione judicari aſſerit.

*ſymptomatica,*

Symptomaticas autem febrium diarrhœas Medici vocant illas, quando febrilis materies vel adhuc cruda, vel ſemicocta, vel jam corrupta, & in indolem peſſimam vitæ infeſtam motu & calore mutata ad inteſtina ruit, in quibus ſua mole & acri ſtimulo diarrhœam movet; aut quando ex corruptis viſceribus materia bilioſa, purulenta, ichoroſa, in canalem alimentarium depluens alvo eliminatur. Ejusmodi diarrhœa initio & ſub augmento morbi, ſubito ſolet invadere, & ſymptomata alia moleſtiſſima in inteſtinis, & in toto corpore concitare, atque non cocta ſed cruda ejicere, quæ quomodo comparata ſint optime docet HIPPOCRATES. [b]) *Valde aquoſum* inquit, *aut album, aut ex viridi flaveſcens, aut vehementer rubrum, aut ſpumoſum dejicere, mala hæc omnia: Malum quoque eſt, & exiguum & glutinoſum, & album & ſubpallidum & læve. His autem magis lethalia fuerint nigra aut pinguia, aut livida, aut æruginoſa, aut mali odoris.* Omnia hæc fuſius explicat PROSPER ALPINUS [c]) *de præſagienda vita & morte ægrorum.*

b) *in Progn. Charter. Tom. VIII. p. 629. 630.*

c) *Lib. VII. c. XI.*

*critica.*

Criticæ tandem Diarrhœæ (quas adfuturas certo indicio docere pulſum intermittentem, aſſerit Cl. NIHELL, [d]) ) evenire ſolent, abſoluta coctione materiæ aſſimilari ſanis, & fluere aptis humoribus, nequeuntis, ita tamen præparatæ, ut per varia colatoria corporis, ſine inſigni moleſtia, atque multo magis ſine noxa ipſis illata, tranſire queat. Fiunt autem criticæ evacuationes eapropter maxime per alvum, quia poſt corticem corporis inteſtinorum volumen ampliorem habet ſuperficiem, quam alia colatoria, atque quoniam etiam ſecundum naturam ſordes variæ quæ œconomiæ animali oneri futuræ erant, alvo excernuntur. Dignoſcitur ejusmodi criticus alvi fluxus a ſymptomatico, excretione humorum coctorum juſto tempore eveniente, id eſt diebus criticis, poſt

d) *Obſerv. circa criſium prædictionem ex pulſu p. 5. 6. 25.*

ſtatum

ſtatum febris, & abſolutam coctionem, facili tolerantia, & bono effectu, dum pulſum remiſſiorem facit, certumque levamen ſymptomatum adfert, ac omnem morbum mitiorem reddit. Critica igitur diarrhœa, dum ea coctum per ſyſtema vaſorum meſentericum deponit ad inteſtina, tollitur in febribus illud, quod vel cauſam præbuerat febri, vel motu febris degenerarat a naturali dote, atque a ſanitatis legibus ſic receſſerat, ut humoribus absque functionum læſione immiſtum permanere non poſſet. Atque tali diarrhœa critica, multæ certe febres acutæ continuæ & ſolvi poſſunt, & ſolvi ſolent, Practicis obſervationibus innumeris teſtibus. Paſſim HIPPOCRATES ſolutarum per alvum febrium meminit, atque inter recentiores FERNELIVS [e]) omnibus cricitis evacuationibus in febribus alvi ſolutionem præfert. *Ea ſola* inquit, *putridam febris materiam perfecta jam coctione præparatam prorſus excludere poteſt, atque viſcera & majores venas ſordida illuvie obſeſſas citra virium & naturæ jacturam ac offenſionem expedire.* Bene novi ut alios, ita & Cl. MEAD [f]) ſudoribus pro optima criſi habitis, alvi & urinæ fluxum ſubjungere. Certiſſimum interim eſt, ſynochas multas & bilioſas, ac ardentes febres, criticis diebus ſolvi fluxu alvi; in phrenitide & angina ſæpe alvi fluor bonus; peripneumonia, pleuritis hepatitis alvi fluxu bilioſo ante quartum diem non raro levatur. Inteſtinorum inflammatio dyſenteria blanda ſubcruenta judicari ſolet. In febre catarrhali benigna, in febribus meſentericis, in malignis, in purpurata febre, in morbillis, in variolis diarrhœa ſæpe eſt critica, neque opus eſt ut Autorum Veterum recentiorumque teſtimoniis adſcribendis tempus abſumam. Sollicite itaque in his morbis omnibus cavendum eſt, ne minus opportuna & damnoſa cohibitione turbetur ejusmodi evacuatio critica, felicem finem morbo impoſitura, niſi forte exceſſiva ſit, quod tamen rarius accidit. Interim ſi fluxus vere fuerit nimius, & vires deſtruat, permittunt Auctores, & inter eos SENNERTVS [g]) ad Hippocratis apho-

e) *Method. med.* 70. *Method. cur. febr.* p. 298.

f) *Monit. med.* p. 11. 12.

g) *Lib. III. p.* 307.

aphoriſmum 2. Sect. I. provocans ut abſtergentibus præmiſſis (quæ & locum habent, ſi Natura criſin movens motui haud ſufficiat) fluxus ſiſtatur, cui fini tamen tonica & adſtringentia ſaltem dicat, de opiatis tacens. Dejectiones has in febribus, etiam, licet nimiæ videantur, per adſtringentia opiata & narcotica vi non comprimendas eſſe, ſed cortice caſcarillæ, abſorbentibus, ſuccino coercendas, vult HOFFMANNVS,[h]) quibus optimus Senex dimidium granum theriacæ cœleſtis adjici ſuadet. Eadem ratione Cl. LVDWIGIVS[i]) ſuppreſſionem vetans, ad debilitatem inteſtinorum ſuperſtitem ſaltem terrea, nitrum, martialia blanda, caſcarillam, corticem peruvianum, rheum laudat, & ſi ſpaſmi concurrant moderatam doſin Opii concedit. Speciatim vero in meſentericis febribus HEISTERVS,[k]) quas non ab affecto meſenterio, ſed a ſaburra in Ventriculo & inteſtinis ſtabulante deducit, & ſtomachicas eapropter ac inteſtinales vocat, quas diarrhœa fere comitari ſolet & ſolvere, quasque natura monſtrante viam cum BAGLIVO,[l]) & aliis Autoribus eapropter evacuantibus blandis curari vult, ſi iisdem diarrhœa ſalutaris ſuperveniat, ſaltem terrea, & rhei animam inque ſolo illo caſu diaſcordium exhiberi præcipit, quando fluxus nimis urget, & vires valde proſternuntur, ad propriam BAGLIVIque, tum & SYDENHAMI[m]) & BVRCHARTI[n]) experientiam provocans. Ipſe ego diu a BAGLIVO indolem harum febrium edoctus, magis decoctis avenaceis & hordeaceis id reddere ægro quod diarrhœa abſumſerat, & ſimul eluere inteſtina, quam dejectionem ipſam directe ſiſtere allaboravi, niſi ubi inter profuſam excretionem, & ingerendi opportunitatem, nulla obtineri poſſet proportio, & pulſus vacillare inciperet, quo in caſu utique ad Opium certiſſimum frænum confugiendum duxi.

h) *Med. Syſt. Tom. III. Sect. I. c. 13. p. 325.*

i) *diſſ. cit. §. 15.*

k) *Comp. Med. c. V. §. 25. 26.*

l) *de febribus meſentericis.*

m) *de novæ febr. ingreſſu.*

n) *de febribus meſentericis.*

De diarrhœa in febribus malignis ſalubri egi jam Sect. II. p. 186. dixique ibidem, me in ultima epidemia Vratiſlavienſi, cui tamen & prægreſſas addere poſſum, ſæpius obſervaviſſe

viſſe laxam alvum per totum morbum, & paulo effuſiorem circa dies criticos. Eam igitur directe ſimulque & ſemel ſtiti nunquam, vires depreſſas potius juſculis avenaceis cum ſucco citri & hauſtu vini rhenani, niſi delirium hoc vetaret, erigere molitus ſum, rarius diaſcordio vel aliis opiatis uſus, quibus tamen quando nimiæ erant dejectiones carere nequivi. Ab intempeſtiva terrarum bolarium, adſtringentiumque aliorum & theriacalium adhibitione, non paucos eo tempore inter deliria ſopores & convulſiones diem ſuum obiiſſe comperi. Citavi Sect. II. loco allegato PRINGLIVM, qui alvi fluxum verſus morbi finem viribus prorſus exhauſtis accedentem, licet criticus videri poſſet, Opio compeſci jubet, quo exhibito ſæpe ſudorem blandum ſalubrem inſecutum aſſerit. At hoc conſilium unice intelligendum eſt de diarrhœa effuſiore, non ſaltem bona criſi ſeparatas ab humoribus noxias quisquilias excerniente, ſed & reſidua pauca liquida vitam debilem ſuſtinentia emungente. Namque nunquam criſin turbare, idque quod tot moliminibus Naturæ & artis ſegregatum eſt, & congrua porta eliminatur, coërcere, retroagere in humorum oceanum, & ad colatorium cutaneum adigere licet, neque hoc fieri poteſt ſine metu novorum ſymptomatum. Diarrhœa vero quæ vere cohiberi vult, optime moto ſudore blando cohibetur, ut in antecedentibus monſtravi, & ad hunc finem optime conducit Opium ſolum vel aromaticis miſtum. Interim ſi adeo laudatum a PRINGLIO Vinum, pro remedio cardiaco efficiat, ut diarrhœa commode feratur, præſtabit abſtinuiſſe ab Opio, niſi illa ultra tempus conveniens excurrat, & vires vitæ nimis deprimat, quas ex pulſu exacte metiri ſagax Medicus non intermittet.

§. XXXI.

Hæc de diarrhœa critica febrium! pergo ad Symptomaticam, in qua quidem ſedanda ſi recte omnia expendantur, licet primo intuitu ita videatur, Opium eos fructus non ſemper edit, quales aliquis non ſatis expertus ſperaverit. *Medela ſymptomatica.*

Conſi-

Conſiderandum hic ante omnia eſt, priusquam de medela rite cogitari poteſt, tali diarrhœa ſi pergat, turbari criſin, quia vires vitæ enervat, quarum conſervatio ad coctionem ſumme neceſſaria eſt. Deinde perpendendum eſt, tenuiſſima liquida quæ profunduntur, ad attenuationem & coctionem ſtagnantis omni modo requiri. Tandem ſciri debet, id quod excernitur, ſi depoſitum hæſerit in canali alimentorum, crudum eſſe, & acrimonia ſui generis peccans, vel provenire ex humoribus motu & æſtu corruptis, adeoque ſi reprimatur excretio, id remeare in ſanguinem, viſceribusque quibus infertur certam noxam inducere. Hæc omnia ſi ut decet conjunctim adſpiciamus, facile clarum erit, certis reſpectubus diarrhœam ſymptomaticam ſibi ad tempus permittendam, certis vero reſpectubus etiam compeſcendam eſſe. Non ergo licebit cœco impetu ſtatim confugere ad Opium. Qui nullam cautelam juniori Medico, in curatione febrium acutarum inflammatoriarum obſervatu magis neceſſariam judicat, quam ut per omnem morbi decurſum ab Opio abſtineat, Cel. PRINGLIVS, [a]) tamen unam exceptionem facit, ſi febrem diarrhœa non critica comitetur, tum enim eam ſenſim per diaſcordium compeſcendam eſſe affirmat. Addit vero conditionem, ſi præmiſſum fuit rhabarbarum, humorumque determinatio remediorum diaphoreticorum omiſſo nitro, & decocti albi ope, impetrata fuit. Verum prolixius conditiones plures circa opii ſalubrem adhibitionem determinare conatus eſt Cel. LVDWIGIVS. [b]) Scilicet acrimoniæ motæ pro ſua indole ſpecifica antidota opponenda, iisque rhabarbari & opii pauxillum addendum vult, omnibus intentionibus ita ſimul ſatisfacturus; ab adſtringentibus autem dehortatur, pro ſpaſmis ſopiendis opium denuo laudat, ea ſaltem doſi, ut viribus vitæ non infractis motubus excretoriis haud nimis minutis, materia morbi non nimis coerceatur. Sane hac in re ſummum momentum practicum, ſummum medentis artificium verſatur. Non autem ſemper ita facile eſt Medicis clinicis

a) *de Morb. Milit. Part. III. cap. I. p. 153. edit. germ.*

b) *diſſ. cit. §. 14.*

clinicis juſtam mediocritatem ſervare, atque ita ſe gerere, ut diarrhœa ſymptomatica nec cito nimis, nec tarde nimis cohibeatur, opioque exhibito verum juvamen, damnum nullum emergat.

Fatear vero ingenue, me mea forte culpa non ſatis intelligere additum conſilium Cl. Viri, quem coætaneum ab annis academicis valde amo & colo. Si æſtus febrilis non adeo urgeat, decem vel plures guttulas laud. liquidi egregie convenire aſſerit, ſi vero urgeat, melius diaſcordium Fracaſt. vel MP. de cynogl. ad gr. iij vel iv exhiberi dicit, monens ſimul repetendas quidem, ſed non nimis augendas eſſe doſes opiatorum, quo motibus cohibitis iterum ad cardiaca, quæ vires ſuſtinent regredi queat Medicus. Sane niſi vehementer fallor, hæc cogitata nituntur hypotheſi de neceſſaria correctione Opii, & de virtute ejus circulum vitalem refrænante & debilitante. Laudanum certe ex ſua natura æſtum auget, ut diaſcordium & maſſa pil. de cynogloſſa, hæcque duo poſteriora remedia id adhuc fortius præſtant, priori, quia Opio addita habent acria & aromatica, quare urgenti æſtui tanto minus convenient quam Opium ſolum, ſi eandem ejus doſin complectantur. Atque poſt Opii uſum neceſſitate jubente exhibiti, cardiaco vix opus erit, cum ipſum ſit cardiacum, ſique datum fuerit pro ſiſtenda diarrhœa, ſive in laudano ſive diaſcordio, æſtumque & celeritatem humorum neceſſario eodem tempore auxerit, ceſſante uſus neceſſitate confugiendum potius erit ad illa quæ circulum, qui jam antea celeritate peccabat, adhuc celeriorem redditum debilitant, iterumque ad moderamen reducunt, æſtumque intenſiorem minuunt, quam ad vera & proprie ſic dicta cardiaca. Liceat mihi enarrare candide qua via ipſe inceſſerim, quando in arduo hoc negotio occupatus fui, non ſemper bene ſciens, quo me verterem, ſecurior tamen de rerum actarum rectitudine, ubi cauſam veram diarrhœæ ſymptomaticæ exactius cognoſcere, & e diametro oppugnare potui.

Animadverti ſæpe, Diarrhœam febri acutæ ſeſe ſub ipſum principium adjungentem, niſi ſpontanea fuerit, ad ſtylum Cl. LUDWIGII, id eſt, niſi a cumulatis antea cruditatibus pendeat, deberi, ut SYDENHAMUS [c]) tribus diſtinctis locis monet, radiis inflammatoriis, e maſſa ſanguinis per arterias meſentericas ad inteſtina delatis, atque eadem ad excretionem ſollicitantibus. Quomodocunque theoria hæc, quæ aliquid metaphorici habere videri poterat, rectius explicetur, certum tamen eſt, præſente diatheſi ſanguinis inflammatoria, perque eam ardere incipiente febre, alvi fluxum ſubinde proritari. Nihil autem huic profluvio ſiſtendo æque conducere, quam VSem, & ſanguinis contemperationem, aqua hordei, ſero lactis, aliisque refrigerantibus, docet Vir integerrimus, [d]) cui quidem methodo ipſo animadvertente, ſemper cedat, cum cathartica, lenitiva, ipſumque rheum, ad putatitios mordaces ſuccos eliminandos exhibita, aut adſtringentia præſcripta, ex levi morbo exitialem feciſſe viſa ſint. Nunquam me pœnituit, veſtigia Sydenhamiana ut alibi in medendo, ita & hic accuratiſſime ſecutum fuiſſe. Corripiebatur Vir generoſus, ex ſenatorio Ordine febre acutiſſima; ſimulac vero poſt horrores calor ſenſim auctus enaſcebatur, accedebat etiam ſenſim ingraveſcens diarrhœa. Eam autem a primarum viarum cruditatibus, eapropter deducere nequibam, quia ſordes in lingua, ructus, atque incommoda circa præcordia aberant, atque æger paucis antea diebus ſale purgante uſus aliquoties dejeciſſet, nullius autem deinceps commiſſi delicti diætetici ſibi conſcius eſſet. Metuebam tunc valde, ne datæ, quæ tamen calor omnino requirebat, potiones antiphlogiſticæ cum nitro & ſyrupis ſubacidis diarrhœam augerent, anceps quoque hærebam, an ſub profuſa ſatis diarrhœa, quæ tenuiſſima liquida exturbabat, VSi vere locus eſſet. Febris interim manifeſtum augmentum, & leve delirium quod accedebat, primam conſiderationem ſibi depoſcere videbatur, quare ſecabatur Vena, & refrigerantia pharmaca ſat largiter exhibe-

c) p. 202. 207. 209.

d) p. 207. 210.

exhibebantur, ſub quorum aliter omnibus hominibus alvum laxam reddentium uſu, ipſa diarrhœa ita minuebatur, ut nullam amplius ſpecialem attentionem mereretur, ægerque licet diutius cum morbo ſuo luctatus, ſanitati prorſus reddebatur. Ego vero tum clariſſime videns veritatem monitorum Sydenhamianorum, poſtea ſæpius ægris meis ſub ſimilibus circumſtantiis felix opem tuli. Quodſi autem in tali diarrhœæ ſymptomaticæ conſtitutione, adeo bene ſe gerunt antiphlogiſtica, quis non videt illis e diametro contrarium, circulum accelerans, ſanguinem calefaciens, & ad caput determinans Opium, valde noxium futurum, maxime ſi ipſum ſolum ſine antiphlogiſticis diarrhœæ opponatur. Accedit quod Opium toti febri acutæ in ſe conſideratæ, nequaquam conveniat, ſed eam augeat, & ſymptomata omnia graviora reddat, atque adeo quædam creet, quæ ſine ejus uſu haud obortura fuiſſent, ut Sect. II. fuſius docui.

Verum enim vero non rarior quoque cauſa diarrhœæ ſymptomaticæ in febribus, eſt llioſa acrimonia in inteſtina confluens. De bile acri præexiſtente in duodeni cavea, febremque cum vel ſine diarrhœa ut cauſa, proritante, hic mihi ſermo non eſt, ſed de bilioſa acrimonia, febris effectu, & diarrhœæ ſymptomaticæ cauſa verba facio. Scilicet ut motu corporis fortiore, quo circuitus ſanguinis acceleratur, & calore æſtivo bilis copioſius generatur, & genita acrior redditur in corporibus humanis, ita etiam eadem ratione, & tanto magis, motu & æſtu febrili idem evenire ſolet, atque ſi diutius duraverit & eminentior fuerit citatior circulus, & ab eo pendens æſtus, bilis ſane acerrima rancida & putrida reddi poteſt. Jam quando bilis ſecundum naturam blandior villos inteſtinales ſtimulat, clyſteremque aliquem præbet, & alvi excretionem juvat, in ſanis, mirum non eſt, ſi febre commota, acrisque, & mordax reddita, ac talis canali inteſtinorum infuſa bilis ut clyſter præternaturalis agat, ſtimuloque valido facile diarrhœam cieat. Neque vero & in hoc caſu prodeſſe

poterit Opium, ſed multum potius nocebit, dum excluſionem ſordium bilioſarum non correctarum cohibet, iisdemque ut omnes ſuos pravos effectus edant, plenam poteſtatem concedit. Magis convenient demulcentia, hordeacea, avenacea, ſubacida, ſaponacea, aut emulſiones non nimis oleoſæ, utpote facile rancescentes, quin etiam aliter alvum laxans antiſepticum nitrum, quod & in hac bilis conſtitutione & in phlogiſtica ſanguinis diatheſi, mire confert, & recte a quibusdam Claris Viris, ipſoque STAHLIO, & aſſeclis diarrhœas febrium toties ſiſtere dicitur. E re quoque erit, clyſmata ex talibus injicere, quæ inter ego ex hydrogala & ſemine lini contuſo paratum, maxime ubi eroſio recti, & teneſmus aliquis concurrebat, plus ſimplici vice profuiſſe vidi.

* * * * * *

Nolo obliviſci illius diarrhœæ febrilis, quam SYDENHAMUS [c]) oriri dicit, etiam declinare jam debente morbo, quando ſub febris initium æger Vomitu, vel inani in Vomitum propenſione vexatus fuit, atque eapropter vomitorium ut facere ſolitus eſt, exhibendum fuiſſet, niſi febris fuerit inflammatoria, quo in caſu vomitorium hoc ſymptoma non levare, ſed creare poſſe, dicit. Periculoſam autem talem diarrhœam eſſe aſſerit, cum ægri jam morbo debilitati vires adhuc magis debilitet, & eo tempore, quo ſanguis deſpumationem exerere debebat, hoc negotium excretione intempeſtiva cohibeat. Cum adſtringentibus nil proficientibus, nullum huic malo remedium aptius invenerit, quam emeticum, etiamſi proclivitas illa ad vomendum jam diu præterierit, quo VSe præmiſſa in morbi principio dato, hoc ſymptoma præcaveri poterat, ſi ex neglectu hujus remedii illud obortum fuerit, quovis morbi tempore, etiam adhuc die 12., emeticum propinari ſuadet, modo vires non ſint nimis attritæ. Si vero vomitorio dato nihilominus diarrhœa ſupervenerit, clyſma ex decocto cort. Granat. & roſar. cum diaſcordio commendat.

c) *p. 63. ſeq. 69. & 87.*

mendat. Facile patet, SYDENHAMVM in febribus acutis, nauſea, vomituritione, & vomitu in principio ſtipatis, ſine ſignis inflammationis & præcipue Ventriculi, in emetico dato ponere diarrhœæ ſymptomaticæ ſupervenientis prophylaxin, & medelam. Neque defuerunt ante & poſt optimum Virum clari Medici, qui ſub iisdem conditionibus, quin & ſine illis, Vomitoria inter remedia febribus acutis deſtinanda retulerunt, crebriusque illis uſi ſunt. Liceat autem mihi ſine jactantia profiteri, me per tot annos praxeos, in ſanatione febrium talium haud infelicem, ne ſemel quidem exhibuiſſe ægris a me ſemper ſuſpectum habitum, durante rapido ſanguinis motu, capiti facile nocivo futuro, porrigendum violento ſtimulo agens, humoresque ad caput urgens, Vomitorium. Ubi ſordium in Ventriculo ſtabulantium notæ aderant, rheo, manna, cremore tartari, oxymelle potius earum remotionem cum fructu molitus ſum, hisque remediis cito exhibitis, diarrhœam quæ inde oriri poterat, vel oriebatur, præcaviſſe & ſanaviſſe. Igitur nonniſi ſumma animi voluptate legere potui monita Ill. de HAEN, [f]) qui quicquid alii autoritate & experientia fulti, circa uſum emeticorum in febribus earumque principio, ubi cibi faſtidia, vertigines, os amarum, ſordidumque, & Vomitus adſunt, urgere ſolent, ſe Bœrhaavium ſecutum, innumeris vicibus Hagæ, & dein Viennæ, ſine emeticis febres acutas ſuſtulit. Imo vero quod huc præcipue facit, ægros acute febricitantes, faſtidioſos, nauſeoſos, vomiturientes, vomentes, copioſo potu ſaponaceo aquæ hordei cum melle addito interdum eidem nitro, aut crem. tart. id acre quod Ventriculum turbabat diluente, & ſolvente ita adjutos expertus eſt, hic Eximius Medicus, ut nauſea & vomitus prima die miteſceret, altera jam ſileret penitus. [g]) Quin & cum Vomitu fluorem alvi moleſtum, acri quod eum generaret ſic correcto, abluto, expulſo, egregie præcaveri monet, ſique hic obſervetur criticus, utiliſſimum eſſe, ſi crudo morbo accedat cum bonis

f) *Rat. medendi Part. I. c. 2. confer & Part. III. c. 1.*

g) *Rat. Med. Part. I. c. I. p. 18. & c. II. p. 27.*

h) *Part. I. c. I, p. 21. 22.*

ſignis ſibi permittendum eſſe docet. [h]) His vero omnibus probe perpenſis, ſive methodo Sydenhamiana & aliorum Vomitorium exhibeatur, ſive minus, Opium in hac diarrhœa, quam loquor, minus proficuum, ac potius valde nocivum eſſe, dum exitum molientes ſordes non corrigit, ſed ſibi relictas retinet, ſponte opinor apparet.

Quamvis vero ut modo conſtitit, datum largiter cum melle & nitro hordei decoctum, diarrhœam ſymptomaticam in febribus ſæpe præcaveat, multum negotii tamen etiam faceſſere ſolet diarrhœa, quæ impetu & calore febrili crebrum uſum nitratorum, acidorum, & ſyruporum ſaponaceorum aut emulſionum urgentibus, a laxitate canalis alimentarii & ſolutione humoribus per hæc remedia inducta, vere natales ſuos habet. Dantur ſcilicet homines, natura ad alvi lubricitatem proni, quique adeo a ſacharatis, mellitis, fructubus horæis, facile in diarrhœam incidunt, quidni igitur hæc talia magna copia ſub febris decurſu adſumere juſſi fluorem alvi copioſiorem experirentur. Odioſa tunc res eſt, indicatiſſima ab æſtu, & citato liquidorum motu, pharmaca refrigerantia, vel ſeponendi ad tempus, vel parcius præbendi neceſſitatem ſibi impoſitam videre, quando diarrhœæ conſultum volumus, quæ tum præcipue, quando febris pulſu teſte adhuc increſcit, atque ſymptomata pejoris notæ, inquies, agrypnia, calor ſiccus, delirium &c. perdurant, pro critica ſibi permittenda neutiquam haberi poteſt. Non ſine fructu in ejusmodi caſibus me ſuaſiſſe recordor, ut inter uſum juſculorum ex cerealibus, quo vires utcunque conſerventur, nitratis pulvillis ſtatim ſuperbiberentur liquida tepida, ne ſtimulo ſuo inteſtina laceſſerent. Deinde etiam abſorbentia, quæ acidum ſtimulum inverterent & fermentationi in inteſtinis obicem ponerent, quod ipſum quoque potulenta calida præſtant, cum bonis ægrorum rebus in uſum vocavi. Hac medela, cum clyſmatibus demulcentibus & ſubadſtringentibus haud ſufficiente, foris theriacam cum Vino rubro appli-

cari

cari feci, ad Opiata tandem perveniens, niſi calor ſummus & caput turbatum eorum uſum prorſus vetaret.

* * * * * *

Eſt & alia diarrhœa febrium, quam jectigatio, inquies, impatientia, denſidatio corporis, tranſpirationisque ſuppresſio accerſit, maxime ſi minus adſueti & ſenſibiles valde nervos ventriculi habentes, potum neceſſarium nimis frigidum ſimul copioſe ingurgitent. Hic fluxus alvi ex ſua indole bene ferret Opium, vel theriacam, & diaſcordium, niſi febris acuta contraindicaret. Cohibitione interim indiget, dum liquida tenuia exhaurit & febris bonum decurſum turbat, quare ſub epithematum calidorum applicatione ad abdomen, potulenta calida, ut infuſum thée crebrius tecto probe corpore aſſumenda injunxi, atque clyſma ex lacte cum corticibus granatorum cocto infundi feci. Si hæc non ſufficerent, & tormina concurrerent, ad Opiata quæ ſub febrium acutarum decurſu ægerrime præſcribo, ſemi-coactus acceſſi.

Non reticenda hic eſt diarrhœa febrilis ab aphthis. Accidit interdum, ut aphtharum geneſis pendeat a diarrhœa & dyſenteria, ob fomitem in inteſtinis hærentem non excluſum, ſed adſtringentibus & opiatis repreſſum. Verum & aphthæ ob quamcunque cauſam in febre natæ diarrhœam ciere ſolent, quando in dilatata vaſa decidentibus cruſtis quæ ea oppilarant, liquida copioſius ruunt, & in cavum inteſtinorum depluunt. Tunc vero diarrhœa vires depreſſas a prægreſſo morbo magis debilitans, & quandoque lethalis emergit, maxime ſi ſanguis ſincerus per oſtiola laxa exeat, aut ſi aphthæ renaſcantur. In his anguſtiis poſt potulenta nutrientia juſcula tenuia avenacea, hordeacea & lac, rheum toſtum, corticis peruviani dilutius primo, dein ſaturatius decoctum, aquas ſpadanas lacte remixtas, aliquando profuiſſe vidi. Attamen & Opium, ſi ſyrupus papaveris doloroſis ſenſationibus ob partes nerveas excoriatas, & denudatas,

datas, moleſtiſſimis ex voto compeſcendis non ſufficeret, parvis & repetitis doſibus, interponere, non dubitavi.

* * * * * *

Claudat tandem agmen diarrhœa a putredinoſa corruptione viſcerum poſt inflammationem eorum, maximeque hepatis, in febribus enata. Non raro dum anxietas, reſpiratione utcunque libera & pulſu celeri quidem, ſed non parvo, aut intermittente in febribus eveniens hepar infarctum, & inflammatum loquitur, ſanguis incarceratus & bilis non circulans, in teterrimam putrilaginem ſtagnando abit. Tum autem a viſcere deſtructo, ſerum ichoroſum, putridum, fœtentiſſimum, per ductus ejus in cavum inteſtinorum fertur, alvoque excernitur. Moriendum hic ſemper eſt, quicquid agat Medicus, malo omni remedio majore exiſtente, atque arte humana nova viſcera creare neſcia.




J. D. Philippin geb. Sysangin sc.

# USUS OPII
## SALUBRIS ET NOXIUS,
## IN MORBORVM MEDELA,
### SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SUPERSTRUCTUS,

A

D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL. ATQVE ACADEM. CAESAR. NAT. CUR. ADJUNCTO.

*SECTIO QVARTA ET VLTIMA.*

VRATISLAVIÆ,
SUMPTIBUS IOANNIS ERNESTI MEYERI.
MDCCLXII.

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

# MAXIMILIANO IOSEPHO

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI

ET ARCHIDAPIFERO

UTRIUSQUE BAVARIAE ET PALATINATUS

SUPERIORIS DUCI

COMITI PALATINO AD RHENUM

LANDGRAVIO LEUCHTENBERGENSI

ET RELIQUA

PRINCIPI AC DOMINO

CLEMENTISSIMO

CÆSAREÆQUE NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ

PROTECTORI GRATIOSISSIMO.

# SERENISSIME PRINCEPS ET ELECTOR!

*Dum maxima Pars Europæ internecini belli ineffabiles miſerias, inter lachrymas & ejulatus experitur, atque trementes Muſæ ſub diro Martis imperio fere contabeſcunt, TU tranquillitatem et ſecuritatem felici Bavariæ TUÆ, ſapientia & benignitate præſtas, atque artibus liberalibus DEUM tutelarem TE*

 *ſiſtis,*

*ſiſtis, ſub cujus gratioſo præſidio maiora indies incrementa capiant. Ipſe totus ſtudiorum dulcedine perfuſus, fertilitati Terrarum TUARUM, dono a Natura indulto, ingeniorum fertilitatem præfers, atque glorioſum jure reputas, non ſaltem clementiſſimi & juſtiſſimi, ſed & literatiſſimi Principis honoribus condecorari. Hos humillimo obtutu in TE defixus Univerſus eruditus Orbis liberaliter TIBI decernit, hos remotiſſima Poſteritas immortali TUI memoriæ largietur. Quid ergo mirum, SAPIENTISSIME ELECTOR! TE Viros bonos, quibus proſpera Scientiarum fata cordi ſunt, eosque non ſaltem, quos ſubditos TUOS eſſe juſſit benefica Providentia, ſed et peregrinos, beneficiis cumulare, atque animos ipſorum propenſiſſima voluntate erigere, vt intrepidi artium limites extendere audeant. Extollant alia*

*ineffa-*

*ineffabilia TUA merita, in elegantiores ſcientias ad unam omnes; extollant librorum rariſſimorum theſauros, quos incredibilibus impenſis adauges; extollant Gazophylacia TUA rariſſimis Antiquitatis monumentis refertiſſima; me his & aliis, quibus Æternitatem Divo TUO NOMINI paras, prorſus miſſis, mea Medicina detinet, TIBIque Liberaliſſimo ejus Altori totum devincit. Neque enim me, ignotum TIBI hominem, & remotiſſimum a Terris TUIS, quas Gratia TUA velut ſolaribus radiis undiquaque diffuſis beas, poteſt fugere, quanta benignitate, quam electoralibus ſumtubus curaveris, ut Academia TUA Ingolſtadienſis inſtruatur Viris egregiis, Artium utiliſſimam docentibus, quanta cura effeceris, ut bene ſit ſubditis TUIS ægrotantibus, ad gregarium militem usque. Sufficeret mihi hæc notitia, ut provolutus*

*in genua ad Auguſtum thronum TUUM e longinquo adreperem, atque plenus fiducia, fore ut me procul abeſſe haud juberes, devotiſſimo animo TIBI librum offerrem, in quo perficiendo per annos deſudavi, cujusque unicus ſcopus hic fuit, ut ancipitis alicujus remedii uſum curatius determinarem, praxinque clinicam, quæ illo carere prorſus nequit, certiorem & ſecuriorem redderem. Verum & ſimul* PROTECTOREM POTENTISSIMVM & CLEMENTISSIMVM *Academiæ Naturæ Curioſorum, TE religioſe ſuſpicio, cujus non Socium ſaltem, ſed auctiore dignitate Adjunctum, me conſtituit, Cæſarea, tuaque Electorali auctoritate inſtructus Eruditiſſimus Præſes. Jure ergo ſi boni aliquid præſtitero, TIBI debentur ſinceri mei conatus. Quam opimum autem, quam invidendum referrem impenſorum laborum præmium, ſi*

*TIBI*

*TIBI competentiſſimo Judici illi probarentur, cujus ſuffragia cum omnibus Muſis Apollo adipiſci vehementer exoptat. Suſcipe, Terreſtris DEUS, divinum favorem exprimente gratioſiſſimo Vultu, a quo neminem triſtem recedere pateris, humillimæ Venerationis pignus, ad pedes TUOS depoſitum, quod ad TE tantum Principem deferre nunquam auſus eſſem, niſi partite editum Eruditis Viris adjecto calculo probatum, atque utile generis humani ſaluti habitum fuiſſet. Servet TE Supremum Numen cum SERENISSIMA CONJUGE ad extremam vitæ metam incolumem, omnigenaque felicitate cœlitus affluente cumulatiſſimum; Durare jubeat & florere auguſtiſſimo ſanguine ſatam FAMILIAM TUAM Electoralem, ad finem Seculi; Largiatur TIBI regimen beatum, paceque & ſecuritate publica conſpicuum, proculque abeſſe jubeat infan-*

*dum*

*dum dolorem Jacturæ TUI, quem non vilis adulatio, ſed intimus ſenſus Veri, Optimum Principem, cujus Exemplar alii intueantur, atque ſumme amabilem Patriæ Parentem ſalutat. Ita ardenter voveo*

SERENISSIME PRINCEPS
ET ELECTOR,
SERENITATI TUÆ

Vratislaviæ,
die 24. Sept.
1762.

DEVOTISSIMUS ET SUBJECTISSIMUS
BALTHASAR LUDOVICUS TRALLES.

# PRÆFATIO.

Inter humillimas grates, quas ſupplex Gratiæ divinæ decerno, cujus auxilium, quod laboribus meis nunquam defuerit, venerari non deſinam, cuique ſoli me totum, & omnia ſtudia mea debeo, tandem colophonem impono operi, de uſu & abuſu Opii. Addidit mihi animum, ut inter calamitates publicas & privatas, non obſtantibus myriadibus interpellationum, & diſtractionum, quas ſecum ferre ſolet Praxis turbulenta, ſtrenue tamen pergerem, Eruditiſſimorum Virorum amiciſſima & benevolentiſſima approbatio, inter quos vel ſolus Ill. de HALLER,

vel ſolus acutiſſimus FORMEY, vel ſolus doctiſſimus TISSOT mihi ſufficeret. Sentio in præcordiis meis innocentem illam Voluptatem, quam parit collocata in invenienda, & inventa Veritate induſtria, tanto ſemper eminentiorem exiſtentem, quo plura ſeſe objecerant impedimenta, feliciter tandem ſuperata. Dum dulcis hæc, de rebus meis ſincere ad Proximi ſalutem augendam actis, convictio, omnem animum occupat, non ſine oblectameuto ſcriptioni facerem finem, niſi mihi nil tale ſomnianti, immerita contigiſſet infelicitas, ut Celeberrimis Auctoribus Actorum Eruditorum, Lipſiæ publicatis, diſplicuerim.[a] Offendi eos, qui Opere felix, non diſplicueram, neceſſaria uberiore dilucidatione Propoſitionis meæ, ab ipſis in dubium vocatæ, quod Opium circulum augens, ſanguinemque calefaciens, & rarefaciens, reſpirationem acceleret, & (id quod nullibi confudi, ſed ubique ſejunxi, & diſtinxi) accelerando ſenſim difficiliorem reddat. Hanc ipſam dilucidationem, non aliunde, quam ex ſolis circulationis legibus deducere poteram, quarum notitiam me eapropter præclare doctis Hominibus derogatam voluiſſe, quod ad eas provocaverim, nemo puto bonus verborum meorum Interpres cauſſabitur. Exoſculatus ſum plus ſimplici vice latiniſſimorum Virorum indulgentiam, quod ſtyli inæqualitatem res magis quam verba proponere aventis, toleraverint,

a) *Calend. Mart. Ann. 1761. Part. I. p. 88.*

verint; quod pro ſua peritia in Arte, defectus & hiatus operis, quos bene novi, publice indicare noluerint; quod me cenſuras meritum, laudibus mactaverint. Omnem illam benevolentiam gratus agnoſco. Dent vero mihi hanc veniam, quod fidei meæ medicæ articulum, quo carere nequibam, cui ceu fundamento inconcuſſo veritates varias ſuperſtruere moliebar, humaniter, comiterque, ſine omni ſale, & felle, ut conſtare debet æquis arbitris, Præfationem meam Sect. III. lecturis, denuo defenderim. Id licitum eſſe in Republica docta credidi, & ab aliis omni tempore factum, ſcivi. Deleant eapropter oro, inſperſam nunquam monitorum aſpero, ſed urbanitatis ſtudioſiſſimo, inſimulatæ impatientiæ quando corrigor, & verboſæ traductionis eorum, quæ opponuntur, mihi inſonti maculam. Ab omni faſtu litterario remotiſſimus, mecumque habitans, & cartam meam ſupellectilem eruditam noſcens, reconciliari ardeo Viris, quos veneror, & amo; quos ſcienter lædere, nefas & piaculum haberem; quorum favorem & amicitiam mereri laboro. Excipiant me humaniter, e longinquo, accelerata quaſi ſine difficultate reſpiratione, obviam ipſis incedentem, dextramque cum fide comiter porrigentem, eantque ſimul in gratiam, cum Autoribus commentariorum, de rebus in ſcientia naturali & medicina geſtis, cum meis Amicis, quos

 mecum

mecum facientes, mecum notatos, acerbe doleo. In toto meo opere, fateor, ſæpius receſſi, a ſummorum Virorum ſententiis, & ad placita eorum refellenda, coactum me deprehendi. Nil vero mali eapropter commiſi. Ab iis enim monente Ill. de HALLER, [b]) qui integrum alicujus artis ambitum amplectuntur, vitari non poteſt, quin ab aliis etiam bene meritis Viris diſſentiant, diſſenſumque ſuum cogantur propalare. Credo cum Eximio hoc Viro, nos ad vera docenda officio teneri, & omnino grave fore in honeſto Viro vitium, ſi aliter ſcriberet, crederet aliter. Nulla refutatio errorum, a me, omnem ambitum artis adhibendi Opium expoſituro, directe profecta eſt, ſed ſtabilita ex univerſalibus & infallibilibus experientiis invictiſſima principia, vel probarunt vel rejecerunt Autorum his omnino, vel minus reſpondentes ſententias; Saltem ego ad hunc lapidem lydium, omnes examinavi, ſine præjudicio. Summam mihi peperit lætitiam, mihi ex his legibus, impoſita neceſſitas, conſtanter conſentiendi cum Viris doctiſſimis. Gaviſus ſum impenſe, de arctiſſimo meo, cum optimo practico Scriptore de Opio Celeb. YOUNGIO, conſenſu, inter nos jam ſtabilito, antequam ejus opuſculum vidiſſem. Interdum tamen, licet rarius, dum diverſo itinere ad metam noſtram tendebamus, ab eo receſſi, laudavique meam regiam Viam, quæ me & tum

b) *in Apologia ad Ill. de Haën difficultates. p. 6.*

pro-

progredi recto tramite ſivit, quando ille reſpirans & dubitans gradum ſiſtere coactus fuit. En ſine vanitate hujus rei ſpecimina! Convictus Experientiis, quod Opium fibras relaxet, & ſtricturis earum eapropter neceſſario medeatur, in hæmorrhagiis uterinis effuſioribus id neutiquam aptum eſſe, reſtituendo elateri vaſorum, novi, licet ita Viro egregio videatur.[c]) Atque quia debilitatos magis debilitat, id non convenire ſcio, quando a ſanguine copioſius deperdito ſumma debilitas & frigus extremorum adeſt, ſed tum ſola blandiſſima replentia nutritiva requiri, auctoque per Opium circulo, & manente vaſorum uterinorum laxa debilitate, hæmorrhagiam graviorem reddi poſſe, intelligo. Non ergo cum eo ſum dubius,[d]) an Opium effuſionem cruoris ex utero imminuat, ſed certus ſum, ipſum hoc nunquam efficere, nec unquam defectum virium, debilitatem nervorum, deficiens robur elaſticum, tollere, ut is exiſtimat, verum quod ipſe novit, plethoram augere, & ſic potius hæmorrhagias intendere, nunquamque huic mali generi medelam adferre, niſi irritatio doloroſa in Utero, vel extra eum, in ſenſibilibus abdominis partibus, id foveat. Liceat mihi aliud adhuc adferre ſpecimen. Scribit Vir eximius, ſi accuratiſſime & veriſſime determinari poſſet, quando Opium Variolis ſanandis conferat, vel obſit, id inventum humano Generi utiliſſimum haben-

c) *c. 14.*

d) *c. 15.*

dum fore. [e]) Credo ego, ingenio Variolarum, earum decurſu, indicationibus therapeuticis, modoque quo necant cognitis, & cognita actione Opii in corpus humanum per experientias, hoc problema exacte ſolvi poſſe. *Opium Circulum accelerat*, oberit ergo ſemper circulo jam accelerato, ac quando exinde Vitæ metuitur in Variolis, ergo & in febre ſecunda. *Opium humores expandit*, non ergo proderit, quando ipſe morbus liquida expandit, vaſaque omnia ob immenſum variolarum numerum, earumque malignam indolem, purulenta colluvie ſunt refertiſſima. *Opium alvum claudit*, igitur quia ſub toto morbi decurſu prodeſt, alvum habere liberam, & inter optima remedia febris ſecundæ, purgantia jure pertinent, nunquam opium hoc reſpectu proderit, niſi forte ſimul alvinæ evacuationi proſpiciatur. *Opium ſanguinem congerit ad caput*, nunquam ergo proderit quando ſub decurſu Variolarum, maxime ab impetu circuli, adeſt illius dolor, & gravitas, ut & delirium, phrenitis, ſopor. *Opium reſpirationem accelerat, & difficiliorem reddit*, ergo non proderit, quando hæc circulo aucto, & humoribus rarefactis, jam eſt difficilis & difficillima. *Opium humores ſecretos in ore, naribus, trachea, inſpiſſat, linguamque exſiccat*, [f]) oberit ergo, quando ægri fauces, trachea & bronchia inſpiſſatis liquidis ſalivalibus, & muco viſcido ſcatent.

e) *c. 35.*

f) *Young c. 3.*

Proderit

Proderit vero e contrario in Variolis Opium, ad levandos dolores, & vigilias arcendas, juvabitque partium externarum lætum turgorem, quando vis vitæ non eſt intenſa & potius debilior; quando a parciore variolarum numero, ſanguis parciore colluvie purulenta infectus eſt; quando alvus reſpondet, aut ejus libertati conſulitur; quando caput nullo modo affectum eſt; quando reſpiratio non eſt impedita; quando deglutitio utcunque ſuccedit; quando fauces a nimio viſcidarum ſordium confluxu ſunt liberæ. Ut vero in Variolis uſus Opii ſalubris & noxius certo certius determinari poteſt, ita puto & in medela aliorum quorumvis morborum, ſitne exhibendum Opium, vel minus, nullam difficultatem haud ſolubilem dari, ſi juſtæ ideæ morborum, juſtæ indicationes therapeuticæ, & phœnomena ab uſu Opii, etiam in ſanis emergentia, ſemper ante oculos verſentur. Quodſi ſincera mea & oneroſa opera, quam mihi impoſueram, certiorem pauliſper, & magis poſſibilem reddiderim artem medicam, ſi verum diſſimulare noluerimus, tot incertitudinibus, tot impoſſibilitatibus nihilominus adhuc refertam, licet per labores doctiſſimorum Hominum, Londini, Edinburgi, Pariſiis, Berolini, & maxime Viennæ, curis maternis & cæſareis ſumtubus Auguſtiſſimæ MARIÆ THERESIÆ, Illuſtriſſimi SVIETENII, & Eximii HÆNII opera, egregia prorſus incre-

incrementa capiat, o quam dulce, quam opimum me maneret præmium! Quanta mentis tranquillitate ponerem calamum, qui poſt triginta annorum, ſub quavis inclementia cœli, curſitationes; poſt lucubrationes in ſeram noctem; poſt varii generis ærumnas; poſt tot morbos exantlatos, corpus valetudinarium contraxi, jamque fractus membra, feſſus, & viribus orbus, quietum magis vitæ genus, animique blandam relaxationem ardenter anhelo. Scribebam Vratislaviæ die 24. April. MDCCLXII.

CAPVT

# CAPVT I.

## *Phthiſis pulmonalis et Hydrops.*

§. I.

Phthiſis pulmonalis de qua tantum hic loci, alias omnes phthiſes miſſas faciens exponere aggredior, mihi dicitur tuſſi, reſpirandi difficultate, tandem febre lenta, ſtipata corporis contabeſcentia, a parenchymatis pulmonum læſione ſcirrhoſa, apoſtematica, & ulceroſa, originem trahens. Læſio talis debetur ſaepenumero diuturno catarrho, de qua geneſeos ratione multa leguntur apud antiquiores medicos, qui acrem & erodentem deſtillationem a capite, tuſſim primo, & raucedinem concitantem, atque niſi fluxio conſiſtat, deinde pulmonem exedentem, tabemque ita generantem, accuſant.[a]) Quin recentioribus etiam ita viſum eſt, donec Clariſſimi Viri & præcipue LOWERVS, catarrho minime a cerebro eſſe originem doceret. Quamvis vero catarrhus pulmonalis, quod inter alios etiam notat WILLISIVS,[b]) a Ventre ſupremo ſcaturiginem ſuam non habeat, certum tamen eſt, ſeri acris ex tota humorum maſſa a quacunque cauſa in pulmones deturbati decubitum habitualem, qui

*Phthiſis a Catarrho,*

a) *Hipp. de morbis lib. I. §. X.*

b) *Pharm. Rat. Part. II. Sect. I. c. 3. p. 47.*

phthiſin aliquando mentitur, & medicis non ſatis expertis imponit, tandem efficere, ut erodantur & exedantur cellulæ bronchiales retisque malpighiani vaſcula, indiesque increſcente hac labe, viſceris ſubſtantia ſenſim abſumatur, atque ſic enata ulceroſa ejus corruptio latius & profundius ſerpat, quemadmodum eleganter docuit FRIDERICVS HOFMANNVS. [c]) Multum vero juvat in praxi clinica diuturnum pectoris catarrhum a Phthiſi diſcernere, legique eapropter meretur recens diſſertatio Gœttingæ ſub Præſidio Cl. ROEDERER habita, [d]) *de catarrho phthiſin mentiente*, in qua ſigna utriusque affectus pulchre exponuntur. Satis diſtinguitur Phthiſis a catarrho, tuſſi per noctes & dies affligente, raucedine, difficili reſpiratione ad motum corporis, horripilatione ſine cauſa externa, rubore genarum, calore volarum, ſudore nocturno, & febricula hectica.

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. c. XI. p.* 302.

d) *1758. menſe Sept.*

§. II.

*a tuberculis,*

Poſt Catarrhum inveteratum pulmonum ſubſtantiam ſero ſuo acri erodentem, Phthiſin etiam non raro poſt ſe trahit illa pulmonum conditio, quando intus tuberculis ex variis cauſis obortis, inter quæ & ipſe catarrhus eſt, referti ſunt. Sunt autem hæc tubercula nodi a phlegmate lento & viſcido, quin & tophi ſcirrhoſi, ab infarctu, intumeſcentia, & induratione illarum glandularum enati, quas copioſiſſimas in tunica, cartilagines aſperæ arteriæ & bronchiorum nectente, deſcribit MORGAGNI. [e]) Oriuntur vero etiam profundius eiusmodi tubercula in ipſo pulmonum parenchymate, quando affluxu confertim aggeſtus in veſiculis diu moratur humor lentus, qui ſenſim avolante liquidiſſima ſui parte, ſpiſſior redditus in ſua cellula diſtenta immobilis hæret, & melleam, ſteatomatoſam, cretaceam, gypſeam, tophaceam quin et lapidoſam indolem acquirit. Atque hæc tubercula iam cognita fuere HIPPOCRATI, [f]) qui et duplex eorum genus conſtituit, unum crudum, quod ita manet & nunquam ſuppuratur, ſed ſenſim increſcit & vias aëreas com-

e) *in Adverſ. Anat. I. p. 31. ſeq. & V. p. 56. ſeq.*

f) *lib. I. de morbis § 5. 10. 14. & lib. II. §. 55.*

comprimendo tandem ægrum anxie ſpirantem interimit, alterum quod in ſuppurationem tendit, & parvas vomicas generat. Talium tuberculorum etiam meminit GALENVS,[g]) ARETÆVS,[h]) AETIVS[i]) aliique Veterum. Inter recentiores de iisdem, & crudis, & inflammatis, ſuppuratis, & cancreſcentibus, in cadaveribus viſis, verba facit WILLIS, qui eapropter communiter minus recte Phthiſin definiri pulmonis ulcus contendit, cum ipſe plurium hoc morbo defunctorum cadavera aperiens pulmones ulcere quovis immunes, tuberculis ſaltem aut lapidibus, aut materia ſabuloſa per totum conſitos viderit.[k]) Data opera etiam de illis, crudis, inflammatis, ſuppuratis, agit in *aurea* ſua *Phthiſiologia*, ut Cl. WERLHOFIO ſalutatur, Cel. MORTONVS[l]) quem ſecutus eſt DESAULT[m]) veram cauſam Phthiſeos tubercula eſſe aſſerens, eos taxans qui ulcus pro ea habent, cum ſit ſaltem ſymptoma, hepatisque infarctum ſemper immiſcens. Ob tuberculorum horum & crudorum, (quæ ſi talia maneant, ſæpe adeo diu geſtata haud necare dicit) & in vomicas ac apoſtemata abeuntium, differentiam, inter Phthiſin cum pure, & ſine pure bene diſtinguit STAHLIVS.[n]) Atque quomodo poſtquam diu ſeſe celarunt, cruda tubercula, dein parvulas vomicas, ulcera aperta, ſerpentia, fiſtuloſa, cancroſa, generent, exponit HOFFMANNVS,[o]) alibi ſectionem juvenis, qui pulmones totos crudis caſeoſis tuberculis refertos exhibuit, deſcribens.[p]) Calculorum pulmonalium etiam non oblitus eſt BOERHAAVIVS,[q]) ejusque diſcipulus de GORTER[r]) tuberculum in pulmone, quamdiu adhuc crudius eſt, tuſſim ſiccam inducere, maturum autem calorem, & tuſſim vehementiorem ingenerare, talesque ægros quandoque exſpuere granula alba *Hippocratem* ſecutus ſcripſit, quæ diſrupta foeteant. Illos autem homines maxime pulmonis exulcerationibus obnoxios dicit MEAD[s]) quos juvenes aut pueros ſtrumae vexarant, qui ſæpiſſime in tabidis poſt mortem inciſis, pulmonem

g) *IV. de locis affect. c. ult. & Sect. VI. Aph. 46.*

h) *lib. III. c. 8.*

i) *Tetrabibl. Serm. I. ſub etiſco & cyclamine.*

k) *Pharmaceut. Rat. Part. II. ſect. I. c. 6. p. 45. 48.*

l) *lib. II. cap. III. p. 49. 50. & cap. IX. p. 89.*

m) *diſſ. ſur la Phthiſie.*

n) *diſſ. de Phthiſi p. 8. 17. 21.*

o) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. c. XI. p. 297. 298. 299.*

p) *Med. Conſ. VI. caſ. I.*

q) *Praelect. de calculo p. 136. edit. II. Götting.*

r) *Med. dogm. p. 179.*

s) *Monit. med. Cap. I. ſect. X. p. 29.*

nem tuberculis crudis ſeu glandulis induratis obſitum vidit, quæ ſuppurantia pus effuderant. Tandem quoque PRINGLIVS [t]) phthiſicorum exta luſtrans, pulmones & tuberculis crudis & ulceribus plenos invenit. Ipſe aliquoties hoc ſpectaculum, & iam olim Lipſiæ Medicinae operam dans in Iuvene pharmacevticæ rei ſtudioſo, qui aquas vitae officinales nimis in deliciis habuerat, vidi, pulmones nempe nodis lapidoſis pluribus, qui non niſi vi diffringi ſeſe patiebantur, vomicisque, & ulceribus refertos. Similes cadaverum phthiſicorum deſcriptiones leguntur in *Actis berolinenſibus* [u]) apud BONETVM, [x]) HILDANVM, [y]) & alibi. Verum & dum vita ſupererat, aliquando Phthiſici ægri nodulos, quos intus in pulmonibus geſtabant, coram exhibuerunt. Lapillos e pulmone rejectos per tuſſim a Juvene, pulmonis exulceratione & tabe inſequente, memorat STALPART VAN DER WIEL. [z]) In propria Uxore MÜLLERVS [a]) calculorum per tuſſim rejectionem obſervavit, qui ſimul varios Autores, variasque obſeruationes citat idem referentes.

t) *de morb. caſtrenſ. p. 178. edit. germ.*

u) *Dec. I. Vol. II. p. 93. 94.*

x) *in Sepulchreto.*

y) *Cent. I. obſ. 29.*

z) *Cent. I. obſ. 28.*

a) *M. N. C. Cent. IX. & X. obſ. 63.*

§. III.

*ab inflammatione ſuppurata, & ulcere.*

Sed alia iterum Phthiſeos facies eſt, quando ſine catarrho prævio, ſine tuberculis antea natis, pulmonibus ſaniſſimis in hæmoptoë vulnus infertur, aut in peripneumonia iidem ſtaſin inflammatoriam patiuntur, illudque non glutinatum, haec non reſoluta, ſuppurationem in hoc viſcere poſt ſe trahunt. In utroque caſu pus licet vomica includatur, ſenſim ſuam membranam qua continetur, dilatat, parenchyma pulmonicum exedit, & in ſibi ſimilem materiem convertit, ſangvini pulmones alluenti ſeſe immiſcet, omnemque maſſam humorum contaminat, & eorum craſin naturalem deſtruit, ſicque Phthiſin parit. Atque haec omnia eodem modo fiunt, ſi vomica crepans & ſubitaneo puris in aſperam arteriam illapſu haud necans, abierit in ulcus apertum; aut ſi parvulæ vomicæ ruptæ totum pulmonem ſenſim

ulcero-

ulceroſum reddant. In his autem caſibus ſingulis, quando poſt obitum pulmones inciduntur, ſemper in iis oculis uſurpantur cavernæ, in quibus pus illud, depaſta parenchymatis ſubſtantia fuerat genitum collectumque, quod aegri exſpuerant. Memoratu interea dignum eſt narrare Illuſtrem de HAEN de foemina phthiſi pulmonali laborante, quod ſputa flava ſubviridia craſſa rejecerit copioſius, ita ut pulmones toti fere conſumti concipiendi eſſent, qui tamen dum cultro anatomico ſubjiciebatur cadaver, fungoſi quidem inventi, ne vel guttulam puris vel vomicarum veſtigia exhibebant. [b]) Simile quid obſervavit in Hydropico, Phthiſico ſimul ob ſputorum quantitatem et qualitatem judicato, in cujus pulmonibus poſt mortem ſollicite examinatis, nullum vomicæ aut puris veſtigium aderat. [c]) Eam ob cauſam ſtatuit Vir doctiſſimus, pus quod alioquin in inflammata aliqua parte, vi vitæ auctiore, ex ſtagnantibus liquidis et abſciſſis vaſorum extremis generatur, generari etiam poſſe in maſſa ſanguinis, excretique elementa in eodem tum præexſtitiſſe, ſine labe alicujus partis, in qua ſaltem pedetentim ſecernantur, et aliquando ſat cito. Pulchre memini, ſcripſiſſe Cel. FREINDIVM dum de anevryſmate tractat. *Quænam ea ſit in ſanguine qualitas, aut cujus generis hæ particulæ, quæ hunc ad ſuppurationem idoneum reddant, problema fateor ſolutu eſt difficile. Id autem pro certo habeo, ineſſe quiddam ſanguini arterioſo, quod, quo minus is in pus vertatur, haud raro prohibet.* [d]) En ad mentem Clariſſimorum Virorum in ſanguine et diatheſin ad pus, et ad FREINDII ſententiam, quoque diſpoſitionem, ejus geneſi adverſam. Eousque autem BOERHAAVIVS, [e]) etiam in Phthiſicis neceſſariam habuit ad generationem puris, inflammationem, et febrem, ut ſcripſerit: *Dicetis forſan in phthiſi non adeſſe inflammationem, hoc autem non eſt verum, nam inflammatio febriculam producit, qualibet veſpera, & ſi febriculam non habeant ægri, tum ſequenti die pus non ſpuunt.* Forte ex

b) *Rat. medendi I. p. 118. 119.*

c) *Rat. Med. II. c. 2. p. 15-21.*

d) *Hiſt. Med.* Paulus *pag. mihi 188.*

e) *in commentario proprio in aphoriſmos ad aph. 402.*

pulmonibus haud abſumtis proveniens ſputum viſcidum, flavum, virideſcens, ſecretumque ex maſſa ſanguinis, eſt ſaltem ſputum puriforme, diſtinguique debet a vere purulento, quod ex materie obſtruente & vaſculis obſtructis, attritis generatur per febrem. Ita ſane mihi viſum eſt legenti eruditiſſima cogitata Cl. de HAEN. Sed & Ill. de HALLER dum de ea materia ſanguinis tractat, a qua Vir egregius pus naſci ſtatuit, & ſedem & naturam puris inflammabilis repugnare ejus ſententiæ credit. [f]) Non autem ſicco pede hic prætereunda eſt phthiſis, quæ per peſſimam metaſtaſin exoritur, quando pus alibi genitum in pulmones deponitur, aut ſordes acres varii generis, quibus tota humorum maſſa ſcatebat, in hoc viſcus decumbunt. Ita Variolæ, morbilli, purpura, ſcabies, herpes, gutta roſacea, eryſipelas, arthritis, conſolidatio fonticulorum, et antiquorum ulcerum, foedaque Siphylis phthiſin ſæpe creare ſolent.

f) *Elem. Phyſiol. Tom. II. p. 128.*

§. IV.

*Therapia Phthiſeos a catarrho.*

Viſa ſic indole vera, ſed diverſa, cauſarum proximarum phthiſeos pulmonalis, videamus jam genuinam medendi methodum, qualem artis limites concedunt. Ac primo quidem ſi a catarrho habituali immineat, vel foveatur nondum nimis adulta phthiſis, nullæ aliæ naſci poterunt Medico perito indicationes, quam ſerum acre involvere et incraſſare, id aliorſum determinare et evacuare, quietem conciliare pulmonibus, ne perpetuo concuſſu perpetuus affluxus alliciatur, tandem vaſa pulmonis eroſa mulcere, laxataque firmare, ut affluxui et decubitui habituali reſiſtant et renitantur. Fruſtra, ut recte monet SENNERTUS [g]) noſter, in curatione ulceris pulmonici, ſi a catarrho pendeat, tempus teritur, niſi fluxio prius cohibita, vel aliorſum converſa fuerit. Id vero optime perficitur blandis catharticis, diureſinque et diaphoreſin ciere aptis remediis, ſique hæc minus ſufficiant, ad efficicaciora divertentia deveniendum, quæ tædioſa licet et doloroſa ſint, tamen inſperatos plane effectus

g) *Med. Pr. lib. II. p. 209.*

ſubinde

ſubinde edidiſſe obſervata fuere. Inter initia nullo tutiore remedio materiam alio averti, quam fonticulo in altero aut utroque brachio, qui in progreſſu morbi ægrum jam imbecilliorem fruſtra cruciaret, monet laudatus SENNERTUS; [h]) fonticulis etiam multum tribuit BENNET. [i]) Imminentem phthiſin a fluxione, inter alia remedia convenientia feliciter ſublatam cauſtico utrique axillæ, et interſcapulari regioni applicato, recenſet RIVERIUS. [k]) Phthiſin pro deplorata habitam cum ſcreatu puris et ſanguinis a deſtillatione in pectus in foemina nobili ſetaceo curatam habet HILDANUS. [l]) Inter recentiores ex repetitis experientiis fonticulos et ſetacea laudat PRINGLE. [m]) Talibus igitur ſerum revellentibus, aut blandioribus, aut generoſioribus, ſi jungatur diæta tenuis et blanda; ſi æger ruſticetur, inque aere ſicco, ſereno, montano verſetur; ſi totum corpus diligenter fricetur, ſi ſuffimigia convenientia adhibeantur, non raro ſanitas ex voto poterit obtineri. Ego certe mannato et rhabarbarino pharmaco, mane repetitis vicibus exhibito, lactea diæta, pilulis ex ſucco liquir: myrrha, olibano, maſtiche, balſ. peruviano confectis ſæpe per diem, parua copia cum melle exhibitis, atque ſuffimentis ex ſuccino et maſtiche ipſe ſtupens interdum ſanavi phthiſi ex catarrho laborantes homines, qui vix oſſibus hærebant, binaque ex numero pluribus adduxi notabilia exempla ſect. III. cap. II. §. 28. Subjunxi decoctum Corticis peruviani cum melle, quod in pertinaci pectoris catarrho jam in phthiſin vergente aliis agendis actis, aliquoties pulcherrimum deprehendi. Quid vero hic ſperandum de Opio? Sane egregius ejus uſus in tuſſi catarrhali Sect. III. c. 2. §. 27. jam apparuit, atque ad Phthiſin catarrhalem ejus ſæpe filiam, omnino applicari, et extendi debet. Neque opus eſt, ut ibi dicta repetam, cavendum ſaltem ne illi fere ſoli omnis medela committatur, atque præter diaphoreſin, quam omnino ciet, aliæ ſumme neceſſariæ revulſiones negligantur. Unus teſtis inſtar omnium hoc

h) *loc. cit.*

i) *Theatr. tabid. c. 29.*

k) *Cent. II. obſ. 61. 78. & Cent. IV. obſ. 92.*

l) *Cent. III. obſ. 38.*

m) *de morb. milit. p. 180. edit. germ.*

n) *pag. mihi 44. in Phthiſiologia.*

o) *p. 73.*

p) *de morb. milit. Part. III. c. 3. p. 178.*

hoc in argumento valet Cl. MORTONVS, [n]) qui ſi catarrhus vel minimum gradum caloris hectici habeat coniunctum, frequentem uſum opiatorum admodum eſſe neceſſarium dicit, idque non tantum ad quietandum pulmones, jam continua tuſſis agitatione calefactos, verum etiam ad temperandam et demulcendam totam ſanguinis maſſam. Quanquam vero calorem minime imminuat calidum opium, nec reſtinguat; quanquam etiam inter demulcentia acre opium fervorem potius et prurientem acrimoniam ſanguini inducens referri nequeat, adeoque ad temperandum eum nil valeat, catarrhi interim intuitu non repugno, quem vero opio adjutus curare mallem, antequam caloris hectici ſocietatem ſibi adſciſcat. Melius placent, quæ Vir laudatus alibi habet, [o]) quando incraſſantia & opiata prudenter exhibita humoris novi in pulmones influxum pro tempore ſaltem inhibere, jamque impacti concoctionem multum promovere ſcribit; id quippe quomodo fiat, explicui, dum de tuſſi catarrhali exponebam. Plaudo quoque Cl. MORTONO Opium, pulmonibus quietem a tuſſi conciliando, efficere aſſerenti, ut vires naturales illi recuperent, et plurimum confortentur. Nolo plura ex egregio ejus opere huc trahere, ablego potius lectores meos ad caput VIII. in quo fuſius medelam catarrhi pulmonalis phthiſin invitantis tradit. Non ſine ratione ibidem præter VSem (cui etiam ſoli multum in tuſſi catarrhali, ſollicite Medicis obſervanda, ob Phthiſin quam minatur, et eapropter mature curanda, tribuit PRINGLE [p])) emetica, cathartica, diaphoretica, veſicatoria et pectoralia varia, ſæpius opium multiplici reſpectu mirifice collaudat, adeo quidem, ut ſine opiatorum uſu nil magni momenti in præpediendo hujus morbi progreſſu fieri poſſe contendat. Maxime vero pro diaphoreſi mouenda Opium adhiberi vult, quod cum alia diaphoretica ſerum per pulmones fortius moveant, et tuſſim exſtimulent, hoc durante ſudore pulmones quieſcere faciat, et tuſſi pacata, blan-

dius

dius lymphæ rivulos a pectore divertat. Atque cum ſæpius memorato MORTONO prorſus facit WEDELIVS,[q] quando non in genere, ſed ſpeciatim in illa Phthiſi, quæ provenit a καταῤῥοπῇ humorum acrium & ſalſorum in pectus, optimum eſſe Opium dicit, ſublata hac ceu cauſa, effectum tolli aſſeverans. Inter recentiſſimos Autores Cel. YOUNG[r] tabem pulmonalem, quæ catarrhum toties inſequitur, laudano in catarrhis adeo egregio, optime præcaveri poſſe aſſerit, licet id vaſis pulmonicis jam obſtructis, et diatheſi phlogiſtica laborantibus ſit noxium. Omne hoc in Praxi rerum uſus docet, beneque ego recordor multarum tuſſium catarrhalium diuturnarum, et habitualium, tabemque minantium, Manna, lacte, Opio, cortice peruviano, a me ſanatarum, VSe in ſubſidium ſtatim vocata, opio autem aut non, aut circumſpecte adhibito, ſi febris qualiscunque accederet. At vero ſollicite etiam inculcandum eſt, in catarrho a materia acri tenui pendente, pulchre equidem prodeſſe opium, non æque, vbi lenta & copioſa pituita pulmo eſt obrutus. Si talis a catarrho diuturno collecta eſt in reſpirationis organis et faucibus, ob glandularum, quæ his partibus ſunt, debilitatem penſitandum eſt per Sect. Iæ Experientiam XIII, Opium excretionem per aſperam arteriam retardare, & liquida ibi hærentia magis inſpiſſare. Caute igitur tum dandum eſt, maxime ſi tuſſis non multum urgeat. In ejusmodi rerum caſu oxymel ſcilliticum, polypodium, manna, camphora maſticata, cortex, myrrha, nux moſchata, olibanum maſticatum, abluitio capitis cum aqua frigida laudatur in diſſertatione citata Göttingenſi, ſed omnia opiata omni modo diſſuadentur. Convictus de eorum damno ab his cavendum eſſe aſſero, laudata cætera laudo, ſola frigida aqua excepta, cum in hujus ipſius diſſertationis Principio doceatur, catarrho ſubjectos non poſſe ferre frigus, ſed tanto melius ferre calorem. Non ſine ratione HIPPOCRATES frigidum nervis, cerebro, medullæ ſpinali inimicum eſſe declaravit.[s]

q) *Opiol. p. 112.*

r) *c. 21.*

s) *lib. V. aph. 18.*

TRALL. *Uſ. Op. S. IV.*

§. V.

*Curatio Phthiſeos a Tuberculis.* Nunc accedo ad illam Phthiſin, quæ tuberculis iisdemque adhuc crudis et frigidis, ſive quod utplurimum fit, a prægreſſo catarrho habituali, ſive alia de cauſa per vitia potiſſimum diætetica enatis, fovetur. Namque quando, ut WILLISIVS t) loquitur, ſanguis in præcordiis non libere circulatur, neque aëre accedente ſatis animatur, vitioſus & ἀτρόφιμος reddi omnino debet. Tubercula nempe continuitatem perpetuam circuitus ſufflaminando turbant omnem functionem pulmonum, qua chylum advectum ſubigunt, attenuant, ejusque transmutationem in ſanguinem promovent, quaque humores omnes transpreſſione jugi præparant, ut minutiſſima vaſa corporis intrare queant, in quibus nutritio potiſſimum ſuccedit. Solvenda igitur ſunt, ſi fieri poteſt, tubercula, incidentibus et attenuantibus pharmacis, quæ tamen cum illa fere extra circulationis leges locentur, non adeo facile votis ſatisfaciunt; neque promiſcue omnia adhiberi poſſunt, ſed perpendi debet antea, an febris manifeſta jam adſit, tunc enim ab omnibus utcunque acribus ſollicite abſtinendum eſt, quæ alioquin multum boni promittunt. Memini pilulas ex ſapone, gumm. ammon. fuligine, ſquilla, cum ſuperingeſto melle me dediſſe, non ſine ſucceſſu ægris, diu ſicca fere tuſſi afflictis atque de calore veſpertino & nocturno nondum conquerentibus, talesque ex gumm. ammon. fl. benzoës, croco et balſamo peruviano laudatas invenio apud MORTONVM; u) pilulas ex ſapone, gumm. ammon. et ſquilla, cum parvis & repetitis VSbus, placere quoque video Cl. PRINGLIO. x) Recordor etiam tabeſcere incipientibus & tuſſi ſicca diuturna laborantibus, quam inter ſigna tuberculorum crudorum recenſet MORTON, quaque præſente ſuſpicionem naſci de præſentia eorum dicit BOERHAAVIUS, y) cum fructu exhibuiſſe ſuccum recentem endiviæ, cichorei, ſonchi, lactucæ, taraxaci, hepatis obſtructioni pertinaciori alioquin reſerandæ aptum. Eo majori fiducia dein-

t) *loc. cit. p.* 46.

u) *p.* 86. 87.

x) *de morb. milit. p.* 179.

y) *lect. de Calculo p.* 126. *edit. Götting. ſecundæ.*

deinceps confugi ad hæc remedia, poſtquam ſolo ſucco graminis recenti, cum melle, diæta liquida & vectione in equo, vacuo ſtomacho tolli ſæpe ejusmodi malum, ſcripſiſſe BOERHAAVIVM [z]) animaduerteram. Multum virtutis adſcribit MORTON [a]) aquis chalibeatis, quas tamen abeſſe jubet, ſi calor hecticus notabilis adfuerit, potiusque tunc lacteam diætam et lac aſininum præcipue extollit. Dedi olim ferratarum acidularum virtutem in his caſibus non expertus, fœminæ macilentiſſimæ ſanguinisque acris & feruidi notas in facie gerenti, ac ob tuſſim ſiccam noctes inſomnes abſumenti, cum aliquis Medicus ipſi acidulas Spadanas commendaſſet, conſilium, de potandis potius aquis ſelteranis cum lacte, pulchre gnarus et hecticum calorem, quo jam laborabat, harum potui non repugnare, martialibus omnibus pulſuum ictus accelerantibus, & calorem corporis augentibus, ut apud puellas chloroticas evenire ſolet. Illa abſoluta curatione diu ſat bene ſeſe habebat, durante vero ea aliquoties parvulos rotundos lapillos ac vomicas parvulas fœtentiſſimo pure plenas tuſſi rejiciebat. Pulchre vero etiam ſeſe gerere conſuevit limpidiſſimum & dulce lactis ſerum, quod remoto caſeo elegantiſſimum eſt ſolvens et attenuans. Id quidem ſi lac ipſum ob Ventriculi imbecillitatem ferre haud poſſet æger, longe præferrem aquæ lactis deſtillatæ, quæ nil niſi effœta aqua ſimplex eſt, licet MORTONO placeat, jusculisque gelatinoſis ex cancris, aſtacis limacibus, piſcibus, caponibus, porcellis, ab eo in acetoſo ſanguinis ſtatu, gratis certe ſuppoſito, commendatis. Semper ægri a pulmone male affecto in tabem vergentis ſanguis in alcaleſcentem ſtatum pronus eſt, quare gelatinas omnes, ex animali regno, per ſolum calorem aëris ſat cito ſæpe alcaleſcentes, curioſa licet arte concinnatas, et inter arcana familiarum honoratiorum reſervari ſolitas, obeſſe potius talibus Phthiſicis, quam prodeſſe pronuncio. Poſt ſuccum millepedum ſæpius a citato MORTONO laudatum experiri operæ pretium eſſet, an aqua

z) *loc. cit.*

a) *cap. IX. martem multis laudat Deſault de la Phthiſie. p. 380.*

 calcis

calcis vivæ Anglis alios in fines in Phthiſi adhiberi ſolita, reſolutioni calculorum pulmonalium æque par foret, ac renalibus & veſicalibus ſolvendis apta inventa fuit per experimenta Clariſſimorum Virorum ROBERTI WHYTT, ALSTON & BVTTER. Neque forte ſemper alienum foret debitis cautionibus, ſat cito & nulla febre & colliquatione humorum ſeſe manifeſtante, periculum facere cum Mercurio, quem extollit DESAULT, [b]) aut ad minimum alterans pharmacum Edinburgenſium ex mercurio dulci & ſulphure antimonii invicem diu tritis paratum, in ſubſidium vocare; maxime cum inter tuberculoſam phthiſin & ſcrophulas magnus detur nexus, ſcrophulas vero ejusmodi remedio per aliquod tempus continuato curaverit Ill. HUGO, [c]) id quod ipſe Hugonem ſecutus aliquoties pulchre ſucceſſiſſe vidi. Durantibus autem his intentionibus de ſolvendis tuberculis, ad quas obtinendas multum faciet motus corporis & equitatio, nil adeſſe, quod Opii uſum urgeat, facile conſtabit genuinam medicationem cordi habentibus, niſi forte nocturno paregorico tuſſim nimis importunam compeſcere e re viſum fuerit. Ipſum MORTONVM directe in hoc morbi ſtudio nullibi opiata commendare niſi ad placandam tuſſim, et ad emergentem forte ſub cura lactis diarrhœam coërcendam, Lectores illius deprehendent.

b) *p. 380.*

c) *vide Acta Edinburg. a Werlhofio latine verſa p. 26.*

§. VI.

*Therapia Phthiſeos ulceroſæ.*

Sequitur jam Phthiſis pulmonalis, manifeſta febre hectica ſtipata, quæ vel a vomica majore, hæmoptoes & peripneumoniæ male terminatæ ſobole oritur, vel pluribus parvulis vomicis et ulceribus, ex tuberculis crudis, inflammatis ſuppuratis cancreſcentibus tandem enatis, ſuam geneſin debet. Prior morbi facies in ſe quidem ſat triſtis, tamen fere felicior obſervatur in Praxi, quam poſterior. Equidem pulmonalis Vomica ſive circum circa grandeſcens, & pulmonis parenchyma abſumens, ſive pus ſuum exſpuens in thoracis cavum, ſæpe ſæpius miſeræ morti ægrum tradit; ali-

aliquando etiam ſubito crepans, & pleno rivo laryngem opplens, et obturans, improviſa ſuffocatione eum trucidat. [d]) Dantur tamen etiam caſus, ubi ejusmodi Vomica minore impetu pus omne eructat, atque per aſperam arteriam ejicit, cujus capſa, qua hoc continebatur, ſat denſa & calloſa fere exiſtens, liberam hactenus pulmonis ſubſtantiam ab infectione & exeſione præſtiterat; igitur nunc hac ratione ſimul & ſemel repurgato pulmone efficitur, ut æger quem nemo evaſarum ſperaverat in vadum locetur, & a morte vindicetur. Is autem eventus unice fortuitus eſt, namque in eum omnibus artificiis vel curioſiſſimis per inhalationes vaporum tepidorum, per victum mollem, per vectiones in curru & equo ſuſceptas, parum vel nihil potentiæ eſt, dum omnia hæc molimina tamen locum illum Vomicæ præciſe, ubi hæc in ſalutem ægri crepare debet, determinare, aliamque ipſius ſaluti minus proficuam futuram diſruptionem prohibere, ex voluntate & intentione Medici nequeunt. Præſtat interim rebus aliquando conclamatis Natura hoc beneficium, notanterque de eo ſcribit MEAD: [e]) *Vomica etſi morbus gravis eſt, & in tabem ſæpe deſinit, haud tantum periculi adfert, quam minores exulcerationes. Vidi enim, cum materiæ purulentæ usque adeo graveolentis, et fœtidæ, ut adſtantes cubiculum ferre non poſſent, libra una aut altera admiſto ſanguine tuſſi rejiceretur, tamen ægrum lacteæ diætæ et balſamicorum uſu, interpoſitis pro re nata anodynis, in integram ſanitatem reſtitutum fuiſſe.* Atque ego ipſe annotavi ſumme notabile huius rei exemplum, quod hic paulo fuſius referre operæ pretium eſſe judico. Laboraverat ab aliquo tempore poſt hæmoptoen aliquoties toleratam, anxietate & tuſſi, Illuſtris quidam Liber Baro, cumque appetitum cum ſomno magis magisque perire, & corpus prorſus marceſcere videret Uxor, perſuadebat ei, ut Vratiſlaviam ſeſe conferret, Medicorum conſilia ibi imploraturus. Vocabar cum Clariſſimo meo HAHNIO, uterque vero noſtrum triſti ſpectaculo

d) *Exempla vide apud Riverium cap. de Phthiſi.*

e) *Monit. med. p. 38.*

ctaculo videbamus eum vix oſſibus hærentem, pulſus ſemper micabat celer, ardebant volæ manuum, & pedum plantæ; alvus quotidie aliquoties ferebatur fluidiſſima, per totam noctem æger natitabat in ſudoribus, oedema ultra ſuras ad genua ſurgebat, vox erat rauca, defluere incipiebant capilli, paucis dicam, exceptis aphthis, aderant omnia ſigna conclamatiſſimæ phthiſeos. Tuſſis tamen clamoſa licet & frequens pauciora ſaltem ſputa ſubalbida, pituitoſa exprimebat; quare ulceris aperti notis abſentibus Vomicam ſubeſſe, imo vero ſymptomatibus adeo gravibus exiſtentibus, potius dextrum pulmonis lobum in ſaccum pure refertum abiiſſe credebamus. Poſtulabat compoſito animo æger, candide mentem noſtram de ejus ſtatu eloqueremur, neque ambigebamus per phoenomena omnia colliquationem ſummam omnium humorum conjicientes, palam edicere, atrocitatem morbi ultra omnes artis limites extenſam eſſe, parumque adeo vel nil potius ſpei affulgere, quodſi etiam nunc viam ſibi forte per tracheam pararet pus, atque ejus portio ſubinde tuſſi rejiceretur. Nos vero dum adynamiam artis honeſti Viri palam profitebamur, prodit inexpectatus ex pharmacopolio Machaon, atque veram pulmonis conditionem ignorante audacia magno promiſſor hiatu medelam ſe præſtiturum jactitat. Offert ægro conſervam roſarum crebrius ſumendam, & herbas pectorales dictas, cum aqua & lacte infundendas. Uterque noſtrum miſſione non impetrata, viſitandi officium detrectare nequeuntes, ſucceſſum & eventum rerum patienter expectabamus. Tres dies elapſi erant, ego forte præſens aſſideo lectulo, dumque æger moliminibus ſueto gravioribus tuſſit, ecce torrens puris ſanguine miſti ore effunditur, indicibili plane & plus quam cadaveroſo fœtore ſpatioſum ſatis, neque humile conclave totum ita implentis, ut teterrimam mephitin ferre neſcii ſervi, qua data porta aufugerent, ipſeque ſemilipothymicus vix par eſſem ad ægro porrigendam, quæ forte ad manus erat, pelvim. Hoc autem

officio

officio ipſi præſtito, dum elabi erubeſco, feneſtram ſaltem remotiorem a lectulo aperio, purioris aëris inſpirationem anxie expetens. Non ſemel deinde in mentem venit lecta olim apud HEVRNIVM [f]) hiſtoria fœminæ peſſime olente uteri profluvio laborantis, qui totus in teterrimum tabum eliquebatur, verbaque ejus quæ ibi habet mea faciens aſſeverare poteram, *quod nil fœtidius unquam olfecerim.* Adeo autem feliciter cedebat ægro meo putidiſſima hæc anacatharſis, ut ſtatim ad miraculum usque omnia phthiſeos conclamatiſſimæ ſymptomata evaneſcerent; ut is lacteæ diætæ & paucorum euporiſtorum beneficio, de die in diem melius haberet atque ad perfectam fere ſanitatem rediret, quam totam arrogans Medicaſter ſibi tribuebat. Nulla alia a tam atroci morbo nota manebat ſuperſtes, quam quod corpore paulo fortius moto, temporaria quædam anxietas enaſceretur, quiete brevi ſuperabilis. Atque ſane in hujusmodi fortunato rerum ſtatu, vomicæ tunica ſatis tenaci & pene calloſa exiſtente, pureque omni celerrime exantlato, ſine artis ope ſolus victus vegetabilis virium refectioni videtur ſufficere, qua impetrata ſanitas iterum adeſt, aliqua interim ob hiatum in pulmonalium vaſorum continuitate, reſpirationis difficultate reſidua. Interdum vero etiam ex vomica rupta aut ex pluribus pededentim crepantibus ſenſim expectoratur pus, malo, modo id ſangvinem non ingrediatur & contaminet, non ſemper lethali. Sanavi nuper Centurionem, qui poſt peripneumoniam a Chirurgo forte non bene tractatam, per multas hebdomades rejecit fœtentiſſimum pus magna copia, ſine febre tamen veſpertina notabili. Suaſi victum ſimpliciter vegetabilem, & praecipue lac, dedi pilulas ex ſucco liquir: myrrha, aloë, olibano, maſtiche, rheo, terebinthina, dein ſyr. balſami peruv. myrrham cum ſaccharo, balſamum de mecha cum vitello Ovi ſubactum, & mel. ita egregie convaluit poſt binos menſes medelæ impenſos. Sed & diu ſubſiſtere poteſt Vomica non ſanata in pulmone, atque quotidie

f) *in notis ad aph. Hipp. 56. Sect. V.*

die pus fundere, ægro per multos annos inter vivos nihilominus manente, modo ea ſit illius conditio, vt intra arctiores ſuos limites coërcita maneat, ſubſtantiamque pulmonis reliquam ſanam relinquat. Atque hanc phthiſeos faciem nemo quod ſciam accuratius pinxit WILLISIO:[g]) *Accidit interdum* inquit *ejusmodi ſive foveam unicam, aut forſan binas in pulmonibus efformari, easque circum circa parietes calloſos obtinere, ita vt materies ibi collecta in maſſam ſangvineam minime transferatur, ſed quotidie, tota copia licet ingente, evacuetur. Taliter affecti quaſi tantummodo fontanellam in pulmone haberent, ſputum etſi multum & craſſum, imo flavum, & quaſi purulentum, omni mane aliquando in toto die dejiciunt, tamen alias ſani degunt, bene reſpirant, comedunt, & dormiunt, ευσαρκεῖς aut ſaltem in modico corporis habitu perſtant, & non raro perſeneſcunt, hinc nonnulli dicuntur phthiſin per 30. aut 40. annos habuiſſe.* His, vt alios quosdam ex ægris meis, ita ſpeciatim duos medicinae doctores, bene mihi olim cognitos, annumerare poſſum, quorum unus hic Vratislaviæ, alter Landeshuttæ in Sileſia noſtra praxin non ſine laude exercebat. Hic ſexagenario, Ille ſeptuagenario major demum fatis ceſſit, hic infuſo Veronicæ fere pro potu ordinario per multos annos & ſtricta diæta, ille diæta parumper laxiore, ſaltemque ſi tuſſis increſceret, aliquibus pectoralibus pharmacis uſus.

g) *Pharmaceut. Rat. Part. II. Sect. I. Cap. VI. p. 48.*

Longe vero aliter comparatum eſt cum ulcere pulmonis, nullis limitibus conſtricto, cui petulanter quaquaverſum evagari permittitur, quodque adeo pedetentim pulmonis parenchyma exeſt, & pus ſuum abſorbentibus venulis imbibendum, & in omnem humorum oceanum ablegandum relinquit. Atque de miſeris illis ægris, qui tale in praecordiis geſtant, valent ea quæ verbis modo allegatis ſubjungit WILLISIVS: *Alii interim* inquiens *licet minus tuſſiant, & exſpuant, intra paucos menſes in febrem hecticam incidunt, ac breui in ſepulchrum præcipitantur.* Iam

meum

meum inſtitutum haud patitur, ut methodum qua opem ferre tali malo expediat fuſius exponam. Omnia molimina medentis ſive proficere poſſint ſive minus, id quod eheu ſæpius evenit, eo debent tendere, vt ſanguis, cuius maſſam perpetuo ingreditur pus, eam totam in tabum tandem ſoluturum, a corruptela hac muniatur; ut pus quod ulcus ſuppeditat, evacuetur per expectorationem, & diureſin; ut ejus ulterior generatio ulcus abſtergentibus, inque vulnus mutantibus, & conſolidantibus impediatur; ut vitæ viribus proſpiciatur benigniſſimis & tenuiſſimis nutrientibus, iisdemque talibus quæ puris ulteriori generationi ſua nativa dote favere nequeunt. Miſſis omnibus illis remediis, quæ his finibus unquam deſtinata ſunt, & adhuc deſtinari ſapienter poſſunt, VSe repetita, MEADIO [h]) & Edinburgenſibus medicis [i]) ad ſanationem ulceris proficua habita; aqua Calcis viuae BURLETO [k]) & ſequacibus laudata; medicamentis leviter & grate accidis, ſalſis herbis vulnerariis, lenibusque balſamicis BOERHAAVIO [l]) commendatis; fumis balſamicis BENNETO [m]) & GORTERO [n]) tantopere æſtimatis; Lacte & ſero lactis ab omni ævo, & mineralibus aquis cum lacte remixtis ſtudioſe ab HOFFMANNO, lacteque ebutyrato nuper demum a PRINGLIO [o]) magnifactis; miſſa tandem equitatione quam poſt SYDENHAMVM, BAGLIVVS [p]) & inter alios DESAULT [q]) mirum quantum deprædicauit, mihi ſaltem inquirendum eſt, an Opium uni vel alteri veræ indicationi therapevticæ quadret, quod ipſum a quopiam ſerio affirmari poſſe, vix crediderim.

h) *Monit. Med. p. 32.*
i) *Act. Edinburg. Tom. IV. No. 28.*
k) *Memoir. de l' Academie Royale des Sciences Anno 1724. p. 126.*
l) *aph. 1209.*
m) *Theatr. Tabidorum.*
n) *Med. dogm. Cap. de tuſſi paſſim.*
o) *de Morb. militum Part. III. c. 3.*
p) *Operum p. 523.*
q) *de la Phthiſie.*

## §. VII.

*Opium ulcus directo non curat, licet aliquando indirecte curationem juvet.*

Non mihi ignoratur, fuiſſe inter Veteres qui Theriacam & Mithridatium Phthiſicis exhibuerunt eo fine, vt Ulceris progreſſus præpediretur, idque ſiccaretur & callo obduceretur, vitaque hac ratione prolongaretur, quod ipſe ex eorum monumentis fideliter notat PISO, [r]) qui tamen cautionem addit, febre non valida exiſtente, talia ſaltem lo-

r) *de cognoſc. & cur. morbis lib. II. c. X. p. 388. 390.*

s) *Med. Indor. p. 83.*

cum habere. Novi etiam inter recentiores BONTIVM[s]) aſſerere de ſuo extracto croci, cuius opium præcipuum ingrediens eſt, quod pus incraſſando id habilius ad expectorationem reddat, quodque pulmones exulceratos conſolidet, & ad cicatricem perducat. Addere laudibus his bonus Vir non dubitat, ſe eo ſolo remedio multos jam deſperatos ſanaſſe. Non vero facile opinor aliquis, omnes dotes Opii ordine exponens probaturus eſt, eas directe deterſioni & conſolidationi ulceris reſpondere, licet nullus negem, ſi ipſa conſolidatio aliis remediis arte obtineri queat, ejus felicem ſucceſſum Opium aliquando multum promovere poſſe. Scilicet omnia detergentia et digeſtiva eo ſcopo ſaltem poſſunt exhiberi, ut eorum ope heterogeneitates ex ulceris ſinu removeantur, idque mutetur in purum vulnus. Sed tum ex oſtiolis minutiſſimis arteriolarum in hoc vulnus hiantium exudare debet liquor blandus, deperditam ſubſtantiam natura ſua reſtituere aptus, glutinationique & conſolidationi famulans. Haec ipſa vero nunquam ſuccedit, niſi ſimul quies concilietur illi parti, in qua fieri debet; ſine hac enim impetrata, elementa humoris advecti non poſſunt ſibi invicem cohæſione mutua jungi, quare ſolidorum regeneratio impoſſibilis evadit. In pulmone, qui per naturalem ſuam functionem nunquam quieſcit, conſolidatio tanto eſt difficilior, quando tuſſiculoſo motu, qui nunquam abeſt ab ulcere ejus perpetuo, & ſæpe ſat ruditer agitatur. Eaque propter inter ſummos Practicos BOERHAAVIVS[t]) in eiusmodi caſibus Victu conveniente præſcripto, de die danda ſuadet aperientia deterſiva, & veſperi lenia opiata, ut inanis titillatio ſedetur, ſomnusque & quies ægro concilietur, quo durante optime advehi queant laudabiles humores, ad ſanandum ulcus neceſſarii. Adeo vero huc facere uſum Opii contendit Illuſtr. van SWIETEN[u]) ut ſine eo aſperam tuſſim noctesque diesque quaſſare pulmonem, idemque tunc obtinere dicat, ac ſi ulceris externi ſuperficies omni momen-

t) *aph. 858. & 1210. & in materia medica utroque loco.*

u) *ad aph. 858.*

to

to perfricaretur, quo ipſo ſanationem neceſſario retardari, ſimul monet, cum molliſſima & pulpoſa renaſcentium vaſculorum ſtamina ſic deſtruantur, atque cruda, dolens, & inflammata reddatur tota ulceris ſuperficies. At vero non obſtante fructu eximio, qui ita obtinetur ab Opio pro ulceris pulmonici eam admittentis conſolidatione, re ipſa hanc id remedium non efficere, ſed per accidens ſaltem juvare, quivis rerum gnarus ex conſideratione eorum omnium, quæ protuli, facile intelliget. Igitur non morbo ipſi curando, ſed ſymptomati urgenti curationem impedienti ad tempus levando inſervire Opium conſtat.

Multo minus vero tum temporis, quando non unum ulcus majus, ab Hæmoptoe & peripneumonia prægreſſis, ſed plura minora adſunt in pulmonibus, iisque multifaria labes hujus viſceris jungitur, triſtiſſimæ ejusmodi rerum conditioni ſubvenire poterit Opium, cui levandæ nullum remedium ſufficit, cui ex omnibus notis ſelectiſſima, ſimul agere juſſa, opem adferre nequeunt. Quaeſo enim vos Medici experientiſſimi! ſi Vobis fingatis unius phthiſici ægri pulmones, ſimul tuberculis crudis, melleis, ſteatomatoſis, gypſeis, ſcirrhoſis, lapidoſis, inflammatis, ſuppurantibus, cancreſcentibus; vomicis hectis, ruptis, calloſis; ulceribus ſerpentibus, fiſtuloſis, putrilaginoſis, obſitos, quae vobis mens erit, ſi medicas admouere manus ruinoſo adeo viſceri juſſi fueritis? Non inquiram, quænam inter indicata & contra indicata pharmaca in tali pulmonum ſtatu potiſſimum eligenda ſint, neque exponam pauciſſima forte in remediorum univerſo apparatu dari, quæ dum uno reſpectu levamen forte adferre poſſunt, altero non nociva deprehendantur; ſufficit mihi, ex his denuo apparere, ipſi Phthiſi parum boni promittere Opium. Reſtat ergo ut indagem quid palliationi ſymptomatum urgentium promittat, quidque adeo ab illo expectari queat, ut morbus etiam incurabilis manens, & neci tandem ægrum tradens, tolerabilis tamen reddatur.

## §. VIII.

*Nec ſemper tuto ſympto-mata palliat, licet aliqui-bus ita videa-tur, aliis diſ-ſentientibus.*

Communis Practicorum non paucorum eſt opinio, Phthiſicis in genere omnibus, etiamſi ulcus non ſanet, ac cujusvis indolis labem in pulmone non in melius mutet Opium, tamen id urgentium & moleſtiſſimorum ſymptomatum reſpectu, multum conducere, nilque mali a crebra largarum etiam doſium exhibitione in ægros redundare. Quid enim in Praxi magis familiare eſt, quam Phthiſi laborantibus quotidie praeſcriptas legere formulas Opium modo ſic modo aliter indutum, exhibentes. Pauciſſimi forte medentum de poſſibili forte noxa inde oriunda cogitant, ſed plerique Opium tanquam remedium ſine pari conſiderant, de quo longa annorum experientia evictum ſit, quod plane eo carere phthiſi laborantes ad ultimam exſpirationem nequeant. Obſervationem *de innoxia Opiatorum continuatione* Miſcellaneis Nat. Cur. inſeruit Cl. LVDOVICI [x]) qua Phthiſicos deſperatos acciſorum Opiatorum continuatione, ſub debita tamen diæta, expectorantiumque vel attemperantium alternatione, per annum non unum, ſed plures ſatis hinc commode a ſe ſervatos memorat. Non minus Celeb. ETTMÜLLERVS ad CROLLIVM & HARTMANNVM provocans uſui mirum quantum patrocinatur. *Phthiſici ex pulmone* inquit *ſenſibile beneficium ab Opiatis recipiunt rite adminiſtratis: nam & ſordium copia exinde minuitur, non ſupprimendo easdem, ſed continuam regenerationem præcavendo, & eædem meliorem conſiſtentiam nactæ faciliori cum conatu expectorantur. Sane haud ſemel miratus ſum Phthiſicos etiam diutius ac per aliquot ſeptimanas continuum Opii uſum citra ullam ſenſilem vel notabilem noxam aut alterationem ferre poſſe.* [y]) At vero licet adeo bene de Opio ſentiat ETTMÜLLERVS atque conſentientem ſibi habeat DOLÆVM, [z]) aliter tamen alii cenſent, quos inter refero LENTILIVM, [a]) qui ad aliquot celebres Practicos provocans facile damnoſum, quin lethiferum evadere poſſe

x) *Anno IV. & V. obſ. 207.*

y) *diſſ. de Vi Opii diaphoretica Cap. I. §. 15.*

z) *Encycl. Med. lib. II. c. 4. p. 313.*

a) *Iatromn. p. 586.*

Phthiſicis uſum Opii aſſeverat. Data opera quoque GIDEON HARVEY b) dum varia remedia antiphthiſica irrita proclamat, Opiatorum noxas exponit. Atque noſtro tempore Cl. GEORGIVS YOUNG c) arctiores omnino limites Opiatis in phthiſeos curatione poſuit ſæpiusque nocere potius docuit, quam prodeſſe. Minus ergo quoad ſalubritatem, inſalubritatem, ac innocentiam Opii magnis Viris inter ſe conſentientibus, operæ pretium omnino erit, accuratiſſime inquirere, quando & quousque ad palliationem inſanabilis mali locum habeat. Docet miſeri morbi hiſtoria præcipua ſymptomata ejus eſſe febrem, tuſſim, anxietates, ſudores, diarrhœam, de ſingulis igitur agendum erit ſeorſim.

b) *in libro The Vanities of Philoſophy and Phyſik c. 9.*

c) *c. 21.*

§. IX.

*id quod probatur, ratione Febris,*

Febrem quod attinet, ut opium cauſam ejus Pus, hujusque acrimoniam non extinguit, ita etiam motum ipſum circulatorium auctum, & calorem inde natum, pulmonisque gliſcentem hinc inde inflammationem, quæ puris proventum quotidie generat, inhibere nequit, quod omne phœnomena generalia ab Opii uſu evenientia manifeſte loquuntur, quodque in Tractatione de febribus ſatis probatum dedi. Sane haud præter rem Cl. STAHLIVS d) febrem apud Phthiſicos Opio aſperiorem & inordinatiorem reddi, teſtatus eſt. Diſertis etiam verbis PRINGLIVS e) id calorem augere notavit, qui eidem maxime, & ut ſpecificum convenire lac ebutyratum edixerat. Non minus Cl. YOUNG f) ab eo augeri ſitim & nutriri inflammationem aſſeruit. Vidi ego multoties, quando tuſſis vehementia adhibitionem opii ſevere urgebat, febrem veſpertinam & nocturnam manifeſte intenſiorem redditam. Doleo hæc ſcribens vices nobiliſſimæ fœminæ, quæ calorem & tuſſim æque horrens, adamatis ſuis pilulis de ſtyrace, hanc ad tempus pacat, dum ille ad leve delirium increſcit. Atque huic adeo febri etiam cortex peruvianus, ſolis intermittentibus & ex earum genere continuis, ſanandis deſtinatus, neutiquam convenit, licet

d) *diſſ. de Phthiſi c. 7.*

e) *de morb. milit. edit. germ. p. 182. & 180.*

f) *c. 21.*

cet a Practicis numero pluribus, hic loci, & alibi, eum adhiberi norim. Nunquam vero aliquid boni inde obſervavi, quin ſat dives redditus ſum notitia ægrorum phthiſicorum, qui ex aliorum honoratiſſimorum Collegarum potius, quam meo conſilio ad jugulandam febrem corticis largiſſima quantitate uſi ſunt, febre nihilominus eos ad tumbam usque comitante. Sæpe ſæpius igitur miratus ſum Viros ſummos BAGLIVUM,[g]) BOERHAAVIUM,[h]) SWIETENIUM,[i]) WERLHOFIUM,[k]) DESAULT,[l]) MEADIUM,[m]) PRINGLIUM,[n]) aliosque, nondum corrigere potuiſſe Practicos, corticem phthiſicis febrientibus irrito conatu porrigentes, abuſuque ejus damna potius, ut anxietatem, & difficiliorem reſpirationem, febris ſperatæ fugæ loco inducentes. Vidi poſt jugem decocti corticis ſaturati uſum, manente febre, quæ in peripneumonicam abibat, ſuppreſſum ſputum, & miſerabilem inter ſummos angores mortem in fœmina juvencula. Neque etiam licet febris phthiſi ſuperveniens manifeſte cum frigore invadat, & intermittentis typum ſervare videatur, corticis uſus feliciori ſucceſſu pollet, ut aliquoties & his diebus dum hæc ſcribo, in Comite Juvene, qui ſepoſito cortice ab inductis auxietatibus liberabatur & ſtatim melius habebat, luculenter obſervavi, quicquid etiam boni ſibi ſub his conditionibus a cortice MORTONUS[o]) promittat. Aliter autem comparatum eſt cum illa phthiſi, quæ non febrem ſibi ut ſymptoma adſciſcit, ſed ex febre prægreſſa, eademque praecipue intermittente exoritur, magnumque metum incutit, ne hecticam febrem & mortem accerſat. Hanc Phthiſin quod egregie MORTONUS[p]) & ex eo WERLHOFIUS[q]) notat, non ſaltem optime, ſed & unice curat peruvianus Cortex.

g) *Pr. Med. lib. II. c. 3. §. 4.*
h) *aph. 767.*
i) *Comment. ad hunc aphoriſmum.*
k) *in obſerv. de febribus.*
l) *diſſ. ſur les maladies veneriennes, la rage & la phthiſie p. 373.*
m) *monit. med. p. 24. 30.*
n) *de morb. milit. edit. germ. p. 182.*
o) *Phthiſiologiæ c. 10. pag. 101. 103.*
p) *Phthiſiologiæ lib. III. c. 12. p. 171.*
q) *obſerv. de febribus p. 54.*

## §. X.

*Tuſſis,*

Sequitur Tuſſis, quæ ut alibi ſemper, ita & hic, ab irritata interna bronchiorum tunica excluditur. Hanc vero vellicat pus, in bronchiorum exeſorum & laceratorum cavitates

tates depoſitum, vel ſua copia & lentore, vel acrimonia, per ſtagnationem & moram acquiſita. Interdum vero etiam advectus chylus pergere libere per pulmonum parenchyma hiulcum & labefactatum neſcius, ſua copia, & viſciditate, irritationem nervoſorum villorum producit. Negari nequit, antiquiſſimo jam tempore, pro mitigando hoc moleſtiſſimo ſymptomate miſeros ægros omnibus viribus exuente, atque ſæpe per integras noctes vix per ſemihorulam ſomni delicias ipſis indulgente, papaveracea & diacodiata adhibita fuiſſe. Atque hæc methodus a majoribus ad poſteros & ad noſtra usque tempora translata eſt, pauciſſimosque inveniendos fore hodie Medicos crediderim, qui quotidie verſus noctem pilulas de cynogloſſa, aut de ſtyrace ægris ſuis non exhibeant, quique anodynum veſpertinum pertinere omni modo ad veram Phthiſicis medendi methodum, ita intus non convictos ſeſe ſentiant, ut dubitare de uſu aut diſſuadere eum velle, rem paradoxam plane & Practico indignam habeant. Magnum ſane valorem habere videtur vel ſolum Conſilium BOERHAAVII [r]) *Tabidos*, inquientis, *ab eroſo pulmone ad omnem halitum tuſſire cernimus, & malum tuſſi redditur pejus, quia locus ulceroſus perpetuo raditur. Si hæc tuſſis durat per noctem, exiguum quid pituitæ exprimitur, detur unum granum opii, nulla fit tuſſis, & pacate dormiunt, ſed mane expectorant drachmam unam vel alteram puris.* Ipſe ego inceſſi ad tempus hoc tramite, ſed aliter cogitare incepi, veram indolem tuſſis phthiſicæ contuitus, eamque curatius expendens, ac urgentiſſima monita graviſſimorum Virorum circa Opium porrigendum animo trutinans, eaque ſat ponderoſa deprehendens. Cum in chyli viſciditatem, inque copiam, lentorem, & acrimoniam puris, nil queat Opium, adeoque veras cauſas tuſſis phthiſicæ intactas relinquat, ac ſolum motum ſaltem ad tempus inhibeat, relictis cauſis, rejectionemque adeo præſentis puris ſuſpenſo irritationis ſenſu retardet, id nil boni poſt ſe relinquere poſſe, facile colli-

r) *de Morbis nervorum p. 449.*

gere

gere potui. Scilicet ea propter oppletioni pulmonum diſpnoeæ, anxietati, ſuffocationis interdum metui, neceſſario illud anſam dare, auctaque ſimul per moram puris acrimonia efficere, ut exſpirante ejus actione poſtea fortior redeat tuſſis, vel ut reditus ejus ob ſenſim collectam rejiciendorum copiam aliquando iterum exoptetur, & arte procurari debeat, clariſſime intellexi. Hunc ambiguum uſum Opii intelligens, ſæpius quando cum ægris docilibus, & ſat patientibus mihi res fuit, atque quando aliorum Medicorum forte mecum omnes has circumſtantias non æque penſitatione dignas habentium acceſſus, pilularum opiatarum uſum tanquam abſolute neceſſarium haud habuit, diu miſſum feci tale pharmacum, attentusque ad ægros alios ipſo largiter utentes, meos ſæpe ſine eo melius habuiſſe, & ſi moriendum tandem erat, placida magis analyſi gaviſos eſſe obſervavi. Vix credi poteſt, quantum victus tenuis, & pro una vice modice captus, potusque tenuis et demulcens, efficere queat, ad morbum etiam inſanabilem, tolerabiliorem reddendum, et ad tuſſis ipſi junctæ ferociam mitigandam. Lac cum pauco pane ſimilagineo, cremor hordei dilutus, oryza lacte incocta, cibus albus Fulleri pro cibo, decoctum hordeaceum, hydrogala, Emulſio tenuis amygdalina pro potu, ſæpe plus fere præſtant in tuſſi phthiſicorum, quam Opium ipſum. Hæc enim & ſimilia parcius & crebrius aſſumta, nunquam nimium & lentum chylum invehunt pulmonibus, nunquam permittunt, ut pus viſcidum nimis & acre reddatur, ſicque omnino facilius neceſſaria expectoratio ſuccedit, ſtimulo ſimul ad tuſſim rariore reddito, & inani multum infracto. Neque tamen nocuerit, addidiſſe his ſyrupum papaueris albi, & de meconio, non unice ſopiente, ſed & demulcente & ſaponacea virtute donatos; nolim etiam prorſus ubi tuſſis eſt ſummus impetus, repudiare opium, affirmo ſaltem, largiores doſes ſemper nocivas, refractas ſine diæta congrua, de qua verba feci, parum utilitatis allaturas fore. Atque hoc ipſum bene

ſcivit

ſcivit Cl. STAHLIVS: [s]) *Miſerum,* inquiens, *per horulam forte ſolatium ab Opio, ſi fortius aut ſæpius detur omnia pejora, febris imprimis vires quaſi ruina labentes irrevocabiles; ubi opus eſſe videtur anodyno præſtat MP. de cynogl.* Atque alibi Opium impoſturæ inſimulatum, *neque affectui ipſi, neque ſimpliciter directis ejusdem effectubus, nempe ſimplici veræ irritationi tuſſiendi, neque materiæ, quæ ſtimulat, & quæ corrupta collecta eſt, ullo modo ſatisfacere* dicit, *ſoli ſenſationi ſtuporem incuti, ulceris neceſſitatibus non proſpici, & materiæ excernendæ motum excuſſorium inhiberi* ſimul affirmans, *unde infarctus, atonia pulmonum, virium lapſus, mors inſequatur.* Non hæc afferta ſaltem olent præjudicium, & Opio juratum odium, quo laboraviſſe STAHLIVM aliquis prætendere poterat, ſtahlianizant quippe hac in re Medici multi, qui aliam prorſus morborum theoriam, aliam in multis medendi methodum ſuam fecerunt. Dederat RIEDLINVS [t]) Aegræ phthiſicæ varia medicamenta, quæ levando malo paria judicaverat, ſine Opio, et ipſa non ita male ſe habuerat. Poſtulabat ægra vero catarrhum pectoris potentius inhibiturum aliquod remedium. Præſcripſit ergo 5. pilulas de ſtyrace. Sed tota nocte pejus habuit, non dormivit, anxieque reſpiravit, rediit igitur lubens ad priora remedia, & melius iterum habuit. Addit RIEDLINVS, qui obſervationem ſuam inſcripſerat: *Pilulæ de ſtyrace Phthiſicæ parum conferentes,* hoc epiphonema: *diſce exinde, quam cautos nos gerere debeamus in dandis opiatis, in ejusmodi morbis.* Summi opinor valoris hic ſunt monita MORTONI, Amatoris Opii, & ſat largarum ejus doſium, & hoſtis jurati Phthiſeos, cui pro virili omnia præſidia oppoſuit ipſe, & opponi docuit, in ſua Phthiſiologia. Diſtinguit egregie Vir Clariſſimus Morbi tempora, horumque intuitu experientia fretus fidenter affirmat, quod licet opiata in toto curationis phthiſeos decurſu ſint utplurimum aliqualis uſus, in principio tamen morbi magis quam in ejus progreſſu ea proficua & neceſſa-

s) *de Phthiſi diſſ. c. 7.*

t) *Cur. med. No. 916.*

u) *lib. II. c. 8. p. 81. 82.* ria eſſe. [u]) Atque quanta circumſpectione adulto jam morbo danda velit opiata, exinde apparet, quando de illis in tertio ejus ſtadio uſurpandis, ubi ulcera pulmonis aperta ſunt, ita mentem ſuam exponit: *Si tuſſis & vigiliæ vehementer urgeant, capiat etiam æger aliquando hora ſomni gt. Xij laud. liquid. Helmont. opium tamen in languido hoc ſtatu caute, manu parva, & debitis intervallis exhibendum, neque quidem omnino absque urgente neceſſitate, ne cum artis medicæ opprobrio mors ſubita & inexpectata ſuccedat.* [x]) Atque aliquibus interjectis denuo ſequentia inculcat: *Tuſſis, et quæ inde pendent continuæ vigiliæ, non ſine Opii uſu relevari poſſunt, in hoc vero extremo languoris gradu, caute parce & non ſine evidente neceſſitate concedi debet, ſiquidem ab infarctu pulmonum inde effecto reſpiratio inſigniter anheloſa inſequi ſolet, pulſus debilis & mentis vacillatio una cum extremorum frigiditate, ita ut æger cum Medici tum ipſius artis opprobrio non tam mori, quam trucidari videatur.* [y]) Cum MORTONO ad quem plus ſimplici vice provocat, prorſus facit exercitatus Practicus LENTILIVS. [z]) *In Phthiſi quacunque*, inquiens, *omnibus viribus eo niti debemus, ut ne expectorationem impediamus, fit autem hoc per Opiata. Hinc in vera phthiſi pulmonali ad ſiſtendam tuſſim, vel tollendas vigilias, remedium ſunt malæ fidei. Non curanda ſunt, niſi urgeant, ſymptomata, curandi potius morbi. Quin & ſi urgeant, nil tamen moliendum, quod morbum augere poſſet.* Nolo omittere WEDELIVM, [a]) quem ipſe LENTILIVS citat, tantoque minus quo magis alibi toties uſui Opii patrocinatur. *In phthiſi* vero *ab ulcere pulmonis dum inhibet & ſiſtit ſputum, periculoſam Opii exhibitionem* dicit, atque deinceps ita pergit: *Suffocantur inde ægri non raro, qui unum aut alterum diem ſupervivere potuiſſent. Reſpiciendum ſemper eſt ad expectorationem facilem, quamdiu illa bene procedit, prorogatur Vita phthiſicorum. Sin ſupprimatur Opiatis, doſi ordinaria exhibitis, noxa præſto eſt. Doſi vero minori refracta*

x) *p. 98.*

y) *p. 105.*

z) *Iatromm. p. 583.*

a) *Opiol. lib. II. ſect. II. c. 3. p. 112. 113. eadem leguntur apud Rolfincium lib. IV. Chym. in artis formam redactæ ſect. III. c. 6.*

*refracta commode in uſum vocari & cum aliis miſceri poteſt.* Tam parum autem talibus favet WILLISIVS, [b]) ut in phthiſi, quando Natura ad illud, quod moleſtum eſt & pectus gravat excernendum incitatur, ab Opio *haud minus quam aconito abſtinendum eſſe* dicat, *cum in tali caſu narcotica pondus amovendum augeant, figantque, atque partium, quæ illud amoliri debent, vires minuant.* Atque quod notari velim, ETTMÜLLERVS [c]) ipſe, licet Phthiſicos adeo bene ferre Opium edixiſſet, & alibi eos non languidiores, ſed robuſtiores ſaltem ad eorum ſenſum inde evadere aſſerat, tamen illos ſe non intelligere dicit, qui jam ad extremum gradum tabis perducti ſunt, & ſuprema ſpiritus difficultate laborant, ut ſubinde ſuffocandi videantur, quibus narcotica omnino futura eſſent necrotica. Doleo SYDENHAMVM morte præventum non dediſſe integram deſcriptionem Phthiſeos, ut aliorum morborum; interim in *Phthiſiologia Lancaſtrienſi* CAROLI LEIGH, quæ addita legitur SYDENHAMI Operibus *Genevæ* editis, quæque methodo ſydenhamianæ affini ibi conſcripta dicitur, ex opiatis copioſius ſumtis non niſi incertas inducias ſeſe adhuc obſervaſſe Autor pronunciat, atque urgente diſpnoea, etiamſi trachæa a catarrho titillante irritetur, opiata tamen ceu peſtem eſſe fugienda. [d]) BOERHAAVIVS, qui, ut ex loco in antecedentibus allegato conſtitit, Tuſſi opium omnino opponendum cenſuit, lac alibi fere prætuliſſe videtur Opio. *Tuſſis magna,* inquit, *cavetur lacte, ſemper aſſumto. Si aqua lacti admiſceatur, longe minus tuſſiunt, nam tuſſis oritur vel a pure craſſo, vel acri, chyloque craſſo. Si non juvat, tum opium cum prudentia dandum.* [e]) Interim tamen non raro Phthiſicis medicinam fecit BOERHAAVIVS, ſine opio. Ita nempe Juveni pulmone ſuppurato poſt exſcreationem cruoris laboranti veſperi remedium ex oleo amygd. Vitello ovi, gutlulis iij balſ. peruv. & Syrupo diacodii ſaltem, qui Opio longe mitior eſt, exhibuit. [f]) Illuſtris HOFFMANNVS equi-

b) *Pharmacevt. Rat. I. p. 190, 191.*

c) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente c. 3. §. 9.*

d) *c. 4. & 5.*

e) *in Commentario præter ejus voluntatem edito ad aph. 1212.*

f) *in Conſult. med. VIII.*

equidem pilulas de ſtyrace & cynogloſſa in refractiori doſi fructu non deſtitui docuit, magis tamen proficere edixit, ſi cum hauſtu lactis circa ſomni tempus offerantur. [g]) HEISTERVS tandem ad tuſſim commendat lac artificiale, emulſiones ex amygdalis & papavere, ſaltemque his non ſufficientibus lene anodynum. [h]) Inter recentiſſimos ſcriptores PRINGLIVS magna cum cautione ad tuſſim opium dandum dicit, quia facile expectorationem inhibere poſſit, hinc ubi inſomnes noctes æger ducit, illam ſedari, hanc nihilominus promoveri poſſe putat, ſi TRæ Opii gt. gt. XV. Oxymell. ſquill. ℥iß admiſceatur. [i]) Fateor vero ingenue, non bene mihi placere hanc pharmaci ſopientis & irritantis ſat acris miſcelam. Tuſſis poſcit ſopitum ſtimulum, oxymel vero ſcilliticum ruditer ſatis ſtimulat. Ergo utriusque remedii ſimul exhibiti actio inter ſe pugnat, & ſibi e diametro adverſatur, dubiumque ſemper manet, an ſopientis actio retundet cum cauſa irritante tuſſimque provocante actionem remedii irritantis, expectorationem movere iuſſi, an irritans potentius agens quam ſopiens, irritam reddat hujus actionem. Si actiones utriusque remedii fuerint inter ſe æquales, obtinebit neutra; ſi una per alteram tantisper cicuretur perinde erit, ſi exhibitum fuiſſet ſolum vel ſopiens vel irritans minore doſi, ſine admixto altero. Præſtabit opinor, cautum eſſe in exhibendo Opio, & ſi indicatum viſum forte mala fortuna nimis ſopiverit tuſſim, & cum ea ſopita nimis refrænaverit ſucceſſum expectorationis, per ipſam tuſſim proritatæ, deinde ſubjungere irritans expectorans, & tuſſim provocans, oxymel ſquilliticum. Ut nil diſſimulem, ſi omnia quam accuratiſſime agantur, vix unquam delicatulo & lacero pulmoni convenit acerrima ſquilla, niſi forte in ſummo ſuffocationis periculo, in quo præſtat exhiberi remedium anceps, quam nullum. Ego ſi ſputum ſit movendum ſemper præferrem balneum pulmonicum, ex aqua calida herbis aromaticis infuſa cum pauco aceto, atque intus exhibitum cum potu-

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 320*

h) *in Comp. med. pract.*

i) *de Morb. Milit. p. 182. edit. germ.*

potulentis calidis mel, quod aliquando magni nominis in Silefia noſtra Medicum aquæ calidæ miſtum per vapores inhalandum ægræ phthiſicæ minus appoſite conſuluiſſe memini, dum ſaponacea mellis virtus, quæ hic deſideratur, cum vaporibus non aſſurgit.

§. XI.

Sed redeo ad Opium, cujus infidos et noxios effectus neminem vivis magis coloribus pinxiſſe recordor, quam Cl. YOUNG. Ejus ſeriæ dehortationes vel ſolæ mihi cordatis & bonis Medicis ſufficere videntur, ut caute mercentur. Egregius hic Vir magis præcavendæ Phthiſi, ſi a catarrho immineat, quam præſenti levandæ & ſanandæ Opium deſtinat & penitus abeſſe vult, ſi hunc affectum hæmoptoë, difficilis reſpiratio, & febris comitetur. [k]) In vera Phthiſi ad tuſſim inhibendam, & vigilias impugnandas parum id valere, imo licet quædam incommoda ad tempus mitiget, alia accerſere & augere contendit. Quin dum ipſe Phthiſicis opii ope dormientibus aſſidens triſtem anxiæ naturæ imaginem ſic contemplatus eſt, nullo argumento alio opus eſſe Medicis affirmat, quod eos amore & fiducia in Opium exuat, quam ejusmodi ſcenæ ſpectatorem fuiſſe. Liceat mihi notabilia quædam ejus cogitata, quæ ſequuntur prægreſſis adhuc ſuperaddere. *Vidi*, inquit, *plures ægros pauperes, ſolvendo pretio narcotici veſpertini impares, qui ſine ejus uſu multa incommoda tulerunt, antequam materiam tuſſi rejicerent, poſtea vero ſemper quidem tuſſiebant, ſed expectoratio facilis & copioſa erat. Verum eſt, morbus ſuam indolem ſequebatur & terminabatur ægrorum morte. Sed moriebantur placide, & ſenſim, viribus animi ſibi conſtantibus, donec viribus corporeis exhauſti extinguerentur. Alii ex ægris ditioribus poſtulant conſopitionem tuſſis, ut noctu dormire queant. Opium ſolum hoc certo præſtat, itaque ad hos fines eo utuntur. Pergunt in uſu, augenda eſt doſis, ſomnus ſit turbulentus, per diem caput habent obnubilatum, & per ultimos vitæ*

*quæ ulterius conſiderata.*

k) c. 21.

 *dies*

*dies anxii reſpirant, memoria hebeſcit, incidunt in delirii ſpeciem, & nullum opium ipſos liberare poteſt a diarrhœa. Hi itaque moriuntur inquieti, & carentes vſu rationis. Opium re ipſa ſemper nocet, licet ad tempus proſit. Auget obſtructionem pulmonis, dum irritationem ulceris ſopit, velificatur inflammationi, & progreſſum ejus Medico abſcondit, viribus pollet inhibendi tuſſim, ſed auget illius cauſas.*

Audacter dico, quemlibet Medicum ſine praejudicio attentum, hanc rerum faciem diſcere poſſe, apud omnes Phthiſicos paulo liberalius præcipue opium deglutire juſſos; neque unquam aliam ipſum obſeruaturum fore, quam hanc, eandemque ſane ſatis deplorabilem. Propterea non ſine admiratione legere potui, epicriſin in diario britannico [1]) recenſioni tractatus Cl. YOUNGII annexam, atque ut facile conſtat ab Autoribus Opio valde faventibus profectam. *Omnia hæc vera ſunt* inquiunt, *quomodo autem ægri deſideria explenda erunt, qui levamen quamdiu vivit efflagitat, non vero a nobis poſtulat, ut de mortis genere cogitemus, quod ipſi ſubeundum tandem erit. Eadem hic valent quæ de cancro. Dicatur opium ſaltem inebriare & ſenſus obtundere, dolores interdum minuere, dum interea vitam breviorem reddit. Non repugnamus, quid vero juvat integer ſenſuum uſus, quando doloribus ſuſtinendis ſaltem vacat, quid juvat prolongare dies infelicitatum & miſeriarum. Verum eſt, datur philoſophia quæ nos jubet compoſito animo ſpectatores eſſe diuturni proceſſus tormentorum, quæ morte finienda ſunt. Sed ponatur, hanc Philoſophiam eſſe veram, certe tamen non eſt univerſalis, Medicusque ſæpius vocatur ad homines, quam ad ſapientes.* Ego vero quicquid ita colorata dictione proferatur, pro uſu opii militans, & Philoſophum, & Chriſtianum, & Medicum decere convictus ſum, ut cautus procedat parciusque potius quam liberalius opium praeſcribat. Novit Philoſophus, bonum apparens & temporarium nunquam appetendum eſſe, quando certum & grave

1) *Journ. Britan. May & Juin 1753.*

grave malum poſt ſe trahit. Novit Chriſtianus, non perinde eſſe, ſive ebrii inter inſomnia & phantaſmata, ſive mentis compotes, beneque noſtri conſcii, ſerium æternitatis iter ingrediamur, ſive ſupremos vitæ noſtræ dies veternoſi tranſigamus, ſive pœnitentes inter preces & ſuſpiria ultima momenta conceſſæ gratiæ noſtra faciamus. Novit tandem Medicus, nullum dari ſupplicium magis truculentum, quam repetitum inter angores indicibiles, ſuffocationis periculum. Huic vero Phthiſicum exponit Opium, non ſaltem illotis manibus tantum, ſed & ſine ſumma circumſpectione exhibitum. Omnis Anxietas, quæ magis ſumma moleſtia ſe ſentiri, quam deſcribi patitur, ſemper involvit reſiſtentiam cordi objectam, quo minus libere ſeſe queat euacuare. Quia igitur continuitate vaſorum in pulmonibus ſublata, & ipſa ſubſtantia eorum bonam partem abſumta, apud Phthiſicos ſemper adeſt in pulmonibus cordi adeo vicinis reſiſtentia, omni tempore aliquam anxietatem hi ægri experiuntur. At Opium omnibus hominibus per phœnomena Sect. I. Cap. II. expoſita, etiam ſaniſſimis pulmonibus gaudentibus, aucto circulo & expanſis humoribus reſiſtentiam pariendo, aliquam anxiam diſpnoeam parit, quare eam faciet ob easdem cauſas, tanto majorem, ægris & hiulcis pulmonibus exiſtentibus, & pro maxima parte imperviis, jamque præſentem neceſſario augebit. Deinde per effatum TVLPII[m]) Opium anguſto pectori eſt periculoſum. Phthiſici vero nondum Phthiſici diſponuntur ad hunc morbum plerumque per anguſtum pectus, & ampliore etiam donati, ſi jam phthiſici fuerint, conſiderandi ſunt tanquam homines anguſto pectore; adeoque patet, iis & ex hoc fundamento vere non convenire Opium. Sed ad opium ipſum, quod per ſe anxietatem parit, ad anguſtum pectus, ad laceros pulmones, accedunt adhuc aliæ apud Phthiſicos circumſtantiæ, quæ occaſionem dant anxietati. Ordinarie iis poſt paſtum hæc naſcitur, aut exacerbatur, quando novus

m) *in monitis medicis obſervationibus annexis no. 39.*

vus

vus chylus infunditur pulmoni, non diſtribuendus rite ob vias abſciſſas, neque libere viſcus hoc permeare valens; quoque major portio parenchymatis deſtructa eſt, eo difficilius, ſtagnans paſſim chylus, iter ſuum, quod decurrere debebat, poteſt abſolvere. Atque hæc anxietas tenui victu parcius pro vna vice ſumto, & diluentibus ſaltem levatur. Sed & intolerabilis anxietas naſcitur Phthiſicis, quando materies purulenta ſemper febre prævia generata, nimis accumulatur in veſiculis & cavitatibus exeſis, unde gravari debent neceſſario adjacentia vaſa, per quæ & ſine hoc pondere incumbente, ægre jam procedit ſangvinis circuitus. Hæc autem anxietas unice præpeditur, quando juſta copia generatum pus ſcreatu & tuſſi, quæ rejectionis medium eſt, expectoratur; quicquid ergo rejectionem liberam ſuſpenſa nimis tuſſi, inhibet, id neceſſario anxietatem auget. Quo magis autem parenchyma abſumitur ab ulcere, eo minor redditur pulmonalium vaſorum copia, per quae ſangvis adhuc ferri poteſt, eoque magis neceſſarium eſt, ut hæc ſint quam maxime ab omni incumbente pondere libera, aliter enim præceps præfocatio inſtat. Ideoque quo adultior Phthiſis, eo magis opus eſt expectoratione nullatenus inhibita, retento quippe ſputo, mortem inſtare, bene iam notavit HIPPOCRATES.[n]) Verum mors tunc inſtat ſatis miſera, namque id mortis genus Phthiſico erit placidiſſimum, quando libere utcunque per reſiduum vaſculoſi & veſiculoſi parenchymatis pulmonici, motus ſanguis, corde tandem debiliſſimo reddito, & ſua ſponte quieſcente moveri ceſſat; diriſſimum autem, quando cordis viribus utcunque ſuperſtitibus, puris copia comprimuntur vaſa, atque ſic ad circuitum prorſus inhabilia redduntur, impletæque pure nimis aggeſto veſiculæ, quæ aërem inſpirandum admittere adhuc potuiſſent, jam pure fartæ eum admittere nequeunt, quo ipſo pulmonibus expandi & conſtringi neſciis, tremendum inſtat & ſæpius innovatur, ſuffocationis periculum. Iam

n) *Sect. VII. aph. 16.*

Iam qui hæc capit colligat, an, quod aſſerere auſus eſt WILLISIVS [o]) per anodyna Phthiſicis ευθανασία procuretur, an minus. Sane ſuffocationem & miſerum illum rerum ſtatum quem depingit citatus YOUNGIVS ego quidem ευθανασίαν haud facile dixerim, qui vero Opio certo procuratur. Certiſſimum eſt, quo adultior Phthiſis, eo cautius adhibendum Opium, licet adultiora & graviora indies incommoda id poſtulare videantur.

o) *Pharmacevt. Rat. Part. II. ſect. I. c. 6. p. 55.*

§. XII.

Æque autem Phthiſicos ſæpe excruciat ſudor, ac tuſſis eos excruciare ſolet, quin hæc dum impetuoſius totum corpus concutit, dum nullam ægro feſſo et dormiturienti quietem, ſomnumque indulget, dum eum adigit ut ſæpe locum & culcitras, & pulvinaria mutet, ſudorem ipſum, effuſiore adhuc rivo, quam fluxiſſet antea, prorumpere facit. Valde foret optabile, methodus daretur certa, et facilis in Praxi, utrumque incommodum, quod conjuncta ſua protervia vires tanto citius exſolvit, ad tempus ſuſpendendi, licet omnino inſanabilem morbum ipſe ſudor loquatur, qui ſanguine omni per admiſſum pus in liquamen tenue ſanioſum ſoluto, tonoque vaſorum ob nutritionis defectum languidiſſimo, donec vita ſupereſt, coerceri omnino nequit. Scripſit AETIVS Tetrab. IV. Serm. I. c. 96. *Corpore aſſiduis ſudoribus diffluente & viribus exſoluto, cum ex vini potu ſæpe nil opis ſentiatur, theriacam potam ſudores ſiſtere, & vires concidentes erigere.* Patienter fero hunc optimi Viri lapſum, cui Theriaca erat remedium panchreſtum. At non ſatis mirari poſſum, ETTMÜLLERVM, qui Opii vim movendi ſudorem, quam Sect. I. c. II. Exper: XIII. evidenter commonſtravi, adeo bene cognitam habebat, ut de ea ſola elegantem diſſertationem conſcriberet, in eadem hac diſſertatione tamen aſſerere, opium Phthiſicorum ſudores valide compeſcere. [p]) Neque id aſſerit ſaltem Vir optimus, ſed exemplis additis experientiæ ſuffragio hoc ipſum corroborare nititur, ad quorum

*Sudoris.*

p) *Cap. III. §. 8. 9.*

rum lectionem quid cogitare debeam, ignoro, dum ſæpe ſæpius obſervavi, tuſſi placandæ deſtinatum Opium ſine reſpectu medentis ad ſudores, hos effuſiores conſtanter effeciſſe, quod ipſum Cl. YOUNGIVS diſertis verbis annotavit.[q]) Sane ſi unquam Opium ſudores ſupprimeret, id inter infrequentes ejus effectus cum Celeb. GEOFFROY[r]) referendum Medici haberent. Multam operam impendit ETTMÜLLERVS, ut contrarium hoc ordinario effectui phœnomenon explicet, dicitque apud Phthiſicos opium mutare ſpirituum texturam, ut tono fibrarum cutis conſervando melius ſufficiant, licet antea vim opii ſudoriferam in relaxatione fibrarum cutis poſuiſſet. Sed theoria hac precaria, quarum una alteram tollit, non opus erat, ſi ſaltem experientia conſentiret. Verum alii alia fuere experti, claris nimirum verbis ſcripſit PITCARNIVS.[s]) *Peccavit* ETTMÜLLERVS, *ubi ſudores nocturnos Hecticis opio adhibito depelli affirmat. Hic ipſe ſe feſellit, tuſſi enim ſedandæ aptum eſt opium, agitatione corporis immodica ſudores augenti, & ſi antihectico Poterii, ſali ſaturni & uti Medicis excellentibus mos eſt, pulveri Cort. peruv. adjungatur opium, tuſſim & ab ea excitatos ſudores imminuit, at ſi opium incomitatum hecticis tuſſi vacuis inferatur, ſudores ſemper excitat. Hoc ego volebam ne neſcirent Tirones.* Illuſtris HOFFMANNVS[t]) ſi a vehementia tuſſis contingat nimia ſudoris profuſio, lene & correctum opium ut MP. de ſtyrace & Wildeganſ. optime dari dicit; ad colliquantem vero aeſtum maſſæ ſanguineæ ſi hic cauſa ſudoris fuerit, minuendum Pitcarnium & Mortonum laudanum opiatum cum cortice peruviano præſcribere non vereri, recenſet. De PITCARNII ſententia jam locutus ſum, ſed apud MORTONVM, ſaltem ubi de relevatione ſymptomatum in tertio ſtadio Phthiſeos agit, nullam de Opio mentionem injectam invenio. Imo vero MORTONVS potius docet, quanquam ſudores magnum ſucci nutritii diſpendium faciant, atque ægrum in præcipitem

q) *de Opio c. 21.*

r) *Mat. Med. Tom. II. p. 696.*

s) *diſſ. de circulatione ſanguinis §. XI.*

t) *Med. Syſt. Tom. IV. p. 329. 330.*

cipitem tabem coniiciant, tamen violentam ſeri repreſſionem, vel ſurrectione intempeſtiva e lecto procuratam, nil levaminis adferre, cum ſerum hoc aliorſum in cavitatem thoracis & abdominis ruat, hydropem inducturum, vel ad glandulas inteſtinorum delapſum diarrhœam & dyſenteriam inducat. [u]) Quin ſudores hos tuſſi, vigiliis atque aliis u) *p. 61. 62.* moleſtis ſymptomatibus levamen præbere, ac neutiquam ſi moderati fuerint, eos arte ſupprimi debere monet, ne præcipue crucians & lethalis diarrhœa inſequatur. [x]) At x) *p. 106.* vero, ſi immenſi ſudores ſint, ita ut æger dormiens in undis & in fluvio jacere videatur, & expergefactus præ languore gradu aliquo lipothymiæ corripiatur, tum omnino opus eſſe concedit, ut arte minuantur. Verum hunc in finem ſomnum brevem etiam adſtantium diligentia impeditum, cordialia quædam terrea & adſtringentia, ſtragula parciora, aërem perflatilem, cubiculum amplum laudat, de opio prorſus tacens. Id certe ſi etiam ad tuſſim, quæ ſudorem copioſius exprimit, exhibere decerneret Practicus, cogitare debet, ſudorem non pendere a tuſſi, ſed a colliquatione, ſudoremque qui etiam ſine tuſſi fluxurus erat, ſaltem per tuſſim augeri, tuſſi vero etiam ſedata, non ceſſare interim virtutem opii diaphoreticam, quam exerit in omnibus hominibus id aſſumentibus, nequaquam tuſſientibus, neque ceſſare ejus virtutem intrinſecam rarefacientem & colliquefacientem humores noſtros, ex qua vel ſola phthiſicis non bene convenit. Infinities melius tum ſe gerit Emulſio diacodiata ſaturatior, cum decocto hordei & aquis analepticis parata, & tuſſi placandæ & æſtui moderando, & colliquationi impediendæ, & per reſtitutionem perditi viribus reficiendis prorſus par, nilque ex ejus uſu mali, nullum aliud æque grave, aut pejus ſymptoma metui poteſt. Hoc remedio ſæpius cum fructu uſus ſum, imitatus etiam PRINGLIVM [y]) aquam cal- y) *de morbis militum p. 180. edit. germ.* cis, cujus internum vſum ex WILLISIO, MORTONO, BVRLETO aliisque recentioribus jam didiceram, lacte re-

 mixtam

mixtam exhibui, cum ille colliquativos ſudores omnium tutiſſime ſic coërceri poſſe aſſeveret, neque defuit effectus qualis expectari poteſt in morbo tandem abſolute lethali. Aliquando lac ebutyratum levamen præſtitiſſe memini. Semper tamen medicamentis adjeci conſilium, de aëre paulo frigidiuſculo admittendo, deque crebra mutatione lecti & ſtragulorum, neque ſine omni fructu abluere juſſi corpus aqua ſimplici non prorſus frigida, cui ſuccum citri, vinumque rhenanum, aut vinum rubrum gallicum vel & pauxillum Spiritus Vini admiſceri feci, ad laxam vaſorum cutaneorum debilitatem aliquantiſper emendandam.

§. XIII.

*diarrhœa.* Supereſt tandem putrida diarrhœa, quæ a ſanguine per abſorptum, & in ejus oceanum perpetuo delatum pus penitus diſſoluto, inque acre ſanioſum liquamen converſo, vaſisque prorſus atonicis exoritur, quando hoc ad inteſtina ruens per glandulas in eorum cavum copioſius depluit. Tale alvi profluvium, quod a tabe detentis lethale jam pronunciavit HIPPOCRATES [z]) atque ſub quo tandem ut BAGLIVUS [a]) notat, ægri ſæpe in ipſo actu dejiciendarum foecum moriuntur, interdum eſt moderatius, maxime quando nondum adultum eſt, neque adeo gravibus doloribus ſtipatur. Tumque parte acrimoniæ irritantis a pulmonibus averſa, tuſſis per intervalla longiora ſilet, atque reſpiratio minus gravato eorum parenchymate, fere liberior obſervatur. In hoc caſu victu congruo & opio, quo nil magis alvum inhibere aptum eſt, pro rerum exigentia exhibito ægris conſulendum eſt. Parcius tamen ſub his conditionibus ipſe MORTONUS [b]) id adhiberi vult, & tertia ſaltem vel quarta nocte, cum ex ejus exhibitione pectus veluti gravetur, reſpiratio & expectoratio difficilior reddatur, atque Ventriculus nauſea afficiatur. Quodſi vero modum excedant dejectiones, ſi dolores complicentur, atque aqua putrida tanta copia tantaque celeritate ex inferiori gutture profluat, ac ſi

z) *Sect. V. aph. 15.*

a) *Operum p. 498.*

b) *lib. II, c. XI.*

inteſtina inſtar cribri pertuſa eſſent, vanus erit omnis apparatus medicinalis ſine opio, eodemque crebrius dato, quod quomodo omittere potuerint in hujus diarrhœæ medicatione ut alii ita LENTILIVS c) & SENNERTVS d) alia certe minus ſufficientia commendantes, non video. Valent potius hic ea maximopere quæ dicit MORTONVS: *Medicamenta opiata durante hac neceſſitate non tantum frequenter verum etiam liberali manu exhibenda ſunt, quia dirum hoc ſymptoma nullo alio medicamine relevari poteſt. Atque dum materia pulmones gravare ſolita aliorſum transfertur, & reſpiratio facilior præſtatur, nullum aliud præſens ſymptoma contraindicat. Igitur ægri ſine noxa & periculo in conuenienti doſi, opium ferunt.* Monet tamen Vir clariſſimus, poſt medicamenti opiati vſum, copioſius ingerenda eſſe expectorantia et lubricantia, ne materia dudum in pulmonibus fixa Ægri vires in expectoratione excedat. Inter opiata autem laudanum liquidum Helmont: & clyſma ex lacte ferrato cum roſis rubris cocto addito diaſcordio collaudat. Atque ea in re egregie conſentit BOERHAAVIVS, *Opium* inquiens *ſummum arcanum eſt, vbi metuitur diarrhœa colliquativa, ut in Phthiſi, ſi tum in tempore Opium non detur, ante mortem ægri diarrhœa diffluunt, quod quam crudele ſit, norunt illi, qui viderunt, quando maciletiſſima corpora vltra 40. vel 50. vicibus alvum deponunt, & ſic moriuntur, quod omnium optime præcavetur, parva copia Opii.* e) Sed & clyſmata opiata in ſimili mali genere commendat BOERHAAVIVS. f) Tale quippe ex vino rubro, aut lacte ferrato, terebinthina cum vitello ovi ſubacta, & theriaca proponit, dicitque, hoc remedium mane & veſperi per aliquot dies ſucceſſivos eſſe repetendum, & hac ratione plerumque curari illos, qui in mortis agone verſabantur, in fluxo alvino phthiſico eſſe optimum, ſemperque applicari debere, quando alvus aperta fuit, ſicque ad 24. horas diarrhœam ſopiri, maxime ſi & foris theriacalia applicentur. Intererit

c) *Iatromn. I. p. 186.*
d) *lib. III. Part. II. Sect. II. c. 6. p. 309.*
e) *in Comment. 722. ad vocem pacatione impetus.*
f) *722. ad vocem clyſmata.*

omnino, hic etiam appoſuiſſe ſuffragium Illuſtr. van SWIETEN [g]) *Opium*, inquit, *vel magnæ compoſitiones officinales, quas Opium ingreditur, lacte diſſoluta & forma clyſmatis injecta, quasvis fere alvi dejectiones ſiſtunt, dum ſic topica quaſi narcoſis inteſtinis inducitur, & acerrima tormenta ſæpe illico tolluntur. Dum uncia una theriacæ tribus vel quatuor unciis lactis dulcis diluta ano injicitur, funeſta illa Phthiſicorum diarrhœa, nullis fere auſcultans remediis, ſæpe ad aliquot horas compeſcitur, et repetito horum uſu fatalis funeſti hujus morbi exitus retardatur.* Plus ſimplici vice ad hanc ſacram anchoram confugiendam eſſe, & ego ratus ſum, dum interim ſemper dolebam miſerrimam vitam ægri etiam aliquando ingratiis protrahendam eſſe, tortorique morbo diutius excruciandam relinqui debere. Memini tamen bene, inter ardentia vota pro mea diuturna ſalute, deceſſiſſe fœminam phthiſi pulmonali ad incitas redactam, quod fatalem mortis horulam arte medica per aliquot dies in craſtinum ſemper diſtuliſſem. Miſere debilitata fuerat largiſſimis ſudoribus, clamoſa tuſſi, ac noctes ſine ſomno transegerat. Jungebat ſeſe triſti huic incommodorum gravium ſodalitio diarrhœa, eidemque brevi tempore incredibilem liquidorum copiam emungenti ſumma ſuperveniebat anxietas, ſimulque ſuffocationi quam proxima reddebatur miſera ſputo fere penitus ſuppreſſo. Exultaſſet, ſupremas has eſſe ærumnas a me audiens, atque dira hæc ſymptomata ſalvere juſſiſſet, ſi ſaltem rebus omnibus poſt fata gerendis ſatis proſpectum reputaſſet. At teſtamenti tabulis nondum ita conditis, compoſitisque, ut Familiæ bene conſultum eſſet, precibus enixe contendebat, ut ſi fieri poſſet, brevi ni anxietas & diarrhoea levaretur, animam acturam per aliquot adhuc dies ſervarem. Ego omnibus perpenſis ſuadebam, ut lac tepidum aqua dilutum parvis ſed repetitis doſibus caperet, quo ſine mora amiſſa liquida reſtituerentur, vaſaque vtcunque plena ſervarentur, acrimonia purulentorum humorum deliniretur, excoriata inteſtina mulceren-

g) in Comment. T. II. p. 394.

cerentur, ſtimulus ibi hærens obtunderetur, ſimulque tenax gluten in bronchiis ſtabulans attenuaretur, atque ad expectorationem aptius redderetur. Mirum dictu, quantum levamen inde ſenſerit; ſuadebam autem ſimul, ut vaporem aquæ tepidæ herbis aliquot aromaticis infuſæ infundibuli ope ore hauriret, a quo remedii genere brevi liberior utcunque reſpiratio, tuſſisque cum rejectione phlegmatum inſequebatur, ita ut protractum iri vitæ miſerrimæ uſuram, ſperare fas eſſet. Verum et diarrhoea urgens Medicum Cunctatorem non bene ferebat, cumque adſtringentia & anodyna ob pectoris conditiones valde inſecura haberem, credebam illi minus forte nocumentum eadem allatura fore, & profluvium alvi nihilominus æque feliciter coërcitura, ſi clyſmatis forma applicarentur, craſſis ſaltem inteſtinis, ex quibus non adeo cito itinere eorum vis ad pulmones pergere & expectorationem ſiſtere valeret. Ita ratiocinabar ceſpitans, & ancipitis caſus formidine ſuſpenſus. Igitur decoctum Corticis peruviani ſaturatiſſimum cum lacte præparatum ad 5 vel 6 uncias cum duobus Opii granis ano infundi, atque ſimulac una ſaltem vice aluo dejeciſſet ægra, repeti hujus enematis applicationem jubebam. Ita quæ DEI erat gratia, poſtquam bis facta erat applicatio, ultra nycthymeron urgentiſſimum malum dabat inducias, hocque ſpatio elapſo iterum, atque aliquoties dein ingruens eadem ratione ſeſe coerceri patiebatur. Atque hac arte ægra non poſt 2 dierum, ſed poſt 2. hebdomadum effluxum, voti ſui ſatis compos reddita, dum rebus ſuis pro hac vita bene providerat, abitum inter pias meditationes parans, debilius ſenſim reſpirando placide exſpirabat.

§. XIV.

*In Hydrope Opium a variis Practicis laudatur.*

Non equidem adeo ubique familiaris eſt Practicis Opii in Hydropis medela exhibitio, mirabunturque forte Lectorum meorum aliqui, me id remedium & ad hoc morbi genus extendere. Verum cum haud ignorem, dari Viros celebres,

lebres, datosque eſſe a priſco tempore, qui Hydropicos inde levatos ſcribant, nolui hoc argumentum negligere. Multum in hac ægritudine boni, moto præcipue ſudore adferre Theriacam, ſi recte adhibeatur, ipſe ANDROMACHVS Neronis Imperatoris Archiater, in illis verſibus heroicis docuit, quibus hoc a ſe perfectius et emendatius, ut exiſtimabat, redditum antidotum, cum ejus viribus deſcripſit. Inter alios Græcos deinde AETIVS [h]) dari theriacam hydropicis cum Siſari decocto, præſertim vero Leucophlegmaticis, quibus aqua inter cutim eſt, ſcribit, hosque eam generoſe juvare ſolere, monet, per totum corpus diffuſum undique ex carnibus humorem exprimendo. Laudatur etiam Opium apud SCRIBONIVM LARGVM; [i]) in hydrope arquato, ad proliciendam Vrinam. Recentiore ſeculo HOECHSTETERVS [k]) theriacæ uſum in hydrope exponere allaboravit, multosque Autores adduxit, qui ante ſe, illam in hydrope porrexerunt, et dein ipſe eam multis laudibus extulit. Fœminæ Anaſarca laboranti datum fuit validum purgans, quod vomitu & dejectione ſuum præſtitit officium repetitumque ea propter fuit. Deinde verſus plures noctes data eſt Theriaca cum Vino generoſo, hinc ſudor prolicitus eſt, qui poſtea ſine artis adminiculo fluxit, tumor deſiit, repetitoque adhuc purgante tota curatio fuit perfecta. Pertinet huc caſus a PLATERO [l]) annotatus, de hydrope Aſcite in Muliere. Hæc ventre prætumido, & pedibus inflatis, ex ejus conſilio uſa eſt ſingulis noctibus Electuario, ex Rob Ebuli, Sambuc. cum ſpiritu Junip. & ſyr. papaveris eo fine, ut ſudores vehementius moverentur. *Nam*, inquit, *experientia compertum eſt, Narcotica & Antidota opiata, Theriacam & Mithridatium ſudores provocare, unde verſus dilucu-lum vehementer ſudavit.* Deinde adhibuit vinum, in quo radices aperientes Cortex ſambuci & ebuli una cum abſynthio macerata fuere, ſicque tumor pedum et Ventris evanuit. Magis adhuc commemoratione digna eſt Hiſtoria, quam

h) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 96.*

i) *Comp. 126. p. 75.*

k) *Obſ. Med. Dec. III. caſ. I. p. 188.*

l) *Obſerv. lib. III. p. 615.*

quam BARTHOLINVS [m]) ſequentibus recenſet: *Aquam inter cutem in nobili noſtro Nicolao Gyntelbergio, Amico noſtro, nullo alio remedio mitiore per alvum, et lotium evacuare potuimus, quam laudano noſtro, quod in aliis omnes fluxus ſolet cohibere; in hoc concitauit, roborata ſine dubio proſtrata Natura ad noxiarum humiditatum expulſionem animoſius deinde inſurgente.* Neque ſilentio præterire debeo WILLISIVM, [n]) ut probaret Opiata ſanguinem fundere & ſudores ac urinas potenter movere, mentionem facere Aegri cacochymici, doloribus nocturnis a Lue venerea miſerrime divexati. Poſt multa in caſſum exhibita, ab omnibus remediis abhorrebat, nilque voluit ſumere, quam laudanum, quod ipſi ſemel vel bis in hebdomade pro ſedandis doloribus conceſſum fuit. Brevi Anaſarca ita laborare cœpit, ut vix a latere in latus ſe devolvere potuerit. In hoc ſtatu omnia remedia repudiavit, & acerbam prognoſin a WILLISIO audiens ευθανασίαν ſaltem anhelavit. Laudanum igitur quotidie circa veſperam parcius primo, deinde & aucta pro ſuo lubitu doſi quotidie cepit, & brevi tempore quantitatem incredibilem abſumſit. Vnico hoc pharmaco conſtanter uſus indies melius habuit, ſitis ceſſavit, & quavis nocte in ſudorem magnum diſſolutus urinam etiam copioſam reddidit, ab tumore omni & doloribus immunis factus. Analogiam quandam alit cum hac hiſtoria caſus a Cl. MEADIO propoſitus, [o]) qui ad illam ſimul provocat. Vir robuſtus a contuſione dextri hypochondrii tumorem ventris contraxerat, cum dolore graviſſimo, ſiti, et ſuppreſſa urina. Datis fruſtra diureticis & purgantibus, omnia exaſperantibus, ad dolorem imminuendum nulla ſpe ſanitatis affulgente, de anodynis cogitans MEAD, dedit veſperi hauſtum cum tincturæ thebaicæ gt. 40., hinc levamen, ſomnus, & urinæ profluvium, alvusque aperta. Repetiit hauſtum octava quaque hora, & deinde bis de die. Sed minuto ab eodem appetitu, infuſionis amaræ chalibeatæ præbium ſemel vel bis

m) *Cent. III. Epiſt.* 46.

n) *Pharm. Rat. Part. I. p.* 186. 187.

o) *Monit. med. p.* 88. 89.

de die ſimul in uſum vocavit, nondum neglecto, ſi dolor urgeret, pharmaco ſoporifero. Hæc ita profecerunt, ut devoratis demum bis de die pilulis, ex MP. de ſtyr. cortice peruviano, & terebinthina, perfecta ſanitas rediret. Lego quoque in *Act. Acad. Scient. Pariſ.* [p]) Hiſtoriam hydropici, qui ab Vxore accepit 15-20. grana laudani, a quibus largiſſima diureſis & diaphoreſis prrovocata eſt, & ſanitas reſtituta. Provocat ad hanc & Williſianam hiſtoriam Cl. MONRO [q]) & aliam obſervationem addit D. KNIGHT. Aſciticus poſt quartanam ſumſit magnam purgantium vim, & alia remedia ſine levamine, et ſpe ſalutis. Data eſt doſis pulveris opiati Cl. DOVER, poſt quam ſudavit cum fructu, continuavit uſum per duos menſes, & tumor ſenſim fuit diminutus. Meminit quoque laudatus MONRO fœminæ hydropicæ, a ſcirrho ut videbatur ovariorum, quæ uſa eſt 30. vel 40. gt. laudani liquidi, ex uncia una aquæ menthæ cum drachma dimidia lixivii tartari. Non poſſum ſilentio prætererire diſſertationem, quæ Viennæ 1753. defenſa eſt a IOHANNE RITTER, *de purgantibus validis & Opio in hydrope*, qua in ea hydropis ſpecie, cui nervi debilitati, & ataxia ſpirituum præcipuam occaſionem dederunt, Opium prodeſſe & purgantia valida obeſſe aſſeritur.

p) *ao. 1703.*

q) *Eſſai ſur l'hydropiſie p. 95-99.*

## §. XV.

*ab aliis vituperatur, & vere uſus limitari debet.*

Verum enim vero, utut veritatem fauſtorum eventuum ab uſu Opii apud hydropicos, quos inde levatos ſcribunt laudati præſtantiſſimi Viri, in dubium vocare neutiquam velim, non deſunt tamen, qui dehortentur, non deſunt exempla, haud minus ab Autoribus fide digniſſimis conſignata, quæ valde tragicum ab ejusmodi medicatione morbi exitum recenſent. In hydrope inveterato accedere in fine vigilias perpetuas notat WALAEVS, [r]) has vero illum, qui narcoticis medicamentis curare velit, ægrum jugulare dicit, cum hydropici unius grani opii exhibitione mori queant. Ad WALAEVM provocans WEDELIVS [s]) conſummatis hydropicis,

r) *Method. med. p. 153. 158.*

s) *Opiol. p. 146.*

dropicis, quibus libere vibrari nequit diaphragma, ab Opiatis facile totum actum reſpirationis ſufflaminari notat. Cum autem fere ſemper hydropici etiam nondum conſummati difficulter ſpirent, Opium vero etiam antea libere ſpirantibus difficultatem reſpirandi inducat, facile perſpicitur, vel hoc ſolo reſpectu caute cum eo in hydrope mercandum eſſe. Inter cautiones in curando hydrope neceſſarias, de quibus elegantem diſſertationem conſcripſit Cel. de HEVCHER, cautione duodecima ſedulo injungit, ut *ab Opiatis plane caveatur.* Non motus bonis exemplis, quæ præter BARTHOLINVM et WILLISIVM conſignavit LANGELLOTVS & BIERLINGIVS, *Tantum abeſt*, inquit Vir doctiſſimus, *Opium ut vel ſuaſerim vel dederim, ut ne quidem tunc probaverim, quando vel tuſſis, vel vigiliæ, vel alia urgeant ſymptomata. Semper enim compertum eſt, non modo nil profuiſſe Opium, ſed multum etiam nocuiſſe, viresque vehementer dejeciſſe, viſcerumque actiones per ſe ſatis debiles multo magis repreſſiſſe. Ne dicam Opium in aliis affectubus chronicis, atque acutis, languentibus adhuc Aegris, ipſum acceleraviſſe Hydropem.* Sane malorum catalogo, quæ ab immoderato & diuturno Vſu Opii excluduntur, diſertis verbis *hydropem* intulit GEOFFROY. [t]) Quomodo igitur, dum coctiones omnes debilitando, & ſolida relaxando, tandem eum, infert, præſentem, & his cauſis fotum, commode ſanaret? Neutiquam terrores illi vani ſunt, quos incutiunt, cum aliis modo commemorati Auctores. Refert enim MOLLENBROCCIVS [u]) hydropicum quendam paucis laudani opiati granis, a Medico alias doctiſſimo ipſi exhibitis, ſopore detentum brevi mortuum eſſe. Alii hydropico narrante WALDSCHMIDIO, [x]) cui cura erat demandata, Iudæus nequam, Doctor aſinus, clam exhibuerat requiem Nicolai & brevi poſt æger exſpiravit in ſopore, & ad veram deductus fuit requiem. Certe, ſi dicendum libere, quod res eſt, quando profuiſſe viſum fuit Opium hydropicis, non niſi caſu hoc

t) *Mat. med. Tom. II. p. 698.*

u) *de Varis & arthritide c. XIV. p. 254.*

x) *in Monit. med. circa Opiata. p. 19.*

faĉtum eſt; caſui vero & cœco fato committere Aegrorum ſalutem, & exhibitis renuente morbi natura remediis ejus curationem intendere, hominis audacis eſt, non Medici circumſpeĉti & periti. Quando ſuam vim ut egregie notat

y) *caut. 12.* HEVCHERVS, [y]) in hydrope comprobavit Opium, id caſu & per accidens evenit, nec forte Opium, ſed aliud antegreſſum exſtitit cauſa optati eventus, ſiquidem eum ipſum mirati adeo ſunt & ſtupuerunt ejus Obſervatores. Omnis vis purgans & diuretica Opii, non niſi accidentalis eſt, namque id ſua nativa dote & alvum cohibere & retinere miĉtum, patuit ex Experientiis ſeĉt. I. c. II. Reĉte eapropter GEOF-

z) *Mat. med. Tom. II. p. 696.* FROY [z]) aquarum hydropicarum evacuationem inter effeĉtus Opii minus frequentes refert. Theriaca, quam poſt veteres HOCHSTETERVS extollit, non Opio ſaltem agit, ſed & farragine acrium calidorum lentos humores ſolvere potentium, in caſu ab eo propoſito, juvit & vinum, & profuerunt valida evacuantia, & ita attenuati debent fuiſſe humores ſtagnantes, ut per cutis ſpiracula exire facile potuerint, quod non ſemper apud Hydropicos ſuccedit. Mulierem PLATERI ſanarunt alia hydragoga, diuretica, aperientia, & ſpecifica antihydropica, non ſyrupus papaveris, qui minus potens eſt ſudoriferum & opii ac theriacæ reſpeĉtu valde iners. BARTHOLINVS profitetur ipſe, quod laudanum in aliis omnes fluxus ſoleat cohibere, ergo raritatem ſanationis ſimul agnoſcit. WILLISII Aeger ob luem veneream ſine dubio antea aſſumſerat remedia ſanguinem attenuantia & in ſerum ſolventia, inde & incidit in Anaſarcam, quæ poſita requiſita tenuitate humorum, alio quovis diaphoretico æque curari poterat, quam diaphoretico Opio, cujus uſum dolor hic præcipue extorſit. Quam parum ipſe WILLISIVS tribuerit Opio, in cura hydropis rationali, ex eo conſtare poteſt, quod duobus foliis poſt recenſionem illius

*) *p. 192.* felicis & minus expeĉtati caſus, *) in catalogum morborum, in quibus vetatur aut valde ſuſpeĉtus eſt uſus opii, diſertis

verbis

verbis hydropem pectoris & abdominis retulerit. MEAD ægro ſuo antea exhibuerat varia remedia ad movendam urinam, ſaponem venetum, ſalia lixivioſa, balſamum gileadenſe, nitrum etc. Fuſi ſine dubio his erant lenti humores ac ſomno dein Tinctura thebaica, quam dolor volebat, conciliato, per laxata vaſa illi noctu copioſius per urinæ vias poterant evacuari. Taceo alia præſidia quæ ſanationem juvarunt. Sanatio hydropici per laudanum cujus meminit *Academia ſcientiarum pariſienſis*, tumultuaria eſt & fortuita. Aſciticus D. KNIGHT ſumſit pulverem *Doueri*, qui fit ex tartari vitriolati & nitri aa ℈jv, fuſis in crucibulo, pulveriſatisque, addito rad. ipecacuanh. ℈j & opii tantundem, doſi datur ℈j aut ij. Sudavit inde & levatus eſt æger, verum hic ſudor debitus ſimul fuit regimine accedente ſalibus, & ipecacuanhæ, quæ paucioribus granis eſt remedium reſolventiſſimum. Neque tamen ab hoc remedio curatus eſt, quod tandem effectu caruit: Medicus proinde alternatim exhibuit remedium purgans, & vincturas tumidarum partium ſuaſit, donec ſanitas impetraretur. Fœmina illa, quam deſcribit MONRO, poſtquam laudanum liquidum cum lixivio tartari ſumſiſſet, per duos menſes, effectum remedii minutum ſenſit, hinc loco lixivii Opio manifeſte & ſub ipſo hoc comitatu ad curationem inſufficienti additum eſt aliud potentius calcar, nempe 50. guttæ vini antimonialis, quorum remediorum connubium familiare eſſe in Noſocomio S. Georgii Edinburgenſi ſimul dicit. Nullum aliud remedium deinde ſumſit hæc Ægra, quando Ventris tumor denuo increſcere videbatur, quod urinam & tranſpirationem multum promovebat. Verum nil legitur an in totum fuerit ſanata, ſique ſanata fuit, dubium ſupereſt, anne præcipue antimoniali remedio præ Opio proſper ſucceſſus fuerit debitus. Venio ad RITTERUM. Certum eſt Hydropicis debilibus & ſenſibilibus nervis præditis non convenire purgantia, ſed magis diuretica, id pulchre docuit SYDENHAM.[a]) Sed ſi

a) *Operum p.* 629.

 ſolido-

ſolidorum textus tener & ataxia ſpirituum anſam dederit morbo, non proinde ipſi confert Opium, licet id alioquin hanc ataxiam ad tempus compeſcat; nam niſi ſtagnantes aquæ diureticis evacuentur, & dein laxitas quam opium omnibus ſolidis infert &, ſi jam adfuerit, auget, ſubjuncto tandem cortice peruviano & marte prorſus curetur, nil iuverit ataxiam palliativo remedio impugnaviſſe.

§. XVI.

*Opium cum idea Hydropis comparatum.*

Ut clariſſime intelligatur Opium apparatui Remediorum antihydropicorum immerito adjici, applicemus brevibus ejus vires, ad indolem hydropis, & veras indicationes therapevticas. Hydrops enaſcitur, ut nuper demum egregie docuit Cel. TISSOT,[b]) quoties plus aquoſi laticis in cavitates corporis aut membranam celluloſam depluit, ex arteriarum finibus, quam reſorbent bibula oſtiola venularum. Fundamentum igitur curationis monente egregio Viro erit, ut tantum reſorbeant venæ, quantum arteriæ ſtillant. Removenda igitur erunt impedimenta reſorptionis. Hæc ſemper eſſe deprehenduntur, laxitas ſolidorum, & vis vitæ nimis debilis, vaſorum compreſſio, ruptura, obſtructio, lentorque laticis ſeroſi. Ad ea autem tollenda ne hilum facere Opium nemo non videt, niſi attenuantem ejus vim ſpectes, quam tamen melius exerent alia potentiora, quibus nil adhæret vitiorum quæ Opio ſunt propria. Præferenda ipſi omnino cardiaca, ſtimulantia, amara, aromatica, ſaponacea, ſalina, metallica, ex mercurio, venere, antimonio. Verum ſimul liquida, quæ jam per illa impedimenta, vel in panniculo adipoſo, vel in cavitatibus Corporis ſtagnant, quantocyus evacuanda ſunt, quia indies coacervantur, impedimentis non ſtatim removendis, & acria ob quietem facta, ſolidis, quæ alluunt, labem inferunt. Evacuantur autem, ſæpius ac communiter fieri ſolet inſtituenda Paracentheſi, quam multis aliis probatam, denuo laudarunt MEAD,[c]) STÖRCKIVS,[d]) TISSOT[e]) & MONRO,[f]) tum & Vomitu, Purga-

b) *de Variolis, Apoplexia & Hydrope ad Hallerum p. 176. 182.*

c) *in monit. med.*

d) *Anno medico I. & II.*

e) *libro citato p. 225.*

f) *libro citato p. 270. ſeq.*

Purgatione, diureſi, diſſipatione per cutim, & emiſſariis per ſcarifationem arte factis. Ad ſolam diureſin & diaphoreſin facere poteſt Opium. de valde limitata diureſi, opii ope, jam dixi. Certius & felicius multo eam movent, ſalia neutra, lixivioſa, acida vegetabilia, balſama naturalia, millepedes, allium, raphanus, rob ebuli, juniperi, radices, & herbæ ſtimulantes, cum ſeminibus talibus, & commendatiſſima ſquilla. Diaphoreticorum hydropis medelæ ſervientium catalogo opium equidem etiam inſeruit MONRO.[g]) Velim autem attente perpendatur Cautio decima Heucheriana: *Cave nimium tribuas ſudoribus.* Hi ſi unquam, in Anaſarca ſaltem profunt, in Aſcite, ut bene monet Vir doctiſſimus, male ordinarie cedunt Ægris, & febres, dolores capitis, vertigines inducunt, anxietates enormes, pectoris anguſtias, animi deliquia excitant, ſitim intendunt, vires exhauriunt, tantum abeſt ut abdomen ſubſidat. Neque minus conſiderari merentur quæ huc facientia habet HOFFMANNUS.[h]) *Sudorifera* inquit, *ubi totum corpus colluvie aquarum ſcatet, parum merentur laudis, nam hydropici difficulter ad ſudorem diſponuntur & ſi regimine volatilibusque ſudoriferis cogantur, metus eſt, ne inflammatio cum febre vel etiam metaſtaſis ſeri ad cor, cerebrum, ſuffocatio, affectus ſoporoſus, aut apoplecticus ſequatur.* En quam parum laudis mereatur Opium! In Hydrope calido, cuius diſtinctio a frigido valde in Praxi neceſſaria eſt, ubi adeſt febris, calor, ſitis, urina rubra, ſanguinis ſolutio, putredo, opium eſt nocentiſſimum. Pulchre ejus antidota, acida diuretica profunt.

g) *p. 95. 131.*

h) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 451.*

CAP.

# CAPVT II.

## *Morbi Mentis, Melancholia, & Mania.*

§. I.

*Utriusque affectus notio, & Opium Melancholicis laudatum.*

Poſtquam hactenus tot ægritudines ſolum corpus afficientes, Opiique in medela earum uſum, accuratiori conſiderationi ſubjeci, opus etiam omnino eſt, ut mentis morbos Melancholiam & Maniam adhuc contempler, cum in his etiam a Practicis bene multis, non minus adhibeatur & collaudetur hoc remedium. Ubi in ſuperioribus Sect. I. phœnomena ſedulo enarrabam, quæ opii aſſumtionem inſequuntur, patuit per Experientiam VI. effectus hujus pharmaci non terminari in corpore, ejusque ſolius functiones mutare diverſimode, ſed in totum hominem redundare, atque in animam ipſam cogitantem corporis interventu ſe extendere, ejusque operationes mirum quantum variare. Igitur ſi morboſe cogitat, ratiocinatur & vult Anima, Opium dextre porrectum quandoque ſaniora cogitata & ratiocinia reducere, voluntatisque inde pendentes ægritudines corrigere, atque eapropter Melancholiæ & Maniæ mederi poſſe, viſum eſt Medicis clariſſimis, rerum eventu ſubinde ipſorum moliminibus annuente. Non pauci Practicorum Scriptorum Melancholiam & Maniam, cum utraque ſit delirium ſine febre, cum una ab altera non niſi gradu differat, cum una in alteram facile transmutetur, non ſejungunt a ſe invicem, ſed uno obtutu conſiderant. Ita HOFFMANNVS in *medicina ſua ſyſtematica* uno eodemque capite, atque eadem ratione MEAD in monitis ſub Inſaniæ nomine utramque exponunt. Quamvis vero omnino multum communionis inter ſe alant, quia tamen etiam diverſa eſt in nonnullis utriusque facies, quia

quia & hæc & illa ſeorſim quoque ſpectata non ſemper una prorſus ſpecie incedit, atque hoc reſpectu medela una eademque ſemper locum habere nequit, apud Melancholicos & Maniacos, accuratius ego diverſum amborum morborum ingenium diſpeſcam, & a ſe diſtinctum pertractabo.

Melancholia delirium eſt anxium, triſte, & meticuloſum, fortiſſima imaginatione uni ideæ inhærens, adeo quidem pertinaciter & fortiter, ut eidem homines immoriantur, qualia exempla apud HENR. ab HEERS [a]) & alios leguntur. Mania eſt delirium audax, ſuperbum & furioſum. Priorem primo contuear, poſteriorem deinceps. Melancholia interdum corpore antea ſaniſſimo exiſtente, inducitur a ſola cauſa aliqua, morali, atque plerumque fere a diuturna mœſtitia, atque ſi aliquantiſper duraverit, corpus tandem etiam afficit, humores ejus mutat, ſpiſſitudinem atrabilariam illis inducit, atque circulari eos tardius per viſcera abdominis facit. Alio tempore cauſæ phyſicæ, victus craſſior, parcior potus, vita ſedentaria inſpiſſant humores, ut dein impedito motu ferantur per Syſtema Venæ Portarum, quo facto tandem vitium in mentem migrat, homoque ſine ratione abjicit animum, meticuloſus, triſtis, meditabundus, melancholicus redditur. Sola hæc conſideratio facit, ut pateat, luculenter, multum differre debere curationem, ſi in recenti melancholia, a cauſa morali prognata, animus ſolus ſaltem laboret, corpore adhuc a vitio immuni, ſique per phyſicas cauſas diu jam laboraverit corpus, atque ob neglectum medelæ tandem etiam animus laborare inceperit. In priori enim caſu, nondum opus eſſe pharmacis ſpiſſitudini humorum debitis, clarum eſt, quia ea niſi cura mentis accedat, & præcedat, nil profutura ſunt. In poſteriore cura mentis parum proficiet ſola, niſi antea viſcidi & terreſtres humores ſolvantur, liberque circulus per abdominis canales præſtetur. Simul vero etiam ſtatim innoteſcit, ſi opium ad curationem Melancholiæ trahatur, promi-

a) *in Obſerv. Med. oppido raris obſ. 6.* & *27.*

ſcuum ſane uſum non niſi a Medico minus hæc intelligente & ponderante proficiſci poſſe, cum ſub certis ſaltem conditionibus ille locum habeat, laudesque opiatorum in Melancholia apud Autores nonnullos occurrentes, ſuis cautionibus & limitibus muniendæ ſint. Id certum eſt per Experientiam, Opium pacare animum, eumque exhilarare & alacrem animoſumque reddere, ita ut gentes integræ mentis ærumnas & faſtidia devorato illo leniant, non ſecus ac Germani curas ſuas Vini hauſtubus delinire dicuntur. Nonne igitur, ſi curis aterrimis, neque ſine gravi & ſontica cauſa cor hominis exedentibus, ſilentium ad tempus imponere, ſenſumque noctes atque dies pungentis aculei obtundere valet vinum & Opium, mœrores etiam imaginarios & triſtitiam phantaſticam id placare aptum erit? Equidem Melancholia laborantibus vinum ſubtrahendum eſſe ſuaſit CELSVS,[b]) ea tamen cum cautione, ut in illa inſania quæ ex metu nata eſt, recte idem dari doceat. Atque re ipſa, purum putum aliquem Melancholicum, valde puſillanimem, anxium, meticuloſum, a nulla re majus cepiſſe ſolatium, quam hauſtu Vini, natura frigidiore incaleſcente, & per regenerationem ſpirituum accidentariam hilaritatem procurante, recenſet THONERVS.[c]) Utilem etiam aliquando Vini uſum Melancholicis dicit PITCARNIVS[d]) quamvis vini uſu præſtantiorem adhuc habeat familiarem facetorum hominum convictum, & cum amicis ſereno cœlo equitationem corporisque exercitia, quibus omnibus vividi motus quorum defectu melancholia ſuccrevit, reſtaurentur. Verum exhilarans vinum, & exhilarans Opium conjungit THOMSONVS[e]) ſi ex graviore animi mœrore, homo delirio & anxietatibus ſit obnoxius, omnia alia remedia irrita declarans, ad ſpeciem mœroris evellendam altius animo impreſſam. Volatilia equidem pharmaca non prorſus rejicit, ſed inter ea præ omnibus, infinitis modis Opii virtutes præcellere vidit. Attamen Vini generoſioris cyathum, Amici blandioris

b) *lib. III. c. 18.*

c) *Obſerv. lib. II. p. 100.*

d) *Elem. Med. lib. II. c. 7.*

e) *diſſ. de morb. Animi p. 136.*

dioris confabulatione conditum primarium æſtimat animo mœſto pharmacum, ac præ alio quovis idoneam ſangvini & labanti latici nervoſo refectionem conciliare, pronunciat. Alio autem loco perplexis & inſanis cogitationibus fatigatos Melancholicos, diuturno Opii uſu prorſum ex miſero rerum ſtatu curatos ſeſe obſervaſſe refert. f) Antiquo tempore jam HIPPOCRATES, quem uſus Opii latebat, Mandragoram Melancholicis laudavit. g) De Opiata Theriaca ſcripſit AETIUS, h) *Admirari porro ſubit, Antidotum ipſum Animum ſæpe ab affectubus male diſpoſitum juvare, ex atra bile enim obortos animi affectus ſedat. Etenim aſſidue adhibitum pharmacum ex venis & vicinis partibus atram bilem velut exhaurit & conſumit.* Atque a vetuſto hoc ævo ad recentius, huic & aliis compoſitionibus opiatis, is honos decretus eſt, prout ſua cuivis placuerunt. SINAPIUS i) Opium Melancholicis cum ſulphureo alcalino menſtruo correctum voluit. In *Act. Phyſ. Med. Nat. Cur.* k) Fœmina Melancholica habetur, quæ Vino primo curas diſpellere laboravit, deinde cum in eo potando nimia eſſet; a Parocho aliquando accepit pilulam unam theriacæ cœleſtis cujus uſu tranquillitatem animi & ſomnum obtinuit, tandem opium magna ſatis doſi deglutivit, ad mentem ſerenandam. Neque adeo Illuſtr. BOERHAAVIUS l) alienus fuit ab Opio Melancholicis præſcribendo, quando in morbi primis initiis poſt aſſiduam objectorum variationem animo conciliandam, diluentibus, demulcentibus paregoricis ſomnum procurandum eſſe monet, quo, ſi placidus inde obtineri queat, omnino ideæ deliræ abolitio ad tempus ſaltem optime impetretur. Verum enim vero quodſi & Opii agens Virtus & ingenium Melancholiæ accuratiſſime adſpiciatur, clarum evadet, id ſi juverit & juvare poſſit, ſaltem juvare ſi cauſa ſit mere idealis, aut ataxia ſpirituum nervorumque facilis mobilitas ſubſit; at parum re ipſa ſolatii ab ejus uſu redundare poſſe in Ægrum, ſi cum mente corpus ipſum jam graviter laboret,

f) *diſſ. de Opio Propoſ. V. p. 124.*

g) *vide Schulzii Hiſt. Med. p. 160.*

h) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 96.*

i) *de Remediis doloris c. 5.*

k) *Vol. IV. obſ. 145.*

l) *aph. 1097.*

ret, aut corporis morbus prævius mentem adfecerit, tum enim evanidam ſaltem palliationem, neque adeo hanc ſemper, inde ſperari poſſe certum eſt. Sub his conditionibus, abundans, ſpiſſus, atrabilarius, ſtagnansque, vel tardius motus per venæ portæ ramificationes, ſangvis reſpiciendus eſt unice, atque VSes, alvum ducentia, diluentia, attenuantia, ſerum lactis, aquæ minerales ſelteranæ, egranæ, pyrmontanæ, carolinæ, ſalia varii generis, ſaponacea, motus corporis varii, frictiones hypochondriorum, clyſmata, balnea emmenagoga; apertio hæmorrhoidum, martialia tandem in uſum debent vocari animoque ſimul quantum fieri poteſt tranquilla continentia concilianda eſt. In hac Specie Melancholiæ, non Apparatui pharmacorum, quibus medela perficitur, opium addit Illuſtris BOERHAAVIUS, [m]) ſed ad ſymptomata lenienda id ſaltem permittit. Quantas vero cautiones nihilominus & tum uſus poſtulet, videre eſt clarius, in Commentario *Swieteniano*, [n]) quem hic evolvi, & attentius legi velim.

m) *aph. 1115.*

n) *Tom. III. p. 517.*

§. 11.

*Sed ex Autoris ſententia, ultra meritum.*

Ut vero tandem meam qualemcunque ſententiam corroboratam præſtantiſſimorum Virorum ſuffragiis exponam, ſincerus eloquor, me Melancholicis Ægris medicinam facientem, rarius eo proceſſiſſe, ut Opium illis proficuum judicarem. Sive a mente ſive a Corpore primo inceperit, ſive unius præ altero, vel utriusque curationem flagitaverit morbus, nullos fines alios exhibendi Opium dari credidi, quam ut ejus ope Animus excitaretur, ut anxietates levarentur, ut ſomnus invitaretur. Primo fini poſt moralia pharmaca quibus omnia tribuit, ad *Senecam de tranquillitate Animi* pulcherrime differentem provocans BAGLIVUS, [o]) poſt peregrinationes, ruſticationes, confabulationes, concentusque muſicos, certe prorſus æqua virtute inſervit generoſius Vinum, ac Opium, ſi nempe nil contraindicet. Cum vero Vinum Ventriculum roboret, quem Opium debilitat, cum

o) *Prax. Med. lib. I. c. 14.*

cum Vinum illam narcoſin non patret quam patrat Opium, prætuli lubens Vinum Opio, hocque ad exhilarandos Melancholicos nunquam exhibui, ſæpius Vini juſtam doſin conſulens. Diſplicuit vero mihi Opium etiam eapropter, quod doſis ſemper augeri debeat, ut in Foemine illa, cujus ex *Act. Nat. Cur.* mentionem feci, quæ poſt Theriacæ cœl. unam pilulam & opii granum unum, cum fructu captum, ita ut mentem compoſitam experiens munia ſua domeſtica obiret, & templum frequentaret, vi conſuetudinis ſenſim adſcendendo tandem ſpatio ſeptimanæ adeo largam quantitatem Opii aſſumere cogebatur, ut nemo Pharmacopœorum eam ipſi vendere voluerit, quare peregrina pharmacopolia adire debuit. Ita quoque recenſet YOUNG, [q]) fœminam quandam uno die ultra 300 gt. laudani liquidi aſſumere coactam fuiſſe, ſineque his animo dejectiſſimam, ſed earum ope quaſi a Vino diſertam & hilarem extitiſſe. Vidit Illuſtris van SWIETEN *) Melancholicos, qui ad 15 grana Opium ſumebant una vice, quod niſi exhiberetur, ſibi ipſis violentas manus intuliſſent præ intolerabili mœrore, quare ipſi hoc medicamentum etiam non arridet, ad alios licet ſcopos exhibitum, ut brevi videbimus. Hac certe ratione diutius & ſemper largiore doſi devoratum Opium, tandem omnem Oeconomiam corpoream pervertit. Vinum vero, ſenſim etiam paulo liberalioribus hauſtubus epotandi, ad amphoram tamen ſingulis hebdomadibus tandem ingurgitandi neceſſitas, non facile emerget, quamvis & hoc omnino, quod ex THONERI allegata obſervatione conſtat, ad tempus ſaltem animo calcar addat, repetique ejus uſus collabeſcente iterum artificiali magnanimitate, omnino debeat. Anxietates quod attinet, illæ, niſi mere ideales fuerint, aut pendent ſaltem ab irregulari motu ſpirituum ſine vitio materiæ, aut pendent ab impedito motu ſanguinis ſpiſſi & atrabilarii per abdominis viſcera. In priore ſaltem caſu, convenit Opium prudentuer datum, in poſteriore nil prod-

p) *c. 22.*

*) *in Comment. III. p. 517.*

 eſt,

eſt, ſed in utroque illa debent curatius conſiderari, quæ de anxietatibus hypochondriacis & hyſtericis cum materia, & ſine materia, deque uſu Opii valde ambiguo, ſi verum & non apparens emolumentum ſpectes, in ſuperioribus jam ediſſerui. Recenſet in *Act. Nat. Cur. obſervatione jam allegata* Cl. HASENEST,[q] ſe Melancholico Hypochondriaco theriacam coeleſtem ad granum j. dediſſe mane & veſperi, ex qua plus quam aliis remediis mente allevatus eſt. Interim tamen ſuadet talia non ſine multa deliberatione Hypochondriacis exhibenda eſſe. Neque adeo tutus mihi viſus eſt Opii uſus ad pervigilia Melancholicorum ſuperanda, quamvis ſi ſomnus illis deſit, eum ipſis laudano conciliandum eſſe ſine hæſitatione, dicat Cel. LAZERME.[r] Aliter vero ſentit Ill. van SWIETEN. *Anxietates*, inquiens, *& pervigilia Opio dato tolli quidem ſolent pro tempore, verum in hujus remedii exhibitione tamen prudentia opus eſt. Semel enim experti Melancholici levamen hoc, illo carere nolunt poſtea, & ſummas illas anxietates ipſa morte minus tolerabiles repetitis auctisque opii doſibus pellere conantur. Nempe Opium hoc habet, ut ſolita quantitas adſuetos non afficiat amplius, ſed debeat augeri, ut deſideratum præſtet effectum.* Semper felicius agunt omnia illa, quæ demulcent & molliunt, quæque aliquid humectantis & refrigerantis habent, & circulum temporatum cient, quæ ſimul materiem a capite avocant, quam quæ humores expandunt, rarefaciunt, exagitant & ad caput copioſius determinant. Ab illis ſomnus placidus & virium incrementum, mentisque ſerenitas evigilantibus, ab his ſomnus interruptus, turbulentus, καρηβαρία, temulentia, & virium dejectio evenit. Veteres eapropter & noſtro etiam ævo propiores Medici, ut ex PISONE[s] conſtat, fotus capitis ex decocto lactucæ & fol. ſalicis, ſemen papaveris, lactucæ, ſyrupum papaveris, clyſmata emollientia, & unguenta temporibus illinenda adhibebant, ad ſomnum conciliandum, non ſine fructu. Pediluvia commen-

q) *Vol. IV. obſ. 145.*

r) *de morb. Capitis Cap. IX. p. 162.*

s) *de cognoſcendis & curandis morbis lib. I. p. 170.*

mendavit HOFFMANNVS, [t]) ad quietem nocturnam conciliandam, ab Opiatis dehortatus, quæ torporem cauſentur, melancholiamque ita ſubinde augeant, ut in furorem transeat. Blanda emulſa, cum ſyrupo papav. albi, tutius dari, quam Opium, & ſæpe anxietates & pervigilia minuere, hinc talia prius tentari debere, dicit Ill. van SWIETEN. [u]) Memini ego aliquoties profuiſſe camphoram cum nitro, ſub noctem in emulſione exhibitam. Nolo tamen refragari ſapientiſſimo Viro, quando interdum tantam eſſe horum ſymptomatum moleſtiam aſſerit, ut Medici cogantur verſpertino tempore opium exhibere, dum interim illa, quæ reſerandis obſtructionibus inſerviunt, diurnis horis animoſe adhibentur. Novi quippe ipſe Exemplum Sereniſſimæ cujusdam in Sileſia noſtra Principis, quæ poſt mœrorem diuturnum hyſterica & melancholica ob noctes inſomnes ſumſit pilulas de cynogloſſa, & per diem aperientia varia & martialia, atque melius ſic ſeſe habuit. Neque tamen ejusmodi caſus nimis facilem & promptum in præſcribendis Opiatis reddere debent Medicum, namque ſuperſunt adhuc alia momenta, quæ non reſpectu ſymptomatum ſaltem, ſed morbi ipſius, & cauſarum ejus intuitu, prudenter penſitata luculenter monſtrant, multa cum cautione Opium Melancholicis præbendum eſſe. Notum eſt Practicis, nimis ſæpe Melancholiam excludi, & mirum quantum ingraveſcere ab occulto Amore, maxime quando nulla ſpes ſupereſſe videtur, ut votorum ſuorum compotes tandem reddantur Aegri. Sane ut apud RIDLINVM, [x]) ita apud alios Auctores Hiſtoriæ de Melancholia a Veneris denegato uſu leguntur, ſolis medicamentis vix ſanabili. Vix autem crediderim conſultum fore, hac in re imitari Benedictum SYLVATICVM, [y]) qui Illuſtriſſimo Adoleſcenti ex fixa & continua imaginatione circa objectum deſideratum melancholico, inter alia bona conſilia, diſtractionem mentis per peregrinationes, per res jocoſas, venationes, certamina, per ſtimulos honoris, tandem

t) *Med. Conſult. germ. II. p. 121.*

u) *loco cit.*

x) *lin. med. Anno IV. menſ. Jun. obſ. 29. vide & Plateri Obſervat. lib. I. p. 50. ſeq.*

y) *Conſ. Cent. I. No. 55.*

dem per ſimulatum nuncium de veſte ſacra ab amaſia ſuſcepta, vel de ejus interitu, ſimul ſuadet, ut ſomnus concilietur Opiatis, theriaca recente, vel laudano nepenthes. Non bene attentus fuit bonus Vir, Opium a quo quietem animi, oblivionem felicem, & ſomnum placidum voluit, magnam cuſtodire Virtutem aphrodiſiacam, procreare inſomnia venerea, atque referente PROSPERO ALPINO [z]) Aegyptios Opium ſtudio ſumere, ut per ſomnum varia pulcherrima amœniſſimaque Viridaria, atque amatas formoſiſſimas ac laſcivientes puellas videant, ſeque cum iis oblectent. Verum ante omnia Lectoribus in animum revocare debeo, illis ſubjectis, quæ manifeſta cerebri debilitate laborant, avara manu præbendum eſſe Opium. Id ex antea dictis toties conſtitit. Sed ſine exceptione quæcunque cerebum debilitant, diſponunt ad Melancholiam, rerum uſu hoc ipſum docente, atque eapropter omnes Melancholici, ſimul cerebri debilitate laborant, igitur ipſi morbi ingenio, Opium etiamſi lætificet, non ab omni parte convenit, cum adeo Vinum debili ſyntaxi nervorum, cerebrique imbecillitate laborantibus, parcis ſaltem hauſtubus conducat. Profundæ & in unum objectum diu defixæ meditationes, lucubrationes in adultam noctem extenſæ, vigiliæ immodicæ, animi pathemata vehementiora, terror, anxietas, mœror, metus, amor, avaritia, ſuſpicio, zelotypia, ſcrupuli circa religionem, quin hilaritas immodica, Veneris illecebræ, ſolitudo, toties viam ſternunt, ut aliis morbis capitis, ita & Melancholiæ. Verum his omnibus mirifice debilitatur cerebrum, vaſorumque ejus vis ſyſtaltica ex fabricæ eorum natura jam ſatis debilis valde infringitur, & omnis nervorum ſyntaxis a robore ſuo deſciſcit. Egregie autem HOFFMANNUS [a]) ſine prævia hac debilitate, quæ recte ex ejus ſententia mediata cauſa deliriorum dicitur, non facile adeo eminens vitium ſanguinis in motu per cerebrum exoriri monet, in quo proximam cauſam morbi gravioribus rationibus convictus ponit, cum prudentia

z) *Med. Aegypt. lib. IV. c. 1 & 2.*

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 192. ſeq.*

dentia & animæ functiones integræ, liberum & temperatum circuitum ſanguinis ſani per encephalum ſupponant. Quando præterea mentis oculis cerebrum melancholici hominis contuemur, idque inſtitutis cadaverum ſectionibus hanc conſiderationem ratam habentibus, onuſtum ſanguine multo & denſo, qui ob ipſam ſolidorum debilitatem, in ſinubus & vaſis varicoſis moras nectit, nobis repræſentamus, quotusquisque circumſpectorum Medicorum, qui Opio congeri & determinari ſanguinem ad caput ſani hactenus hominis noverit, hocque eodem gravari intellexerit, ad id remedium Aegro melancholico ſine diſcrimine exhibendum convolabit. Certe eo magis cordatus Artifex in illius præſcriptione hæſitabit, quo magis certum eſt, dari caſus ubi artificialis detractio ſanguinis, illiusque a Ventre ſupremo revulſio, multum emolumenti adfert, quæ ut aliquoties jam innui, quando juvat, Opii uſum ſimultaneum excludit, & non bene fert, cum illius effectubus hujus effectus prorſus contrarietur. Omnibus adeo aliis remediis VSem in Curatione Melancholiæ præferendam eſſe dicit RIDLINVS, [b]) habetque Juvenem Melancholicum ter & decies, & Ancillam hoc morbo adfectam ſepties reiterata VSe curatos, ſimulque aſſerit, quodſi etiam adeo largæ VSes nil juvarent, interim tamen eas non nocere. Vni vero VSi in Gravida ceſſiſſe Melancholiam alibi notat. [c]) Sane rebus ita conſtitutis, molem movendorum quam minuit VS, Opium rarefaciendo humores iterum augeret, ſanguinemque quem a capite VS. revellit, eo iterum Opium adigeret. Neque Ridlinus unum remedium alteri junxit, ſed ſola VSe ægros ſuos ſanavit, qui cum Opio forte non adeo feliciter fuiſſent ſanandi. Nondum vero omnia explicui, quæ uſui Opii apud Melancholicos contradicunt. Alvo adſtricta, & ſæpe pertinaciſſime conſtipata laborare ſolent ejusmodi Aegri, docet vero Experientia, illos ſemper melius habere, ſi alvus rite reſpondeat, dum materies a ventre ſupremo divertitur; alvum

b) *lin. med. 1695. febr. obſ. 27.*

c) *1696. Dec. obſ. 10.*

vero Opium ſemper inhibet, hinc ipſis haud convenit, & ſpeciatim hoc titulo minus tutum etiam declaratur ab Ill. van SWIETEN. [d]) Sed & eapropter repugnat adeo in totum felici morbi ſanationi opium; nempe ſaponaceis congruis ſoluta, quæ vaſa antea oppilarat, viſcida & atra colluvies, nulla convenientiore via ſenſim eliminatur ex corpore, quam per alvum. Alvi fluxus, quem vires ferunt, etiam paulo largior, & paulo longius excurrens toties ſalubris eſt, quin & ſæpe omnem morbum ſolvit teſte HIPPOCRATE [e]) *dyſenteriam in Inſania bonum*, aſſerente. Peſſime ergo tum conſuleret Medicus Aegro ſuo, qui exhilarandi forte cauſa, vel alio quocunque fine Opium præberet, minus ad neceſſariam & utilem alvi libertatem, quæ adeo plenam ſanitatem adferre poſſet, attentus. Omnes igitur in arte exercenda ſat circumſpecti & in obſervationibus colligendis ſat diligentes, inque dijudicandis iis ſat intelligentes, quodſi etiam cum Cl. YOUNG [f]) ad tempus Opium in Melancholia utile remedium habuerint, tandem tamen etiam cum eo de vere bonis effectubus dubitabunt, & per annos eos in Praxi non deprehendent, eoque certius, quando momenta ſingula a me hactenus adducta expendere voluerint. Nullus caſuum a YOUNGIO allegatorum, ut ipſe concedit, pro Opio militat. Temerarium erat & cœcum conſilium, exhibuiſſe Nobili Juveni una nocte 6. grana opii, & balneum frigidum in uſum ſimul vocaviſſe, quamvis dein reſtitueretur. Dubitat ipſe, an una doſis opii ſanaverit Fœminam nobilem, ob tyrannidem Mariti mente captam, an ſine eo curata fuiſſet, an altiſſimus ſomnus Opio inductus, ægram imaginationem in melius mutaverit. Illum autem per Religionem Melancholicum qui proprio auſu, ſine Medicorum præſcitu, eam doſin Opii ceperat, quæ facile mortifera evadere potuiſſet, nemo imitari facile auſus fuerit. Recte Vir Clariſſimus in morbo, qui jam ad tempus duravit, vel plane inveteratus eſt, nil boni & laudabilis ab hoc remedio expectat.

d) in Comment. Tom. III. aph. 1115. p. 517.

e) Sect. VIII. aph. 5.

f) c. 23.

§. III.

§. III.

Abſoluta Tractatione de Melancholia, ad agnatam faciliqueMetaſchematiſmo ex illa emergentem, & in illam iterum abire ſolitam Maniam, Opiumque a præſtantiſſimis Medicis numero pluribus ipſius Curationi deſtinatum me confero. Ex Papavere parata pharmaca, cum aliis antiquioribus Medicis, audacter apud Maniacos adhibenda, a quibus Aegri reſipiſcant, jam collaudavit AETIVS. [g]) Inter Neotericos non ſaltem nugivendulus PARACELSVS [h]) Opiata tanquam figentia materiam peccantem, multis elogiis cohoneſtavit, ſed graviores Practici iisdem plurimum detulerunt, neque boni eventus exempla deeſſe dicuntur. Habet HILDANVS [i]) Maniacum Virum, qui ſanatus eſt cito & feliciter clyſtere acri, VSe in cubito, melanagogo & laudani pauxillo verſus noctem exhibito. THONERVS [k]) quoque duos curavit Maniacos, purgante, VSe, pediluvio, emulſione, epithemate ad frontem & tempora ex aqua Roſarum & Opio, laudanoque opiato, ad 4. grana ante cubitum dato. Similia ſuaſit alia occaſione, cum epithemate opiato, & pilulis intus ex opio dandis. [l]) Porro WEDELIVS [m]) iisdem in caſibus, ſe aliquoties utiliter cum aliis remediis Opiata in uſum vocaviſſe teſtatur. Eadem quoque cum aliis pharmacis commendata legas apud PITCARNIVM. [n]) Neque minus apud WEPFERVM [o]) Opiata in Mania adhibita inveniuntur. Non oblviſci hic poſſum fortuitæ illius therapiæ per Opium, quam RIDLINVS in lineis ſuis medicis conſignavit. [p]) Præſcripſerat Virgini cuidam poſt auditam concionem paulo ſeveriorem melancholicæ, & dein maniacæ factæ, Unguentum habens ſcrupulum unum Opii in aceto ſoluti, ad inungenda tempora. Sed illa ore aſſumſit hoc unguentum, hincque in ſomnum profundum delapſa fuit. Verum evigilans ſanam ſuam rationem recuperatam oſtendebat, nec ullis aliis indiguit medicamentis. Addit RIDLINVS fiduciam ſuam in Opiata declaraturus:

*Opium commendatur in Mania.*

g) *lib. VI. c. 8.*

h) *libro de morb. Ament. To. II. c. 2. p. 501.*

i) *Cent. IV. obſ. 9.*

k) *Obſervat. p. 100.*

l) *p. 256.*

m) *Opiol. lib. II. ſect. II. c. 2. p. 107.*

n) *Elem. Med. lib. II. c. 6.*

o) *in Obſ. de Morb. Cap. Conſ. 84. & de Apopl. app. p. 687.*

p) *Anno 1700. Menſe Decembr. obſ. 12.*

*Vix quiſquam etiam in hiſce malis, opium non laudabit.* Multum quoque prodeſſe Opium maniacis aſſeruit Cl. CHISI,[q]) dumque huic ſcriptioni vacans forte pervolvo Conſultationes medicas Academiæ Montiſpeſſulanæ,[r]) mirum quantum & in iis video favere Opio Celeberrimos Auctores in Curatione Maniæ. In Conſilio Aegro tali præſcripto (Tom. II. p. 169.) poſt commendatam VSem repetitam, & balnea, & juſculum pulli coctum cum ſem. frig. & rad. cichorei, invenio verba: *Sub adhibitione horum remediorum, abſolute neceſſarium eſt, ut æger laudanum capiat, ad minimum hora decubitus incipiendo a duobus granis, & adſcendendo de grano in granum, donec inveniatur doſis, quæ apta eſt ſomno conciliando. Si deglutire laudanum noluerit æger, ſolutum in aqua per clyſma dandum eſt, adſcendendo itidem per grana, ſi nec clyſma applicari poteſt, exhibendum laudanum in Vino, vel alio liquore, quem æger amat, vel in alimentis. Poſt 15 vel 18. balnea ptiſana purgans exhibenda cum tartaro emet., tum iterum ad balnea veniendum, laudanumque continuandum. Diu etiam in uſum vocandum eſt ſerum lactis, & lac caprillum, deinde adminiſtrandæ VSes in pede. Sed laudani non obliviſci debet Medicus, quod ſingulis diebus exhibendum.* Eadem ratione alibi[s]) poſt VSes, balnea ſerum lactis, ægro maniaco præſcripta, ad eſſentiam curationis requiri dicitur a principio morbi, ut laudanum in uſum habitualem vocetur, incipiendo a grano & per grana adſcendendo, quando per noctem non quieſcit Aeger., cum Aegri hujus generis valde indigeant laudano, & id admodum bene ferant. Et alio loco adhuc,[t]) poſt collaudatam VSem, emeticum, purgationem, juſculum medicatum, ſerum lactis, pro Aegra maniaca, verba habentur: *Si noctes inſomnes degat, opium ad gr. ij. vel tria exhibendum, ut his remiſſa cerebri & nervorum tenſione Aegra mentis compos fiat, & præceptis medicis obſequioſa morbique mitigationem tum obtinere queat.* Verum completa fiducia in Opium locata, &

q) *Lettere mediche p. 27.*

r) *Conſultations choiſies des pluſieurs Medecins celebres de l'Univerſité de Montpellier.*

s) *Tom. VI. p. 262.*

t) *Tom. VIII. conſ. 31.*

& inſigni liberalitate illud exhibendi maniacis, omnes alios Medicos longe poſt ſe relinquit Cl. Bernardus HEVTE Med. Doctor & Conſul Urbis Zwollanæ, in ſchediaſmate Curationem Maniæ certam & ſæpius inſtitutam exponente, quod in Calce Tractatus Wepferiani Hiſtorias Apoplecticorum complectentis, habetur. Ut ſangvinis & ſpirituum animalium motus vehemens & irregularis minuatur, dari jubet Opii crudi gr. ij. ſoluti in cochleari aquæ ſuper cineres calidos, mane & veſperi. Illa doſis ſi fuerit nimis parva, nullaque quies illam inſequatur, addi vult granum unum, ſi adhuc quies non ſequatur, adhuc granum unum mane & veſperi, pergendo donec juſta inveniatur doſis. Dicit ſe habuiſſe Maniacos, quibus opii gr. xij, imo xv. pro una doſi exhibuit, ſed hoc ſenſim & pededentim faciendum monet, & non pro prima vice. Interim curandum vult, ut alvus ſit aperta. Poſt octo dies mane purgationem & veſperi anodynum, ſequenti die iterum mane & veſperi anodynum, poſt 8. dies inſumtos vomitorium mane, & veſperi anodynum conſulit. Hanc methodum ſervandam inculcat, donec Patiens recipiat mentem ſanam in corpore ſano. Poſt tres vomitiones ſe ſæpe plenam inſtituiſſe curationem dicit. Juvenibus & Plethoricis ſeſe ſangvinem miſiſſe in brachio bis, ter. Multos vero etiam ſine VSe curaſſe monet.

§. IV.

*Sed laudibus ponendi limites.*

Omnia hæc quæ protuli hactenus, & ſeorſim & junctim deinde conſiderata, magnam ſpem animis Medentum inferre debere videntur, fore ut ſi ſaltem ſatis audaces fuerint in porrigendo Opio, fortuna juvante in curatione Maniacorum haud deſtituantur. Sique ejusmodi rerum eventus experientia repetita comprobentur, abſonum declarabitur ab omnibus Medicis Opio his in caſibus ſalutem ægri credentibus, vel tantillum contra rectiſſimum ejus & præſtantiſſimum uſum velle objicere. Verum enim vero ut ſaltem laudibus hujus pharmaci juſti ponantur limites, juva-

 bit

bit ante omnia, pauca Auctorum omnium quos adduxi, obſervationibus, & præceptis adjicere monita, frænum aliquod injicere apta futura Practicis nimio amore laudani percitis. Et primo quidem AETIVS pharmaca ex papavere non niſi poſt inſtitutas evacuationes exhiberi voluit. Aegro ab HILDANO allato plus profuere ſine omni dubio, reliqua cuncta remedia, quam illud pauxillum laudani, quod ſimul exhibuit. Alia alibi habetur ab eo conſignata Obſervatio, [u]) ex qua uſum laudani colligere quis poſſet. Ego autem non bene intelligo, an æger illud vere acceperit, an minus. Scilicet Juvenem memorat, qui a Vini abuſu inciderat in acutam febrem, & dein in Melancholiam ſumme furibundam. Curavit eum HILDANVS enematibus repetitis, VSe, purgante, emulſione, cucurbitulis, diæta tenui, abſtinentia a Vino. Altera curationis die veſperi denuo ſeſe dediſſe laudanum dicit ad præſcriptum pondus, ſed de prægreſſa exhibitione nil legitur, ſaltem pro cœna data fuerat emulſio amygd. & ſem. cucurbitæ. THONERI methodum quod ſpectat, illa evacuantibus & revellentibus præcipue abſolvitur. WEDELIVS Opio præmiſit evacuantia emetica, vel purgantia interpoſuitque appropriata modo acida, modo urinoſa. Ingentem vero circumſpectionem circa exhibitionem Opii monſtrant præcepta PITCARNII, namque expreſſis verbis monet, *qui Maniacis Opiata ante VSem exhibent, eos ſæpe Maniam diuturniorem efficere, cum notum ſit multos ſolo Opii uſu in delirium incidere.* [x]) Non niſi igitur præmiſſa VSe larga, vomitu, purgatione, potu refrigerante tuto poſſe dari opiata contendit, inprimis autem emulſiones cum laudano opiato. [y]) RIDLINI curatio equidem ſolo Opio confecta eſt, quod adeo tanquam univerſali conſenſu proficuum habitum in epicriſi collaudat, ſed cauſa hic videtur fuiſſe in ſola perturbatione ſpirituum & idem RIDLINVS quatuor annis antea docuerat, [z]) Maniacos ne quidem Aromatum exhalationes ferre, ea enim ſpiritus exaltatos & igneos

u) *Cent. III. obſ. 13.*

x) *p. 126.*

y) *p. 127.*

z) *lin. med. 1696. Ian. obſ. 14.*

igneos magis exaltare, & igneos reddere, monueratque ſimul hoc omnes Medicos, quibus Maniaci tractandi obveniunt, probe notare debere. Quomodo autem hæc cautio conciliari poſſit, cum amplis laudibus aromatici, & tetra volatili exhalatione præditi Opii, non bene capio, neque intelligo, an calidiſſimo & acerrimo Opio vis competat igneos ſpiritus refrigerandi, an potius illi exinde magis incaleſcant & excandeſcant. Conſilia Monſpelienſium Medicorum quem ſucceſſum habuerint ignoratur, ſi vero exoptato non fuere deſtituta, videor mihi in aliis remediis præſtantiſſimis ſaltem majus auxilium repoſtum invenire, quam in Opio ſolo. At fere eodem ſolo tamen HEVTIVS ſuos ægros ſe ſanaſſe refert, quamvis eidem evacuationes ſubjunxerit. Sed Opium ſangvinis motum vehementem, quod is voluit, certe non minuit. Præterea & hic æque ac RIDLINVS vult, ut omnia acria, inprimis aromata, cinamomum, cariophylli, nux moſchata, flores maceris vitentur, jubetque ut abſit vinum & ſpiritus Vini. Ergo, quod alioquin inter Medicos inauditum eſt & inſuetum, in diæta nocere dicit, quæ in pharmacia juvare dixerat. Opium enim virtute ſua ſtimulante & calefaciente pari paſſu cum his omnibus incedit, plusque ſine dubio ſtimulat & calefacit parvula doſi, quam aromata vinum, ſpiritus vini, in largiore, & largiſſima.

§. V.

Sed objiciet ſine dubio aliquis Opii Amator, monſtrare tamen omnibus meis animadverſionibus non obſtantibus Experientiam, Maniacis Opium non ſaltem nil nocuiſſe, ſed profuiſſe etiam, cum haud pauci dentur qui poſt ejus uſum mentem ſanam & ſaniſſimam iterum obtinuerunt. Tunc vero mihi licebit Experientiam Experientiæ opponere, atque urgere ſerio, per illam non minus conſtare, poſt narcotica & ipſum Opium, ut poſt vinum & ſpiritum Vini ei analoga, ſæpius homines in deliria & Maniam conjectos fuiſſe. Cicutam, de qua elegantem Tractatum conſcripſit WEPFERVS,

*Opium etiam ſanos delirare facit, hinc Maniam intendit.*

RVS, & cujus venenoſam indolem in medicamentoſam vertere docuit Celeb. ANTONIVS STÖRCK, petroſelino ſimilem, errore comeſtam graviſſimum delirium peperiſſe Patri, Matri, & duabus filiabus, emetico dato, & aliis ſolutum memorant *Ephem. Nat. Cur. Cent. X. obſ. 62.* Ejusmodi delirium ab uſu ſolani natum legitur in *Act. Erud. Lipſ. Anno 1711. Nov. p. 485.* Maniam a datura recenſent *Act. Nat. Cur. Dec. III. Anno III. obſ. 170.* Dementiam ab eſu radicis hyoſciami vidit BORELLVS [a]) in Ruſtico, & ejus tota familia, quæ inſtar ſimiarum ridiculas actiones edidit, tandem vero mentis ſanum habitum iterum recuperavit. Sed non minus a Vino & ſpiritu Vini toties delirium Maniacum exclusum eſt. [b]) Quod vero & Opium homines delirare faciat, & ſapientes in ſtolidos transmutet, ex Sect. I. Cap. II. Experientia IX. inter phœnomena ab Uſu Opii emergentia, abunde apparuit, ad quam confidenter hic provoco, omnia ibidem adducta hujus rei teſtimonia, quæ tamen denuo evolvi & relegi cupio, in medium haud allaturus, quæ inter vel unum illud, quod ab emplaſtro opiato temporum alterutri applicato furorem obortum, rejecto emplaſtro ſtatim ceſſantem habet, multum valoris complectitur. Ex iisdem autem omnibus jure nunc infero, id corpus naturale, quod ingeſtum, imo vero & extrinſecus applicatum, ex ſua natura homines delirare facit, ſua natura componendis deliriis jam præſentibus inſervire vix poſſe, aut ſaltem maxima circumſpectione huic fini dicari debere, niſi oleum camino addere voluerit Medicus. Factum hinc etiam eſt, quod ad Phœnomena ſumtum Opium inſequentia, & Maniam ipſam, ſatis attenti Practici quidam clariſſimi, uſum ejus in hoc morbo potius rejiicerent, & averſarentur, quam commendarent. Cum cura certe hic notari merentur, quæ habet HOFFMANNVS [c]) *Exercitatioribus Medicis non ignotum eſſe*, inquiens, *eas medicinas quæ Opium habent, in delirio improvide datas illud magis intendere, &* con-

a) *Cent. IV. obſ. 45.*

b) *vide Miſc. Nat. Cur. Cent. III. p. 225. Dec. III. Anno IV. obſ. 97. Act. N. C. Vol. IV. obſ. 39.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 197.*

*contumacius reddere, tantum abeſt, ut componant, & levamen adferant.* Atque in hoc caſu audiendus etiam omnino eſt Cl. IVNCKERVS [d]) *Opiatorum uſus* ait *uti in omnibus deliriis, non ſolum ſuſpectus eſt, ſed etiam frequenter irritus, & malum exaſperans deprehenditur, ita præcipue in Mania talem effectum præſtat, ut vehementius inde, & non aliter inſaniant, quam ſi inebriamine exagitati ſint.* His prorſus adſtipulatur recentiſſimus Scriptor YOUNG, [e]) nil boni ab Opio expectandum eſſe affirmans quando Æger cum furore delirat. Sane ex obſervatione Cl. LORRY [f]) Maniacum hominem in furorem conjecit Opium.

d) *in Tab. de Mania caut. 6.*

e) *c. 23. in fine.*

f) *Recueil periodique d'Obſervations de Medecine T. IV. à Paris 1756.*

§. VI.

*Non convenit Maniacorum inquieti & vigiliis.*

Et cui tandem fini primario deſtinantur Opiata apud Maniacos? Si Practicos omnes conſulas, nulli alii, quam ut eos quietos reddant, & ſomnum, qui aliquando per multas noctes, & per aliquot hebdomades abeſt, inducant. Hoc patet ex omnibus Auctorum in antecedentibus adductorum elogiis, Opio dicatis in therapia Maniæ, cum quibus faciens Cl. LAZERME [g]) quamvis VSes balnea, purgantia, diluentia, refrigerantia, martialia non omittat, *Quia Vigiliæ* inquit *in hoc morbo ſunt pertinaciſſimæ, ut Ægros per aliquot menſes aliquando non dormiviſſe aſſerat* FERNELIVS, *ſomnus laudano eſt conciliandus, cum ad morbi ſolutionem vel remiſſionem magnopere poſſit. Exhibeatur ergo laudanum ad gr. iv vel vj juxta ægri vires & delirii vehementiam, ſingulis diebus hora ſomni.* Neque ſane hanc intentionem aliquis facile illaudabilem dixerit, dummodo ſomnus ille, quem adfert Opium, ſi eum adfert, rebus Maniacorum vere conferat, illique evigilantes melius habeant, & ſapientiores inde reddantur. Verum ex obſervatione TIMÆI [h]) ſæpe ſoporifera apud Maniacos ne quicquam proficiunt, Ægro, uſu non obſtante, pertinaciſſimis & continuis Vigiliis in multos quandoque dies, imo menſes detento. Deinde Experientia IX Sectionis I. hujus libri docebat, Opium ali-

g) *de Morb. Capitis Cap. VIII. p. 140. 141.*

h) *lib. I. Caſu 9.*

quibus equidem producere ſomnum, eumque placidum & amœnis ideis ſtipatum, & præcipue modica doſi, aliquando vero etiam, maxime largiore doſi, valde turbulentum, inſomniis tetris & phantaſmatibus turbatum, imo vero non dormientibus deliria. Quodſi vero, ſi tum, quod notat de GORTER[i]) quando phantaſmata idolis ſomniantium ſimilia, ſenſubus non oblata neque ex mentis voluntate concitata, vigilantes occupant, homo deliret, ſatis clarum eſt, inter ſomnia turbulenta dormientis ab Opio, & inter ſomnia turbulenta vigilantis Maniaci, ſummam dari affinitatem. Vix ergo probabile erit, hæc opio deleri poſſe, quin valde veriſimile redditur, ſi etiam per opium dormiat tandem, qui vigilans ſomniaverat, Maniacus, ejus ſomnia dum dormit, multo magis tetra & turbulenta futura. Sed huic conſiderationi & hoc accedit, quod ex obſervatione notiſſima Medicorum omnium, ut verbis utar Cel. MEAD,[k]) *Maniacis quadruplex doſis Opii vix ſufficiat, ad ullum ullius momenti effectum producendum,* (ergo etiam ad ſomnum) *cum hujusmodi Ægris mens alte occupetur, his illisve ideis amoris, iræ, & ſimilibus, hinc non tam facile moveatur, vel divertatur ab his ad gratas ideas, quibus alias obſequi vellet, et ob quas creandas hoc medicamentum præcipue æſtimatur.* Hæc fuit ratio, quod quiete & ſomno a mediocribus Opii doſibus non inſequentibus, ſemper ad majores adſcendendum duxerint multi Practicorum, & inter eos HEVTIVS & Medici monſpelienſes, quod ipſum an cerebro Maniacorum ſit conveniens, an ipſis ſomnum, qui ſanis hominibus a largiori doſi inquietus eſt, & turbulentus, placidum promittat, an ſenſorium commune nulla ratione offendat, an veram & conſtantem ſanitatem ægris promittat, Lectores circumſpecti dijudicent. Sane quantum ego intelligo non præter rem ſcripſit AVRELIANVS[l]) quod illi Medentum qui papavere Maniacis altos ſomnos efficere cupiunt, ipſis potius gravationem capitis, quam ſomnum inducant.

i) *Med. dogm. de delirio* §. 5.

k) *de venenis* p. 132.

l) *lib. I. tard. paſſ.* c. 5.

ducant. Atque etiam non ſine ratione HELMONTIVS advertere jubet illos, qui Amentes per ſoporativa ſanare intendunt, narcotica vix ſomnum conciliare amentibus quadrupla doſi, & amentiam inſuper augere.[m]) Et alibi immanibus ſoporiferis Maniæ ſuccurrere fruſtra fuiſſe tentatum, terrore plenam eſſe eorundem exhibitionem, ſomniaque moleſta iis excitari, aſſeveravit.[n]) & alio adhuc loco,[o]) errare inſigniter eos profitetur, qui Maniam Opiatis compeſcere ſatagunt, cum omne Opiatum in ſe ſit amens, & amentia ſomnium vigilans, cum decupla doſis vix ſomnum amenti conciliet, cum ſomnus ſponte obveniens ſit ſanitatis præcurſor, ab opiatis vero excitatus laborem adferat, & pro malo declarari debeat. Sat infeliciter WEDELIVS[p]) contrarians HELMONTIO, nil valere dicit animadverſionem ejus, vix ſomnum ciere narcotica quadrupla doſi, ergo non convenire, nam purgantium eandem eſſe rationem, hincque inſtat, danda eſſe, vt hæc, ita & illa majore doſi. Ego autem vix eo audaciæ procedam. Semper mihi placuerunt quæ huc apprime facientia conſignavit noſter SENNERTVS:[q]) *Cum Vigiliæ in hoc malo ſint pertinaciſſimæ, ut ægros nonnunquam per aliquot menſes non dormiviſſe obſervatum ſit, ſomnus omnino provocandus. Monendum autem hic eſt, ſomniferorum non eandem eſſe naturam. Quædam enim licet ſomnum inducant, ſpiritus tamen magis turbant, & ubi Ægri evigilant, longe inquietiores quam antea evadunt, ac malum curatu difficilius reddunt, qualia ſunt hyoſcyamus, ſolanum furioſum, imo nec opium ipſum niſi corrigatur*, (ſed hic labor inanis eſt, etiamſi quod SINAPIVS vult *de remedio doloris* c. 5. correctio pro maniacis per menſtruum acidum fiat:) *ab hac noxa immune.* Addit, quæ perpendi cum cura velim, *Sicut nemo, vino vel ebrietate quæ etiam ſomnum inducunt, Maniacos ad ſomnum deducere audet, ita quoque cum hic non ſolum ſomnus quæratur, ſed ſomnus quietus, ea eligenda, quæ ſimul ſpiritus quietos*

m) *Retenſa*. p. 382.

n) *Ius Iurandum* §. 56.

o) *de lithiaſi* c. IX. textu 84.

p) *diſſ. de Mania* p. 18. 19.

q) *Med. Pract. Lib. I. Part. II. c.* 15. p. 420. 421.

*tos reddunt.* Atque his monitis apprime congruunt animadverſiones Cl. MEAD,[r]) calci tractationis de Inſania adjectæ. *Anodyna medicamenta* inquit *ad ſomnum arceſſendum rariſſime in hoc morbo juvant. Nihilominus autem, in caſibus nonnullis, ut in magnis animi terroribus, aut ubi per longam ſollicitudinem vel triſtitiam, pervigilio fatigatus eſt Æger, illa experiri non alienum eſt.* (ſed hic loquitur præcipue de Melancholia, quam cum Mania ſub uno nomine Inſaniæ comprehendit.) *Neque tamen diu in his perſiſtendum, non raro enim etiam cum ſomnum inducant, expergiſcitur laborans terrificis imaginibus gravius quam antea tentatus.* Igitur non multum boni promittere Maniacis videtur ſomnus Opio ipſis conciliatus, cum evigilantes inter phantaſmata, ad ſaniora ratiocinia non tranſeant, ſed ſopore diſcuſſo, æque ac antea furant & inſaniant. Non habet propterea cur glorietur Medicus, quando Maniacum ſuum ægrum Opio affatim dato, ad tempus ſopivit, & coërcito forte furore, quo in adſtantes amicos inter clamores, & criminationes ferebatur, mitiorem, tractabilem & taciturnum magis reddidit, namque ſaltem an ſapientiam ſomno inducto reduxerit Opium, quæritur. Ego ut nil diſſimulem, inter noſtrates, non memini ullum me vidiſſe Maniacum, qui ex voto plenam & conſtantem mentis ſanitatem obtinuit, quando opio largiter paſtus fuerat. Sed tales omnes quietiores licet facti, in perpetuam immedicabilem, & plus quam puerilem fatuitatem geſtubus et dictis ſeſe abunde prodentem, prolapſi ſunt, recurrentibus tamen etiam ſubinde per intervalla furioſis deliriis. Revocavit hæc obſervatio mihi in memoriam, cautionem PISONIS,[s]) qui ad procurandum ſomnum, ſoporiferum diacodium audacter quidem exhibendum, ſed ubi prima die æger ſatis dormiverit, una die interpoſita ſaltem rurſus propinandum cupit, poſtea vero non offerendum iniungit, ne ſenſus ſtupidiores reddat. Atque propterea rectiſſime HOFFMANNUM

r) *Monit. med. p. 56.*

s) *de cogn. & cur. Morbis cap. de Mania.*

NVM [t]) ſcripſiſſe convictus fui, Neutiquam eo audaciæ procedendum eſſe, ut apud Maniacos ad ſedantium claſſem, quæ ſuſpectæ admodum fidei ſunt, opiata & narcotica referamus, & propinemus, cum hæc membranas cerebri ſtupefaciendo, Maniacos quidem inſultus levent & minuant interdum, ſed majorem dementiam & fatuitatem inferendo, in aliud ſæpe extremum Ægros præcipitent. Tanto autem certius creditu hoc ipſum reddi opinor, cum per experientiam ſaniſſimi et ſapientes antea homines, inter Populos Orientales a longa & liberali Opii ingeſtione vere fatui tandem, et mente impotentes reddantur. Nemo dubitat, ſi ad ſtylum Veterum loqui licet, Maniacos fere ſemper calida laborare cerebri intemperie, atque ob eandem et vigilare, et inſanire; igitur vigilias et inſaniam eorum hypnoticis refrigerantibus, et humectantibus dextre & ſalutariter ſaltem oppugnari poſſe, calidis vero & acribus exaſperari debere, clarum reddi opinor. Qui raptum humorum ad caput avertere, qui circulum impetuoſum & inordinatum refrænare, atque ad temperiem reducere, qui refrigerantia ſoporifera, de quibus pulchre exponit HALLERVS, [u]) apte adhibere noverit, is certe ſolus, ſi Medicina juvare poteſt, ſomnum et mentis ſerenitatem ſimul reducet. Opio autem circuitum humorum accelerante, & congeſtionem ad encephalum augente, hoc ipſum haud feliciter & ſecure impetrari poſſe, ſed potius eodem caput internum ſemper magis magisque aggeſtis humoribus gravari, pulpamque cerebri & nervorum comprimi, adeoque omnes functiones, quæ ab eorum integritate iam turbata pendebant, prorſus turbari, clariſſime perſpicitur. Egregie WILLISIVS, [x]) qui in Mania ſomnum valde neceſſarium, ſi prorſus defuerit, Anodynis interdum exhibitis et hypnoticis a ſe capite præcedente de Melancholia præſcriptis accerſendum dixit, ibidem blandiora, ſera nocte quando opus eſt ſumenda, decoctum fl. para-

t) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. Cap. 8. p. 225.*

u) *Videantur Primæ lineæ Phyſiol. §. 570.*

x) *de Anim. Brutorum Part. II. c. XII. p. 295.*

paralyſeos, fol. lactucæ, ſyr. pap. rhoead. emulſiones, ſyr. de meconio, aliaque benigna tantum, ſpiritus demulcentia commendat. [y]) Namque in ſubſequentibus non diffitetur, frequentem Opiatorum vſum quibusdam mentis aciem valde perſtringere, & ſtupiditatem atque Moroſin ingignere. [z]) Atque ſic, niſi fallor, ſatis clare pateſcit, non adeo tutum remedium eſſe Maniacis Opium, ut communiter habetur.

y) *cap. XI. p. 279.*

z) *cap. XIII. p. 300.*

§. VII.

*Magis ad eas facit Camphora. Opium & aliis reſpectubus Maniacis haud conducit.*

Sane multo ſecurius & certius opem his Ægris Camphoram præſtare, Obſervatores docent, quam largius datam jam excellentiſſimum remedium dixit DEODATVS. [a]) Laudat eam, ut in aliis morbis, ita et in hoc HOFFMANNVS, [b]) eademque in Emulſione cum nitro exhibita Maniacam ſanavit. Simili ratione exhibendam etiam commendat HEISTERVS. [c]) Præmiſſis præmittendis, Maniacum camphora penitus ſanitati reſtituit Joh. Samuel de BERGER, [d]) in eo vero momentum præcipuum curationis ſitum eſſe dicit, ut ſufficiente doſi & diu ſatis uſurpetur. Imo vero camphoram vi etiam anodyna pollere, & certius tutiusve, quam ipſum Opium inſanientibus ſomnum arceſſere, cum nonnullis Autoribus expertis affirmat MEAD. [e]) Novi, quod & notavit Cel. VOGEL, [f]) Cl. KINNEIR [g]) frigidis corporibus ſaltem camphoram deſtinare, ſimulque aſſerere, quod calidis et plethoricis noceat, et morbum augeat. Neque ego facile ſine præmiſſis præmittendis, et ſine adjecto largo nitro camphoram maniaco exhiberem, qui, quod in me comiter animadvertens, [h]) et me ſibi contraria in duobus libellis ſcripſiſſe exiſtimans, laudatus VOGELIVS largietur, valde alienus ſum, ut aliter quam per accidens, calidiſſimum hoc remedium refrigerare ſtatuam, neque enim nativum calidum ingenium camphoræ ullibi negavi, vel ſolo guſtu ſatis percipiendum. Sed ad Opium revertor, atque ejus agendi virtutem cum ingenio Maniæ conferens, circa mutuum utriusque in ſe habitum, nonnulla adhuc adferre

a) *Panthei Hygiaſtici lib. III. c. 21.*

b) *Med. Conſ. II. p. 126.*

c) *Comp. Med. Pr. c. XIV.*

d) *Commerc. litt. Norimb. 1735. hebdom. 4. vide &* hannöveriſche nützliche Sammlung. 1755. 84 und 92tes Stück *ut &* Fränkiſche Sammlung. 28. St. *non minus* die Stuttgarter *Selecta phyſico-oeconom.* 1753. 10. St.

e) *Monit. med. p. 54.*

f) *Hiſt. Mat. med. p. 311.*

g) *Phil. Tranſ. No. 400.*

adferre non negligo, quæ in Melancholiæ conſideratione jam curatius monui. Nemo negaverit, omnia, quæ debilitant cerebrum, cum ejus involucris, ut ad Melancholiam, ita & ad Maniam diſponere, quorſum ſpectant Animi pathemata graviora & diuturna, ſtudia nimis culta, morbi capitis prægreſſi, et alia; atque hujus momenti intuitu opium, quod ſine controverſia capite debilibus omnibus inimicum eſt, quodque per ſe et ſolum paulo liberalius et diutius exhibitum cerebri debilitatem poſt ſe relinquit, neutiquam Maniacis, ut cerebro debilibus, conveniens pharmacum videtur. Ad cauſas, quæ ad Maniam diſponunt, cerebrum debilitando, easque primarias, & frequentiores, ſine dubio etiam pertinet Vinolentia et Ebrietas habitualis, cereviſiis ſaturatis, Vino, ſpiritu Vini concitata, maxime ſi excandeſcentia animi ſubinde acceſſerit, atque hoc ipſum numeroſæ apud Obſervatores occurrentes hujus morbi hiſtoriæ confirmant. Ita Mania a Vini abuſu, in *Miſc. Nat. Cur. Cent. III. p. 225.* et a ſpiritu Vini juniperini *Dec. IV. Anno IV. obſ. 97.* legitur. Ipſa ſane Ebrietas ſecundum HIPPOCRATEM eſt ſpecies delirii, et Maniaci omnes, etiam ab aliis cauſis in hunc morbum prolapſi, et jam delirantes, conſiderari poſſunt tanquam ebrii. Largarum vero doſium Opii, apud Turcas et Perſas effectus, notante MEAD, [i]) non alius eſt, niſi ſumma Ebrietas. Et hanc ebrietatem, conſuetudine jubente, ſibi quotidie inducere coacti, ſi Opio careant, ſubſtituto Vino ſibi conciliant. Quis igitur Medicus facile Ebrietatem opiatam et vinoſam, inebriantibus, Vino vel Opio abigendam eſſe decerneret? Vix eapropter Maniacis Vinum, quod fere omnes Autores diſſuadent, poterit conducere, ſed multo minus ipſis conducere poterit Opium. Miror annotaviſſe Cl. LORRY [k]) Maniaco datum Vinum quietem conciliaſſe; fides ſit penes Autorem, neque puto hunc effectum univerſalem fore, at interim obſervavit ſimul, ipſi exhibitum Opium furorem inſigniter adauxiſſe, ut

h) *in exercit. de Virtute Camph. refrigerante, & libello de cholera, in quo de ſenſu ardoris locutus ſum.*

i) *de Venenis p. 130.*

k) *Recueil periodique d'obſervations de Medecine etc. par Mr. Vandermonde Tom. IV. p. 68.*

ut jam in antecedentibus notavi. Id ſaltem certum eſt, ebrium modice delirantem vino adhuc ſuperingeſto tandem furere, donec ſopitus ceciderit, alteroque mane gravitatem et ſtuporem in capite perſentiſcere. Magis adhuc propterea metuendum erit, ne ingeſto Opio in majorem furorem adigatur Maniacus, aut ſopiatur, ſine emolumento gravius & debilius ac antea, caput habiturus, majoremque ſtupiditatem exhibiturus.

Dixi de debilitate ſolidorum encephalicorum, apud Maniacos; ſed et ulterior conſideratio conditionis vaſorum cerebri, quæ præſente Mania obtinet, haud videtur favere exhibitioni liberaliori Opii, in hoc morbo. Sectiones cadaverum præter cerebri ſiccitatem, præter vitia alia in ſolidis, [l]) in membranis, in ipſa Glandula pineali [m]) etc. ſemper exhibuerunt ſinus ſanguine denſo et multo refertos, arterias anevriſmaticas, venas varicoſas, plexusque choroidæi vaſcula dilatata & cruore turgida, ſerum ſanguinolentum vaſis elapſum. [n]) Igitur quando certum eſt, æquabilem circuitum ſanguinis ſani, & per vaſa naturalem diametrum habentia mobilis requiri ad ſanitatem mentis, certum quoque redditur, vaſa Encephali ſanguine nimio & immeabili onuſta, inæquabilemque illius, hic impeditum, illic celeriorem motum, delirio maniaco occaſionem ſuppeditare. Id ergo remedium, quod ex ſua indole caput obruit aggeſto ſanguine, quodque eapropter vaſorum elaterem minuit, juvat potius conditiones cerebri, quibus poſitis Mania adeſt & perdurat, tantum abeſt, ut ipſas minuat. Igitur ex ſua nativa indole vix poteſt prodeſſe. Nil huc facit rarefaciens et attenuans Opii virtus, quam forte aliquis ſoluturam ſpiſſum illum ſanguinem ſperare poſſet; namque animadvertente MEAD, [o]) ſanguinis texturam fortem, et nixum globulorum in contactum magnum apud Maniacos, ſpirituoſæ Opii particulæ non æque poſſunt diſſolvere, et ſejungere, ut in hominibus aliter conſtitutis. Succi horæorum diu uſurpati,

l) *Act. Edimb. IV. No. 26. habent Maniam ab induratione duræ matris.*

m) *Vid. Programma Cel. Günzii de lapillis Glandulæ pinealis in quinque mente alienatis. Nuck interea in epiſtola de inventis novis, quæ habetur Adenogr. p. 151. dicit, hominem ingenioſum fuiſſe, in cujus glandula pineali 14 calculos invenit. Hinc Günzius ſuadet, cum obſervationes de lapillis hujus glandulæ nec ad firmandam nec ad redarguendam Carteſii ſententiam ſufficiant, mente alienatorum cerebrum ſæpius explorandum eſſe.*

n) *Act. Nat. Cur. Vol. IV. obſ. 39. talia habent. Conf. & Boneti Sepulchretum.*

o) *de Venen. p. 133.*

pati et ſaponacea antiphlogiſtica, longe convenientius huic fini inſerviunt.

Dum inſalubrem aut ſaltem valde dubium uſum Opii, apud Maniacos expono, non obliviſci debeo excretionis alvinæ, magnam attentionem in curatione hujus morbi promerentis. Alvus plerumque ſiccior eſſe ſolet ejusmodi Ægris, ſique nimis diu conſtricta manſerit, illi ſemper pejus habent. Purgantibus præterea in curatione ab omni ævo magnus honos habitus eſt, quantumque HIPPOCRATES, & poſt eum Antiquiores Medici vel helleboro ſoli tribuerint, in vulgus notum eſt, in cujus locum tamen recentiores merito purgantia refrigerantia & ſaponacea ſuffecere. Tandem quoque fluxu alvino non raro Mania ſolvitur, ipſeque artis Parens *dyſenteriam ab Inſania bonum* edixit. p). Sed his omnibus momentis e diametro contrariatur Opium, alvinam excretionem ſemper retardando; humores qui jugi purgantium uſu a capite revelluntur, iterum verſus illud impellendo; ſalubrique forte futuræ diarrhoeæ, & critici quid habenti remoram injiciendo, quare vel his ſolis reſpectubus anceps remedium haberi meretur.

p) *lib. VII. aph. 5.*

§. VIII.

*Specialior Maniæ Conſideratio. Mania ex prægreſſa Melancholia.*

Egi hucusque de Mania ſine reſpectu habito ad ſpecialem ejus faciem, quæ eidem tamen non eadem ſemper, ſed ſubinde valde differens eſt, quæque pro ſua indole, ut in applicatione remediorum omnium, ita & ſeorſim ipſius Opii, curatius attendi debet. Commemoranda igitur primo loco eſt Mania ex prægreſſa Melancholia oriunda, cujus radicalis curatio unice ſolutione & eliminatione ſpiſſi & atrabilarii ſanguinis nititur, ſine quibus impetratis nil certi, nilque conſtantis in ſanitate etiam redire viſa, ſperari poteſt. Attendendum vero maximopere eſt, an materies hæc ſit craſſa & frigida, an acris & calida, an acidæ, an alcalicæ indolis, cum pro hac differentia diverſa omnino ſeligenda ſint remedia, quæ BOERHAAVIUS, van SWIETEN, &

de GORTER [q]) egregie exponunt. Quanquam vero ſi modo his rite applicatis, dictæ Indicationi unice valenti prorſus ſatisfiat, palliationi hujus vel illius emergentis ſymptomatis, opium ſub conditionibus antea cum de Melancholia tractarem, a me explicatis, inſervire queat, tamen vere per ea, quæ hoc capite propoſui, ipſi delirio levando id non bene convenit. Sine opio autem omni, atque inſuper paucis & evporiſtis pharmacis, hanc atrabilariam Maniam, modo per tempus bene longum ea adhibeantur, fere ſemper curari poſſe, docet notabilis valde & elegantiſſimus locus in Comment. BOERHAAVII ad aphoriſmum 1119. *Puto*, inquit, *omnes hos ægros poſſe ſanari, niſi morbus ſit a nativitate, ſi modo Medicus cautus ſit & tuta medicamenta adhibeat, tum tota materia liquefacta extra corpus eſt ducenda. Ratio cur hoc credam eſt, quia habui diſcipulum Medicum, qui per duos annos vinculis fuit coërcitus. Juſſi ut nil ipſi daretur, quam ſerum lactis, aqua & fructus horæi. Cum his fere per annum eſſet uſus, nuncius ad me acceſſit, enarrans eum moriturum, quia alvo excluſiſſet multum materiæ nigræ, nunc jacere in terra; quodammodo mentis compotem factum. Dabatur ipſi aqua cum pane & pauco vino, ſicque ſanatus eſt. Sed ad curam multum temporis requiritur, & continuatio remediorum, dolendum, quod Amici mox ad hunc, mox ad illum Medicum confugiant; cum tamen pauciſſimi veram medendi methodum intelligant.*

q) *Med. dogmat. cap. de delirio.*

* * *

*Mania ab inanitione.*

Sequitur Mania ab Inanitione, diuturnæ inediæ, vigiliis aſſiduis, & largis evacuationibus ſuccedens, atque poſt febres autumnales, corpore tam per morbum, quam per VSes & purgationes alvinas iteratas exhauſto, non raro eveniens. Hanc ſui generis Maniam prætermiſſam Practicis, ſollicite notarunt primo quidem SYDENHAMVS, [r]) deinde & THOMSON, [s]) BOERHAAVIVS, [t]) HOFFMANNVS, [u]) atque de GORTER. [x]) In ejus ſanatione omnes

r) *p. 100. 123.*
s) *diſſ. de Opio p. 124.*
t) *aph. 1126.*
u) *Med. Syſtem. Tom. IV. Part. IV. p. 223*
x) *Med. dogmat. p. 86.*

omnes evacuationes abeſſe debent, nulla VS., nullum purgans, ut in aliis Maniis locum habet, cum adeo SYDENHAMO monitore, clyſma ex lacte ſacharato res ægri deteriores reddat, atque evacuantia intempeſtive uſurpata immedicabilem fatuitatem poſt ſe trahant. Solis replentibus cardiacis & roborantibus, per obſervata Clariſſimorum horum Virorum, hoc mali genus cedit. At vero nonne Opium merito ſalutatur Cardiacum, humorum vappidorum expanſionem naturalem ciens, circulique vires dejectas intendens? Nonne ergo ſi cardiaca hic juvant, Opium etiam juvamen adferet? Ita omnino ſe res habet! Opiatam Theriacam Andromachi, Electuarium de Ovo, ter de die, doſi etiam liberaliore, ſimulque Victum analepticum, & potum generoſiorem, ad aliquot ſeptimanas, quibus elapſis ſanitatem ſpondet, exhiberi juſſit SYDENHAMVS. [y]) Hunc ſecutus diaſcordium & theriacam cum aromaticis calidis laudavit etiam BOERHAAVIVS, [z]) atque in hac Maniæ ſpecie & uſum vini, quod alioquin merito maniacis vetatur, licitum eſſe & adhiberi debere alibi injunxit. [a]) Non minus prorſus egregie notavit THOMSONVS, Si ab inanitione deliret Æger, expanſo ab Opio ſanguine, & neruorum liquido, cerebri compagem, cui imprimuntur ſpecies, ad juſtum reſtitui tonum, & delirii fieri ſolutionem; unde in febribus nulla juſta Criſi judicatis, & ob debilitatem ægri diutius protractis, præ nimia nervoſi liquidi inanitione, Opio ſenſim dato, quia debiles nil generoſum confertim datum ſuſtinent, felicem inſecutam eſſe morbi ſolutionem. Nondum ego dememini Fœminæ, cui per diarrhoeam diuturnam, ex ſola laxa debilitate inteſtinorum, & hyſterica ſenſibilitate pendentem, mens turbabatur, ita ut ſine febre deliraret, agnatis ſuis vociferationibus, increpationibusque perpetuis moleſta, quibus & ſilentia noctis nullam remoram injiciebant. Dedi victu nutriente imperato, per diem blandiora emulſiva cum martialibus, atque veſperi theriacam per 4. ſeptimanas,

y) *loc. cit.*

z) *Mat. med. ad aph. 1126.*

a) *in Comment. ad hunc aph.*

omniaque ſenſim meliora reddi miratus ſum, ſomno etiam blandiore ſubſequente, a quo expergefacta ſemper magis mitis & comis reddebatur Ægra. Dumque deinde *Commentaria Swieteniana* volvebam [b]) Theriacam Andromachi Eximio Viro, SYDENHAMI veſtigia prementi, & ut cardiacum, & ut hypnoticum, in hac Maniæ ſpecie conveniens deprædicari animadverti. Valde vero cavendum, ne dum in hac Maniæ ſpecie, Opium, ut Ill. van SWIETEN loqui amat, *juvare videtur*, id aliis etiam Maniæ ſpeciebus fructuoſum habeatur. Pulchre inquit de GORTER: [c]) *Generaliter in delirantibus vini potio non eſt ſuadenda, niſi quando homo ex defectu Virium delirat & tunc minima portio data ſufficit, nam major etiam augeret delirium.* Si hæc cautio de Vino valet, deque modicis ejus doſibus, valebit etiam, & multo magis de Opio. Sique in hac ſola Maniæ ſpecie, a debilitate ſolidorum, & fluidorum paucitate & vappeſcentia, tamen ſaltem modicæ doſes & Vini, & Opii, conducunt, nocebunt in aliis ſpeciebus etiam modicæ, & tanto certius largiores, id quod partim ex dictis jam conſtitit, partim ex mox dicendis uberius conſtabit.

b) *Tom. III. p. 531.*

c) *Medicinæ dogm. cap. de delirio p. 98.*

§. IX.

*Mania plethorica.*

Supereſt adhuc Mania, quæ ſine prægreſſa Melancholia, ſine exhibitis evacuantibus, ſine inducta debilitate, ætate florentibus, calidis, ſaniſſimis, ſanguine plenis, febrem inflammatoriam & phrenitidem non juſta methodo exceptam perpeſſis, diætæ lautæ vinoſæ adſuetis, ruborem vultus et adnatam vaſis rubris turgentem exhibentibus, hæmorrhoidum, menſium, lochiorum ſuppreſſione laborantibus, evenit, de qua SYDENHAMVS [d]) et BOERHAAVIVS [e]) ſeorſim egit. In hac VSes repetitas, et purgantia repetita, uterque laudat, his tamen præmiſſis SYDENHAMVS Electuarium bis dandum per diem ex aromaticis cum Theriaca, ea doſi admiſta, ut paulo minus quam granum unum æger quotidie accipiat, et ſuperbibere jubet Vini canarini hauſtum.

d) *p. 125. 126.*

e) *aph. 1127.*

BOER-

BOERHAAVIVS autem impetrata per VSes iteratas, & purgantia fortiora ſedatione, opiata quoque commendat. Simili ratione PITCARNIVS [f]) VSem, Purgationem, Vomitionem, cucurbitulas, balnea, ſachari ſaturni tenues doſes, in potu ſuadet, atque his denique peractis, Medicamenta ex opio facta tuto poſſe exhiberi aſſerit, quare Emulſiones ex ſeminibus frigidis & papaveris, cum laudano opiato præſcribit. Illuſtris tandem van SWIETEN [g]) in hac Mania præmiſſis vaſa repleta vacuantibus, impetumque a capite avertentibus VSibus, purgationibus validis, pediluviis, epiſpaſticis, roboratis vaſis ſuperioribus, & inferioribus relaxatis, ſi pergat adhuc furor, opiatis tuto poſſe compeſci impetum dicit, atque deinde provocans ad Methodum Cl. HEVTE etiam largiores doſes concedere videtur. Nolim ego his limitibus circumſcriptam Opii exhibitionem, contra Virorum gravium conſilia, improbare. Noto ſaltem, in proceſſubus integris pro Morborum curatione, quos SYDENHAMUS conſcripſit in uſus filii ſui, Medici, ſub titulo *Maniæ*, nil legi de Theriaca, vel Opio, vel vino, ſed omnem medelam committi VSibus, & catharticis repetitis. [h]) Dein adhuc ſemel hic moneo, expoſitioni ſuæ Methodi PITCARNIVM ſollicite præmiſiſſe cautionem, Opium non niſi poſt ſufficientes evacuationes dandum eſſe. Tandem obſecro Lectores meos, ut perpendant ſedulo, quam operoſus ſit Ill. van SWIETEN in coordinandis indicationibus veris, & commendandis remediis quæ ipſis inſerviunt, antequam Opium concedat. Si firmare Encephali vaſa, & relaxare omnia reliqua totius corporis expedit, ſi alliciendus impetus in omnes partes, ut ſolum caput arte firmandum ab eodem immune præſtetur, non licebit improvide porrigere Opium, quod vaſa encephalica evidenter debilitat, quodque ſangvinem expanſum quam maxime, & veluti recto impetu ad caput ruere facit. Quoad Evacuantium uſum, quem urget laudatus van SWIETEN, non puto ſatis inculcari Medicis

f) *Elem. Medicinæ cap. de Mania.*

g) *Comment. Tom. III. aph. 1127. p. 532. 533.*

h) *p. 783.*

i) *diſſert. de Opio p. 124.*

dicis poſſe, quod ſcripſit THOMSONVS,[i]) *In delirio a repletione, ſi Opium exhibeas, aucta ſangvinis & nervoſi liquidi expanſione, augetur morbus.* Huius certe, quam loquor, Maniæ cauſæ omnes in eo collineant, ut vaſa repleant, & repletionem expanſione majorem reddant. Quamvis itaque demta remediis evacuantibus plenitudine, locus nunc opportunus videatur anodynis, ad impetum ut loqui ſolent Medici ſopiendum, conſiderandum tamen, cum aliis remediis vix repreſſus per opium vere denuo iterum augeatur ſangvinis impetus, & fervor, motu ejus projectili, expanſione & directione ad caput auctis, an vaſa encephali nondum ſatis firma reddita ſuſtinere poſſe credenda ſint illum novum impetum, ſine damno. Id ni fiat, impetus ſpirituum etiam non ſedabitur, ſed revocata per opium priſtina circuitus celeritate, ſangvinisque turgore iterum invitato, idem prorſus accidet nervoſo liquido; ita antiqua rurſum obtinebit cerebri conditio, & antiqua manebit morbi facies. Videor forte Lecturorum multis nimis meticuloſus, difficultates otioſas cumulare, cum nemo ſagaciorum Practicorum Opium ſuadentium ſit, qui haud inculcet, non temerario conſilio, ſed actis agendis, id demum exhibendum eſſe. At omnibus prudenter agendis, dum hanc plethoricam juniorum Maniam ſanare molimur, omnibus ſobriis intentionibus Medici, omnium remediorum, quæ ab omni ævo ſalubriter uſurpata ſunt operationi, contrarium tamen eſt in ſua actione Opium. Recenſet plures hiſtorias MARCVS AVRELIVS SEVERINVS,[k]) ex quibus arteriotomia temporali ſubito quandoque ſanatam fuiſſe Maniam patet. Aſſerit, ad quem RIVERIVS[l]) eius veſtigiis inſiſtens provocat, Felix PLATERVS, innumeros Maniacos curatos eſſe a Chirurgis, & aliis, qui ex profeſſo hiſce morbis curandis operam dabant, VSibus crebris, vigeſies adeo imo ſexageſies celebratis. Non ſolum enim venas brachii utriusque, ſed etiam malleoli, frontis, na-

rium,

k) *Medic. efficacis Part. II. p. 45. 46.*

l) *Operum med. p. 186.*

rium, hæmorrhoidum, etiam varices ſi appareant aperiri, injectis per intervalla clyſteribus, purgantibusque adhibitis, cucurbitulas quoque ſcapulis & dorſo cum ſcarificatione, poſt multas phlebotomias, & hirudines temporibus, & prone aures apponi ſuadet. Taceo VSem jugularium, a SYDENHAMO, m) MEADIO, n) HOFFMANNO, o) & aliis, magni factam. Quid vero ſibi volunt aliud hæc ſanguinem detrahendi molimina omnia, quam ut evacuetur cerebrum, & ab onere incumbente liberum præſtetur? quis vero cum his artibus, quis cum purgationibus antiphlogiſticis conciliabit veros effectus Opii, in corpus humanum? quæ effectubus evacuatoriis & revulſoriis in ſolidum repugnant. Accedo ad Nitrum tot Practicis in curatione Maniæ laudatum, quod HOFFMANNVS p) teſtis inſtar omnium, in Melancholia ad Maniam inclinante, & in ipſo furore, peculiarem plane & laudatiſſimum præbere effectum dicit, dum acrimoniam humorum bilioſam temperat, effrænes ſolidorum motus pacat, & immoderatum fervorem ſiſtit. Quomodo cum nitro refrigerante, circulum moderante, orgaſmum refrænante, acrimoniam inde naſcentem corrigente, alvum aperiente, hisque virtutibus Maniæ ſanationem promovente, felix connubium iniret calefaciens, circulum accelerans, orgaſmum intendens, acrimoniam prurientem ciens, alvumque obſtruens opium, hisque ſuis dotibus conditiones omnes juvans, quibus durantibus morbus manet inſanabilis?

m) *p. 125.*
n) *monit. med. p. 51.*
o) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 208.*
p) *l. c. p. 217.*

Neque ſilentio tranſire debeo fructus horæos, ſubacidos adeo ſæpe BOERHAAVIO laudatos, ſuccum citri cum nitro & multa aqua HEISTERO q) commendatum, atque acetum denſo atroque ſangvini in vaſis cerebri ſtabulanti ſolvendo valde accommodatum, inſuperque prorſus eximium remedium refrigerans & ant-orgaſticum, quod forte in laudato illo *decocto nigro brunſuicenſi* plus quam ſangvis aſini, & aqua meliſſæ præſtat. Acetum, verbis utor BOERHAA-

q) *Comp. Med. Pr. c. XIV.*

HAAVII,[r]) in Poſca ebrietati adeo quidem adverſum, ut ſpiritu ſuo eandem feliciter domet, vinoque ſepultum ſi ingeratur excitet. Recte vero Mania permanens ebrietas ſine redeunte ſobrietate haberi poteſt, quidni ergo huic etiam conduceret acetum. Sed inter vera antidota Opii ut alibi videbimus, acetum refertur jure, nonne ergo minus recte in morbo quodam juvare ſtatueretur illud Venenum, in quo verum illius juvat antidotum? Reſtant potentia & actu refrigerantia, ex quibus capiti Maniacorum epithemata parari jubent Practici celeberrimi. Acetum topico uſu aliis addit PISO.[s]) RIVERIVS[t]) aquam Nymph. cum ſalis prunellæ larga & parca camphoræ doſi, itemque aquam roſarum cum ſale ſaturni commendat. TIMAEVS[u]) aquam roſarum cum aceto & aliis, atque balſamum ſaturni, MEAD[x]) acetum roſaceum; aquam roſarum cum aceto roſarum & nitro HOFFMANNVS[y]) extollit. Sed placet etiam Practicis actu frigida aqua ſimplex, capiti applicanda, qua nil æque prodeſſe jam CELSVS[z]) monuit, ARETÆO etiam probata; imo vero recentioribus ipſa nix, & aqua frigidiſſima in uſum vocata eſt, quos laudatos videas apud SWIETENIVM;[a]) ſingularemque plane artem habuerunt nonnulli, totum corpus immergere aquæ calidæ balneo, eodemque tempore frigidam capiti infundere; vel panno aqua frigida madido illud perfricare ſolerter, & diu, Celſi veſtigia legentes, qui ex aqua calida & oleo balneum parabat, & capiti aquam frigidam infundebat.[b]) Quis vero non videt ſcopum omnium huiuſcemodi medicationum? ſane is nullus alius eſt, quam fervorem ſangvinis extinguere, quam cavere raptum humorum ad caput, & vaſa hujus roborare, ut eidem reſiſtant, torrentemque eo excurrentem, in vaſa totius corporis ſub capite comiter invitare. Nonne vero ille, qui dum hoc omne multo labore molitur, tamen ſimul, forte balneum tepidum modo egreſſo, & frigida caput lavato, opium exhibet, ſibimet ipſi, omnibusque ſuis intentioni-

r) *Chem. Tom. II. p. 185. edit. lipſ.*

s) *de cognoſc. & cur. Morbis I. p. 178. 179.*

t) *lib. I. c. 14.*

u) *lib. I. caſ. 8.*

x) *monit. p. 53.*

y) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 237.*

z) *lib. I. c. 6.*

a) *in Comment. III. p. 533.*

b) *lib. III. c. 18.*

tionibus quamvis id nolit, eodem tempore vere contramachinatur? Nimis quippe certum eſt, Opium calidam & prurientem indolem humoribus affricans ſpecifica virtute eos ad caput congerere, & congeſtione omnia ejus vaſa diducere, atque & hac ratione ſimul ſua inſita vi debilitare. Sed ſilentio præterire nequeo Lac aſininum, quod ſumma blanditia, præ cœterorum animalium lacte præditum, Maniaco cum ſero lactis, de omnibus opiatis tacens, commendat Benedictus SYLVATICVS. [c]) Neque is ſolus, ſed ad hanc diem Medici ſummi magnifaciunt lac cum aquis mineralibus, & ſerum lactis, in ejusmodi morbis fructus adhibitionis ſæpius experti. An vero aliunde hi deduci poſſunt, quam quod omnes humores ſic non diluantur ſaltem, & attenuentur, ſed & ſuperata omni irritante acrimonia, blandiſſimi & mitiſſimi reddantur. Quomodo vero virtuti lactis & ſeri lactis correſponderet Opium, acerrimis ſuis & fervidis quaſi particulis humores in orgaſmum conjiciens, & incendens.

c) *Cent. I. obſ. 53.*

Nondum vero omnia excuſſi, quæ Opium apud Maniacos plethoricos, vegetaque ætate homines diſſuadent; arduum nempe adhuc aliquod momentum ſupereſt. Crebra docet Experientia, [d]) ignem amoris otio, lauta diæta & vino quandoque ſuſtentatum, accedente denegata urentis libidinis extinctione, objectique, quod deperitur, fruitione inhibita, perpetuis interim ideis in eodem uno defixis hærentibus, hunc morbum, qui dicente MEAD [e]) totus in vi imaginandi conſiſtit, excludere, ægre tum expugnandum. Sed & pariter obſervationes docent, ſpermatis nimiam, ſive in ipſo congreſſu cum fœminis, ſive per inſomniorum ludibria effuſionem Maniam interdum ingenerare. Atque inter alia ſigna quæ imminere affectum monſtrant, etiam proclivitatem ad venerem majori ſolitam, & frequentes pollutiones nocturnas refert BOERHAAVIVS. [f]) Atque in hiſce caſibus forte præcipue locum haberet Caſtratio,

d) *vide Sinibaldi Geneanthr. lib. IX. Tract. II. c. 14. Plateri obſ. p. 82. 83. & Hoffm. Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. c. 8. p. 195. qui varios Autores allegat.*

e) *monit. med. p. 47.*

f) *in Comment. ad aph. 1120.*

qua Juvenem a furore liberatum, licet in Melancholiam morbus abierit, omnibus aliis nil juvantibus, recenſet RIVERIUS;[g]) cujus tamen operationis omnino humanitati repugnantis pudere debet Medicum, monente PITCARNIO,[h]) licet nonnulli ea ſe Maniacos ſanitati reſtituiſſe glorientur. Talibus Ægris omnibus egregie conuenit nitrum largius datum, & intuitu morbi, in ſe conſiderati; & intuitu ejus cauſæ, quo remedio ſolo TIMÆUS[i]) Ægrum ſalaciſmum, & nil juvantibus præſcriptis remediis, caſtrationem oblato pro munere tolutario equo, acriter petentem, ſanavit. Convenit inquam nitrum, quo olim, ut Ioh. HUMMELIUS[k]) refert, in Anglia elegantior ſexus ſibi veneris delicias ereptas indignabunda dolebat, ex quo VERULAMIUS uſum polychreſtum hujus remedii deprædicaverat. Conveniunt porro acida, inter quæ ſuccus citri mirifice ad ſeminis copiam minuendam, & orgaſmum extinguendum confert. Hæc ſi ita ſeſe habeant, quomodo Maniæ huic a ſpermatis turgeſcentia & pruriente indole enatæ, laudatis modo antaphrodiſiacis arcendæ, levandæ, expugnandæ conferet aphrodiſiacum Opium? Opium, quod ſtudio devorant Populi orientales, ut de nocte adamatas puellas videant, quod, ſi ullum aliud remedium, œſtrum venereum etiam ſegnioribus in Amoris palæſtra, excitat, quod eviratis viſis virilitatem ad tempus elargitur; atque ſenes adeo & morum caſtimonia pollentes nocturnis imaginibus deluſos ſtragula ſua polluere facit. Aut ceſſare debet Opium eſſe Opium, aut impoſſibile eſt, ut hujus generis Maniam non graviorem reddat, tantum abeſt ut ſanet. En hujus rei idoneum documentum![l]) Homo 30. annorum per Amorem ſtultus, cogitatisque ſcrupuloſis perpetuo agitatus, ſanus cœteroquin, ſingulis noctubus furioſus reddebatur, multumque negotii cuſtodibus faceſſebat. Ut pacaret hunc impetum Cl. LORRY Medicus celebris Facultatis pariſinæ dabat eidem potionem ex aquis pro refrigerantibus habitis, adji-

g) *in Obſerv. communicatis obſ. 32.*

h) *Elem. Med. lib. II. c. VI. §. 17.*

i) *lib. III. caſu 52.*

k) *Tr. de Arthritide. §. 19.*

l) *Journal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p. 72. Paris. 1756.*

adjiciebat ſal volatile C C., liquorem Anodynum, caſtoreum & ſyrupum nymph. Hujus uſu æger eo perveniebat, ut per 3. horas dormiret. Sed addebat poſtea LORRY granum j. opii, inſequente autem nocte furor ordinario multo erat vehementior. Altero die præſcribebat grana ij. verum duplicato impetu redibat de nocte furor, dieque ſubſequente tranquillus equidem ſed laſſus & debilis erat æger, ſimulque ſubſultus tendinum obſervabantur per totum corpus. Nonne hic manifeſte aphrodiſiacus furor opio fuit exaltatus? nonne huic ægro potius profuiſſent cum nitro acida omnia? Sollicite igitur Medicus attendat neceſſum eſt, ut conveniens etiam omnibus penſitatis opium in medela habens, ab eo abſtineat ſi ſpermatis orgaſmus & occultus Amoris ignis occaſionem dederit malo. Valde ego abſum, ut credam de furore uterino agenti BALLONIO,[m]) Opium in furioſis his affectubus plurimum prodeſſe. Miror potius valde eundem non tantum litubus & cataplaſmatibus ſed & frontalibus Opium adjicientem, illi tamen locum non eſſe aſſerere, ſi corpus molliuſculum ſit, niſi vis ejus emendetur fl. lavend. nuce moſchata, caryophyll. pulvere majoranæ, non autem croco, euphorbio, caſtoreo, quia hæc ſint Καρηβαρικὰ, quaſi vero ipſum Opium tale non eſſet, imo vero caſtoreo & croco longe potentius Καρηβαρικὸν.

m) *de Mulierum & Virginum morbis Cap. de furore Uterino.*

§. X.

*Mania ſanabilis, ſine Opio feliciter poteſt curari.*

Hæc poſtquam hucusque deduxi, propriam jam apponere deberem in curatione Maniacorum experientiam, quæ tamen ut nil diſſimilem, mea dum ipſis medebar in timorem conjecti culpa, illam non æquat, quam in aliorum morborum curatione acquiſivi Medicinam faciens. Non equidem quod ſibi factum HILDANUS[n]) recenſet, eousque male mecum egerunt Maniaci, ut parum abfuerit, quin trucidatus eſſem, aut morſu partem digiti amiſiſſem; tamen poſtquam mox abrepto capillamento proprios capillos ruditer vellicarunt, mox ſputa in faciem conjecerunt, mox

n) *Cent. IV. obſ. 9.*

guttur comprimere moliti ſunt, mox ſtricto enſe me perſecuti fuere, mox minaci vultu cultellum in faciem conjicere tentarunt, mox S. Bibliis in folio caput percutere laborarunt Inſanientes, cautius pauliſper cum iis agere didici, & ut vera loquar, rarius memet arbitrio ipſorum permiſi. Non tamen invitatus detrectare ſemper potui medelam, nunquam vero Opium his Ægris præſcripſi, nihilominus in variis caſibus non omnino infelix. Bene memini Virginis nobilis plethoricæ, menſium emanſione laborantis, Matremque nactæ, quæ violentæ affectuum tyrannidi antea ſemper ſubjecta atque meditabunda per aliquot hebdomades, violentas tandem manus ſibi ipſi intulerat. Effecerat ſine dubio hic tragicus caſus, ut optima Virgo pudori & ærumnis animi indulgens & perpetuo contriſtata, ipſa deſipere tandem & furere inciperet. Nil boni ſperans ego, impetravi tamen adjutus conſiliis alius Medici VSe, alvum laxantibus, nitro in omni potu largius dato, aqua ſucco citri & ſyrupis horæorum impragnata, emulſionibus, topicis refrigerantibus, clyſmatibus, pediluviis, ut penitus ad ſe rediret, etiam antequam menſes erumperent, licet poſt aliquot annos in idem fere malum iterum incideret. Alio tempore diu talia conſului Virgini alii nobili Maniacæ, quæ Opium antea ab alio Clariſſimo Medico porrectum largiter aſſumſerat ſine fructu, ſed nil effeci, namque mox garrula vigilare & furere pergebat, mox quietior reddita & taciturna dejecto animo timidam ineptientem & fatuam ſemet exhibebat, felicior forte futura ſi Opium nunquam antea adſumſiſſet. Nullam fiduciam in hoc remedium pro Curatione Maniacorum locans, modeſte me contradixiſſe Medico Amico recordor, cum ad ejusmodi Ægrum cum eodem vocarer, quem Ambitio & ſpretus Amor, quo in elegantem Puellam ferebatur, perdiderant. Allegabat mihi methodum Cl. HEVTE, neque tamen annuere poteram. Proponebam potius nitrata, acidulas & alia, quæ omnia utcunque adhibita vana erant.

Vidi

Vidi inter noſtrates celebrem Mercatorem, qui animi viribus pollens ex multis laboribus in ſeram noctem extenſis, ambitione, proclivitate in iracundiam, curſitationibus, vinoſitate, incidebat in Maniam. Hæc VSibus, purgationibus antiphlogiſticis, ſelteranis, fructubus horæis, nitro largo fruſtra excepta febre accedente tranſibat in Phreneſin, in quam ſine dubio certius & citius tranſiiſſet, ſi æger opio paſtus fuiſſet. Id certum eſt, Maniam peſſimam ſæpe pati curationem plenariam, ſine Opio, etiamſi aliquibus Practicis id tanti in medela æſtimetur, ut prorſus nolint eodem carere, & haud poſſe carere credant. Sciſcitans curioſius, didici hanc veritatem. Namque retulit mihi ordinarius Noſocomii noſtri vratislavienſis omnium ſanctorum Medicus, fidus teſtis, & agnatus meus, ſe ab anno 1729. usque ad 1756. ſanaſſe Maniacos 89., VSibus iteratis ad lipothymiam, Vomitoriis, Purgantibus, aqua frigida multa, pro potu ordinario, addito ſemper nitro, largiore copia, Tincturis vitriolicis, ſine omni Opio, quod curationis genus contra Cl. HEVTE ſolerter notari volo. Plures etiam Maniaci catenis ligati *in Ephem. Nat. Cur. Cent. I. obſ. 84.* curati memorantur, crebro uſu fl. antimonii cum ſale ammoniaco ppt. in potu aquæ ſimplicis per intervalla exhibito nitro, radice hellebori & repetita VSe, adeoque ſine Opio. Neque in apparatu remediorum ad Maniam, quem Chirurgis milites ruſſos curaturis ſuppeditavit Cel. SCHREIBERVS,[o]) invenio Opium, ſed ſaltem VSes, Purgantia, balnea, aquam glacialem, nitrum, acidulas, victum tenuem, fructus horæos, imprimis cucumeres recentes ſale conditos. Non debeo ſilentio præterire, in Noſocomio noſtro Fratrum Miſericordiæ, in quo olim medicinam cum laude fecit Cl. KLAVNIGIVS, ab ejus tempore usque ad præſens nulli Maniaco datum fuiſſe Opium, vel Opiatum aliquod pharmacum. Omnes tractantur emeticis, purgantibus, VSibus, diluentibus, nitro cum camphora, interdum cauteriis actualibus

o) Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten §. 531.

in vertice, quæ ferunt ſine multo dolore & clamore. Atque his præſidiis multi ſanantur.

§. XI.

*Quæ ſpecies ejus Opium ferat.*

Sed ſupereſt tamen adhuc, conſiderarique ſeorſim cum cura debet quædam Maniæ ſpecies, quæ ſi ulla alia, Opii uſum fert, & ſibi præ aliis depoſcit. Docet Experientia, ſaniſſimis antea hominibus, in quorum nec fluidis nec ſolidis partibus eminens vitium hærebat, validos animi affectus iramque præcipue, quæ jam in ſe ſpectata grave delirium eſt, & ſubitaneum terrorem, Maniam interdum inducere. Tantoque magis hoc fit, quo ſenſibilius ipſis & mobilius nervoſum Genus eſt, quare fœminis hyſtericis & puerperium ingreſſis (ſub cujus præmordiis maxime, mira ſæpe obſervatur ad motuum anomalias facilitas) ſi ira excandeſcant, aut terrore graviore percellantur, Mania ſubinde ſupervenit. In Puerperis perterrefactis equidem concurrere poſſunt ſuppreſſa lochia, & ſanguinis valida repreſſio ad caput, non Maniam ſaltem, ſed ipſam phrenitidem inducere apta. At maxime tamen motus nervoſi fluidi turbatus, & ipſius ſenſorii communis inde enata adfectio præternaturalis, in his caſibus accuſari debet, cui nil æque feliciter medetur quam Opium, ut in aliis morbis, ab eadem hac cauſa prognatis, quod & ſuppreſſa lochia ſæpe feliciter reſtituit. Neutiquam equidem excluſa volo alia remedia ab individualibus conditionibus flagitata, VSes, laxantia alvum, & alia æſtui ſanguinis iram inſequenti, aut motui ejus ab exterioribus ad interiora repreſſo, quem terror ciet, ſecundum artis leges debita. Videtur vero his optime jungi vel ſubjungi Opium poſſe. Scilicet affectus animi vehemens conſiderari debet tanquam nervis inhærens aliquis ſtimulus, qui evelli debet, ſi cita evulſio non poſſibilis, ut alio tempore, quando materialis ſtimulus tolli ſtatim nequit, nervis tantisper inferendus eſt aliquis ſtupor, ut ſtimulum non ſentiant. Dum ergo adhuc alta mente repoſtus manet, ſemel

natus,

natus, aut quandoque renovatus affectus, aliis agendis actis, expedit quandoque, Opio quod animum pacat, & ſomnum inducit, felicem ærumnarum & curarum oblivionem inducere, atque ſimul motus corporeos anomalos, ab animo male affecto pendentes, coërcere. Interdum tamen etiam evulſo morali ſtimulo, menteque remediis a ratione & religione petitis ad quietem reducta, nihilominus perdurant motus irregulares in machina corporea, nervorum nimis ſenſibilium vitio, atque & tum nil æque juvamen adferre videtur, quam anodynum ex opio pharmacum. Hujus igitur Generis Mania, atque præcipue, quando adhuc recens eſt, vitiumque notabile ſanguini ipſi & ejus motui nondum adfricavit, auſcultare ſolet illi præcipue remedio, quod in nervos eorumque ſpiritus, inter reliqua omnia maximum imperium habet. Optime hoc ipſum monet præ aliis Practicis de GORTER, [p]) delirium aliquando pendere a ſpirituum motu, gravioribus animi paſſionibus turbato memorans, atque pro eo ſedando ſanguinis miſſionem & narcotica commendans. Certo reſpectu fidem huic afferto conciliare poteſt Caſus apud YOUNGIUM, [q]) in antecedentibus jam adductus Fœminæ nobilis, quæ vſum rationis ob Mariti barbariem ſubito amiſerat, una doſi 4. granorum Opii alto ſomno ſubſecuto, ſanatæ. Trahi huc quoque poſſe mea ſententia videtur Hiſtoria recenſita a RIDLINO, [r]) ad quam non minus in antecedentibus jam provocavi, quamque Actis Erud. 1701. menſe Jul. p. 314. inſertam tanti habuit Ill. van SWIETEN, ut ex his eam pro comprobando Vſu Opii, etiam largiore apud Maniacos, adduceret. Maxime notari debet, Virginem RIDLINI, dum felici errore Opium ad ſcrupulum unum devoraverat, antea fuiſſe Melancholicam ex Animi affectu, qui concione ſacra eidem motus fuerat, a nimis forte aſpero Verbi divini interprete. Nollem ego fauſtum hunc fortuitæ, ſed ſimul huic individuali caſui, ex cauſæ ſuæ natura competentis ſanationis effectum trahere

p) *Med. dogm. p. 24.*

q) *cap. 23.*

r) *lin. med. anno 1700. Menſ. Dec. obſ. 12.*

ad

ad omnem Maniam, ſine exceptione, vel & in caſu idoneo, ubi animi affectus præcipue ſubeſſet, largis adeo, aut diu repetitis doſibus Opii pugnare. Auſcultandum potius credo Illuſtri MEAD, [s]) In caſibus nonnullis inquienti, ut in magnis animi terroribus, aut ubi per longam ſollicitudinem vel triſtitiam pervigilio fatigatus eſt æger, anodyna experiri non alienum eſt. Neque tamen diu in his perſiſtendum.

s) *Monit. med. p. 56.*

Antequam finiam, notem adhuc, ad Maniam unice nervoſam, quali termino uti licebit, quadrare omnino Opium. Eapropter, ut docet de GORTER, [t]) id tum prodeſt, quando homo ob conſenſum nimis vividum cum aliis partibus, delirat, qui in nervis obtinet, dum dolor alicujus partis adeſt, aut animi affectus totum nervoſum Syſtema perturbat. Bene quoque ſcripſerat Simon PAVLI [u]) *Opium decore præparatum in omnibus corporis doloribus, & ex iis natis vigiliis & deliriis, inſigniter conducit.* Atque in ſimilibus caſibus, dolore nempe, & valido animi affectu præſentibus, unice delirantibus conducere Opium, laudatus modo de GORTER affirmat. Neque ſine rationibus ſonticis eum in hac ſententia verſari apparere poteſt ex omnibus, quæ ego accuratius alias omnes ſpecies contuitus, hucusque de hoc remedio, in ſe phantaſtico, Lectoribus meis propoſui.

t) *Med. dogm. p. 97.*

u) *Quadrip. Bot. p. 420.*

# CAPVT III.

## *Morbi Mulierum menſtruatarum & gravidarum.*

### §. I.

*Fluxus Menſium doloroſus.*

Vt meo labori nil deſit, ſubnectenda adhuc hactenus expoſitis mihi ſunt nonnulla, morbos mulierum concernentia.

nentia. Atque primo loco conſiderari debet excretio illa, quæ Sexui ſequiori propria eſt, fluxus Catameniorum. Ad hunc quomodo Opium ſeſe habeat, vidimus Sect. II. in doctrina de Hæmorrhagiis, & ſpeciatim de Hæmorrhagia ex Vtero, ubi quidem clarius expoſui, minus recte Opium, quod vere emmenagoga virtute pollet, Menſium immodico fluxui opponi, licet toto die Practici ita agere ſoleant. Multo certe majori jure Opium deſtinaretur ſuppreſſioni Menſium, quia ratio & experientia loquitur, ejus virtutem menſes moventem æque certam eſſe, ac Aloës, & Myrrhæ, aliorumque pellentium calidorum aromaticorum, & ſtimulantium. At cum præ dictis & aliis emmenagogis ſpecificis, ſi ſola conſideretur eorum virtus ſanguinem attenuans, rarefaciens, & movens, nil prærogativæ habeat Opium, hoc vero ſimul Ventriculum & inteſtina debilitet, alimentorum coctionem peſſundet, ac alvum retardet, adeoque hac ratione ad Cacochymiam & Cachexiam, ad quam ducit Menſium Suppreſſio, viam facilitet, dum aloe & myrrha, cum volatilibus omnibus & aromaticis, contrarium præſtant, magis conducit in curanda Menſium ſuppreſſione Opium miſſum facere, & emmenagoga ſtomacho ſimul & coctionibus amica præſcribere.

In illo vero menſium vitio, quando hi difficulter & parcius, & cum gravibus doloribus erumpunt, pulcherrime ſe Opium gerit, id quod fuſius jam exponi meretur. Dantur ſcilicet fœmellæ, quibus textura partium nervoſarum valde tenera eſt, & ſenſibilis, ac quibus fibræ omnes muſculares mirum quantum irritabiles obſervantur. Hæ ſi ſimul ſint plethoricæ, & vaſa obtinuerint valde exilia, atque inſuper forte oſculorum, quæ in vaginæ & uteri ſuperficiem hiant, ſanguinemque transmittere debebant, paucitate laborent, non poſſunt non catameniorum periodo adventante, miſera & triſtia ſymptomata pati. Tanto vero magis hæc exacerbantur, ſi diætæ peccata circa hoc tempus commiſſa

concurrant, maxime ſi pedes cum corpore reliquo frigori fuerint expoſiti, aut graviori terrore illud fuerit perculſum. Namque tum Orgaſmo menſtruo commotus ſanguis, appellens ad loca uterina, tantum abeſt, ut placide vaſcula ſibi cedentia tranſeat, & per ea excernatur, ut potius progredi viarum arctarum vitio prohibitus, diducat fibras, atque retroactus in nervearum membranarum villis, & inteſtinalibus maxime tunicis, horribiles criſpationes doloroſas cieat, quæ per omnem ſyntaxin nervoſam propagatæ clavum, vomitiones, anguſtias præcordiorum, colicam hyſtericam, concitant, atque ſi increverint, convulſiones adeo univerſales excludere poſſunt, & ſolent. In ejusmodi caſubus, quorum faciem accuratius & ad vivum pictam invenire licet in *Hiſtoria Morborum Vratislavienſium*, [a]) quam male adhibeantur Emmenagoga omnia, licet ſpecifica habita, vix dici poteſt, id quod Cl. Autores animadvertere haud neglexerunt. Bene memini me Novitium adhuc Medicinæ Doctorem, conſultum a Fœmina tenerioris habitus corporis, commiſiſſe Medelam VSi in pede, pediluviis, ſelteranis cum lacte, clyſmatibus emollientibus, nitratis, & infuſo chamomillæ. Sed hæc omnia non impediebant, quo minus ſemper ingruente menſtrua periodo, vehementiſſimis abdominis doloribus corriperetur, ſub quibus ſanguis aliquando ſaltem parciſſima quantitate, fereque tantum ad guttas aliquot excernebatur. Vocabatur in Conſilium Medicus aliquis Veteranus Praxi ampliſſima clarus. Is infuſum millefolii pilulasque becherianas addito extracto millefolii & chamom., borrace, viſco querno & gummi galbano mane ſumendas, a meridie vero Elixir uterinum Wedelii, cum Eſſ. ſuccin. millefolii & caſcarillæ remixtum laudabat. Sed horum uſui inſignis æſtus, anxietas, dolor preſſorius in lumbis, inguinibus, artubus inferioribus, clavus, cordis palpitatio, conatus hæmorrhoidales, & hæmorrhagia narium levis, cruciatibus abdominalibus ſimul præfracte perdurantibus ſuccedebat.

Videns

a) *Anno 1701. p. 39.*

Videns igitur omnia pellentia irrita & noxia eſſe, niſi viæ ſint ſatis patulæ, utcunque mitigatis præſentibus malis VSe in pede, verſus novum periodum balneum adhibendum fore edicebat. Optime jam tunc diſcebam veritatem eorum, quæ ſcripſit Fidiſſimus Præceptor HOFFMANNVS. b) *Si adſit fibrarum Vteri ſtrictura, & vaſorum anguſtia, fruſtra & cum damno propinari pellentia, coacto enim in celerem motum & ebullitionem ſanguine, majorem adhuc vaſorum coarctatorum obſtructionem & infarctum, ſanguinisque ad partes nerveas nobiliores regurgitationem, ſpasmorum & convulſionum ſæpe procreatricem ſubſequi.* Sane qui juſtam Menſium talium dolorificorum ætiologiam mente tenet, facile perſpiciet, poſt ea, quæ ſanguinem, quantum fieri poteſt, attenuant, & meabilem reddunt, dum ſæpe appulſus ejus ad loca uterina haud deficit, ſed ſatis vegetus eſt, in ſtricturarum & ſpaſmorum, quibus fibræ laborant relaxatione procuranda, viisque ita patulis reddendis, palmarium curationis momentum ſitum eſſe. Magnis eapropter laudibus a Practicis celebribus afficiuntur balnea, fomenta, & cataplasmata emollientia, abdomini pubique, & ante fluxum & eo incipiente applicita, atque non minus clyſmata talia, quibus omnibus & HOFFMANNVS multum defert, ſalia varii generis, & fontes ſoterios ſalibus prægnantes, ſimul pro fluxilitate humorum impetranda, commendans. Atque ejusmodi commemoratis relaxantibus externis præſidiis, etiam junguntur relaxantia interna, inter quæ vel tepida aqua multum boni præſtat, maxime ſpeciebus emollientibus infuſa. Magna vero emulſivorum & oleoſorum hic deprehenditur efficacia; etenim in fœminis verſus menſium tempus adeo violentis doloribus, ac ſi parturirent correptis, nil excellentius invenit HAMILTON, c) quam amygdalarum vel lini oleum recens cum ſyrupo Violarum, largiore copia per aliquot menſes veſperi exhibitum. Dedi hoc remedium ejus veſtigiis inſiſtens ſæpius, cum fructu, aliquando vero

b) *Diſſ. de ignorata Vteri ſtructura &c. §. 9. & 10.*

c) *vide Allen Abregé de toute la Medecine pratique Tom. II. p. 390.*

d) *Eteodr. p. 646. & alibi.* vero etiam LENTILIVM [d]) ſecutus, addidi oleo amygdalarum Tincturam Succini, modica doſi, atque ſyrupum Artemiſiæ vel alium ex herba quadam uterina paratum. Dolui tamen non raro inſufficientem effectum, quem multo præſtantiorem obſervavi, ubi relaxantia & antiſpasmodica emmenagogis jungenda eſſe videns, cum his remiſcui antiſpasmodicorum ſummum, Opium. Satis quippe gnarus eram, fruſtra clamare contra ejus uſum menſium tempore locum habentem, illos, qui antiſpaſmodicæ junctam emmenagogam ejus Virtutem ignorant, gratisque eapropter inhibitionem & retentionem fluxuri ſanguinis ab eo metuunt. Memorari cum cura merentur, quæ huc egregie ſpectantia habet, alibi interdum circa dextrum uſum, quem nimis extendit, hallucinatus HEQVETVS. [e]) Is quæſtionem movet, an durante evacuatione quadam naturali, ſi adfuerint ſymptomata Opium poſcentia, hoc exhibere queat, non obſtante præſentia fluxus. Reſpondet, ſi hæc evacuatio fiat extra periodi tempus, & hoc anteverat, illam non eſſe naturalem, ideoque ceu ſymptomaticam, non prohibere uſum indicati remedii ſedantis. Quin ſi talis evacuatio etiam eveniat juſto tempore, eam tamen non interdicere uſui Opii, ſi doloroſa affectio concurrat, quia Opium ſaltem moderetur exceſſum virtutis ſyſtalticæ, non vero infringat naturalem ſyſtalſin, quia in ea tollat, quod morboſum eſt, linquat vero id, quod ſanitas requirit, adeoque excretionem ipſam non turbet. Eapropter conſtantis obſervationis eſſe aſſerit, in Colicis convulſivis hyſtericis & aliis affectubus ſpasmodicis Fœmellis exhibitum cum aqua Cinamomi Opium, non interrumpere menſium fluxum naturalem, ſed ſæpe eum revocare & reſtituere, quando doloris enormitas & ſpasmorum vehementia eum interrumpit & ſupprimit. Eapropter etiam alibi [f]) jam docuerat, Opium mixtum cum aloë & marte movere menſes, ſpasmos obſtructionem cientes ſolvendo, & occluſa excretoria vaſa reſerando. Nunquam me pœni-

e) *p. 299-302.*

f) *p. 185.*

pœnituit hujus connubii, quod Opium cum emmenagogis inire juſſi, quoties eo opus fuit, Duces præſtantiſſimos dudum ſecutum. In menſtruis difficillimis, & cum graviſſimis Symptomatibus complicatis, ad dolorem ſedandum theriacæ aut mithridatii drachmam unam commendavit RODERICVS a CASTRO.[g]) HORSTIVS[h]) in menſium fluxu difficili & dolorifico, balneum & rob ebuli, cum theriaca, & caſtoreo ſuaſit. Laudatus modo LENTILIVS[i]) in menſibus dolorificis Miſturam ex aqua meliſſæ, zedoariæ, Tinct. Aurant., ſale volatili, & Eſſentia anodyna, cum ſyr. fl. chamom. ſibi familiarem eſſe dicit periodo adventante ſumendam, donec ſopiantur dolores, & fluxus ſit ſatis copioſus. Amavit quoque combinationem emenagogorum cum opiatis ETTMÜLLERVS, noſterque olim Celeb. de HELWIG præcipuus Autor *Hiſtoriæ Morborum Vratislavienſium* tanti habitæ Illuſtr. de HALLER, ut denuo imprimi eam fecerit, & ſua Præfatione exornarit, Elixir uterinum Wedelii cum laudano liquido porrigere ſolebat, cui ego lubentius Elix. aperitivum Clauderi, ob lixivioſum menſtruum addito laudano, ſubſtituere ſæpius conſultum duxi. Quandoque etiam ubi temperies Ægræ & pulſus fortior calidorum uſum vetabant, Emulſionem oleoſam cum nitro & opio egregios edidiſſe effectus gaviſus ſum. Recte nimirum de Opio pronunciavit, Cl. GEOFFROY[k]) quod muliebrium menſtruorum, a fibrarum erethiſmo & convulſione ſuppreſſorum fluxum juvet. Atque Anodyna menſibus ex criſpatione ſolidorum ſuppreſſis egregie opitulari etiam edixit de GORTER,[l]) qui fruſtra fortiſſimis emmenagogis tentantur.

g) *de Morb. Mulierum Part. II. lib. I. c. 7.*

h) *Obſervationum lib. I. de morbis mulierum obſ. 5.*

i) *Eteodr. p. 597.*

k) *Mat. Med. Tom. II. p. 692.*

l) *Comp. Med. p. 148. §. 26.*

§. II.

*Opium an gravidis conferat?*

Jam quando naturales Menſes ſua dote juvat, quando nimiis eapropter non convenit, quando ob ſpaſmos & dolores retentis & cohibitis ſæpe feliciter medetur Opium, fuſius indagare operæ pretium erit, ſitne Foemellis gravidis

 conve-

conveniens remedium, an minus. In genere ſine habito aliquo reſpectu, ad morbum ſingularem ipſi familiarem, ſi conſideretur Graviditas, ſponte credo ex dictis innoteſcit, Opium eidem non adeo bene congruere, tantoque minus quo recentior eadem eſt, & quo magis Plethora eminens obſervatur. Nimirum cum plerumque evacuationes ſangvinis ſuetæ per uterum ſtatim ceſſent, ex quo gravida facta eſt Mulier, (licet interdum primis menſibus adhuc ſtatis periodis ingruant) illæque adeo aut prorſus non arte movendæ, aut ſi gravidæ fœminæ parcius, & ex vaginæ vaſis juſto tempore prorumpant, aucto impetu circuli ad Uterum qui ad vaſa, hunc & placentam ſibi jungentia, infeliciter excurrere poſſet, nequaquam ſtimulo quodam juvandæ ſint, facile ſequitur, emmenagogum Opium ex hac conſideratione gravidis haud convenire. Eadem nempe ratione, ut peccaret Medicus, Aloën, & Myrrham, & Crocum, & alia hujus claſſis gravidæ porrigens, ita & ſine dubio peccaret, Opium nimis facilis præſcribens, niſi peculiaris indicatio, nullo alio remedio obtinenda, uſum ejus propoſcerit. Verum & intuitu Foetus, ad quem omnia remedia quæ Mater aſſumſit, tandem etiam, licet ob ſui diſtributionem per totum maternum corpus, minori copia pertingunt, non adeo innocens & ſecurus gravidis eſt Uſus Opii. In ſequentibus quippe, quando de Morbis Infantum acturus ſum, evidenter demonſtratum dabo, illud his ob tenellam Ætatem minus proficuum, quin damnoſum ſæpe eſſe remedium; igitur illud fœtubus tenerrimis & immaturis, tanto minus adiaphorum eſſe poſſe, evictum reddi debet. Operoſe demonſtrare nititur, qui panchreſtam Opii Virtutem prædicat HEQUETUS,[m]) ejus a gravida degluttiti vim ad fœtum non pervenire, quod ipſum tamen negari omnino nequit, ſi ſaltem conſideretur, fœtum partem corporis materni haberi debere, & toties in non gravidis vim Opii ad Uterum excurrere, in quo nunc fœtus aſſervatur, & nutritur.

m) *p. 307. ſeq.*

tur. Tacite ergo largiri videtur hoc remedii Genus Fœtui minus commodum eſſe.

§. III.

Quanquam vero quæ hactenus ediſſerui, prudentibus obiter habenda videri nequeant, dum minimum circumſpectum uſum Opii apud gravidas eſſe debere, liquido commonſtrant, cœcumque impetum Medici Opium depereuntis coërcere apta ſunt; certum tamen etiam eſt, eſſe Morbos quosdam Gravidarum, qui deliniri & tolli ſine Opio vix poſſunt, quique adeo caſtum ejus Uſum urgent. Atque de his paulo accuratius nunc agendum erit. *Gravidarum Nauſea & Vomitus*

Initium facio a Nauſea, Vomituritione & Vomitu ipſo, quæ mala vel leviorem vel graviorem faucium, Oeſophagi, Ventriculi, convulſionem involvunt, diaphragma ipſum, & muſculos abdominis in conſenſum rapientem, ubi ad Vomitum usque Nauſea aſſurgit. Hæc levior vel violentior convulſio cauſam præcipuam apud gravidas agnoſcit ſanguinem menſtruum retentum, qui regurgitans ad ventriculum, vaſa ejus diducendo, nervos premit, atque irritat. Atque ab hac cauſa enata gravidarum Nauſea & Vomitio, uti calida omnia & aromatica apta alioquin mali utriusque remedia neutiquam fert, ſed potius ab iis exacerbatur, ita quoque Opium calefaciens, & plethoricum ſanguinem rarefaciens omnino excludit, ac præcipue VSi plethoram minuenti, ut alia ab eadem radice pendentia gravidarum incommoda auſcultat. Sane immoderatiorem Vomitum, primis menſibus Plethoricas gravidas affligentem per ſpirituoſa, ſtomachica, adſtringentia, Opiata curam minime recipere, ſed iteratas VSes, & quietem corporis, animique, poſcere optime ſcripſit HOFFMANNUS[n]) profeſſusque ſimul eſt, ſe ſi is abortum minaretur, potu aquæ frigidæ plus præſtitiſſe, quam aliis remediis. Quando vero frigida aqua, quando porro per experientiam blanda acida, ſuccus citri, ſpiritus acidi dulcificati, tincturæ vitriolicæ, adeo

n) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. c. VI. p. 510.*

adeo hic conferunt, quæ condenſando fluida, & calorem ac rarefactionem inhibendo agunt, quomodo conferre poſſet Opium, quod prorſus contrarium præſtat, cauſamque morbi vere juvat, dum ejus effectui moderando deſtinatur?

Verum enim vero, dantur tamen etiam fœmellæ, quibus protinus ubi conceperant, inſuperabilis nauſea multa tædia parit, in vomitum ſæpe erumpens, quæ quia tunc notabilis plethora nondum enata eſt, menſtrui orgaſmi periodo ne quidem prima vice ſuperata, ab alia omnino cauſa oriri debere videtur. Deſcripſit BOERHAAVIUS o) nauſeam & vomitum, orientem ab inordinato liquidi nervoſi motu, undecunque excitato; quanquam vero hanc ſpeciem ad gravidarum nauſeam & Vomitum præciſe non traxerit, puto tamen hæc mala ſtatim primis diebus & ſeptimanis, poſt conceptionem evenientia, ex eodem fonte oriri. Namque ſine dubio Auræ ſeminalis energia fibrarum Uteri motum mutat, atque tum ob nervorum uterinorum cum nervis Ventriculi conſenſum, convulſivi quippiam huic Viſceri communicatur, quin ipſa Uteri incipiens dilatatio per conſenſum nervorum ventriculum afficere poteſt, meritoque Cl. MAURICEAU p) nauſeam & Vomitionem inter initia graviditatis oborientem ab hac potiſſimum cauſa deducendam eſſe judicat. Atque in tali nauſea & Vomitione, vere hyſterica, a ſolo motuum vitio pendente, pulchre ſeſe omnino gerit Opium, parca doſi, cum pauxillo aquæ Cinamomi, Vini rhenani, vel ſyrupo limoniorum deglutitum, vel in paucis laudani liquidi guttulis liquori anodyno, vel ſpiritui ⊕i dulc. adjectum, quale remedii genus in mea Praxi a multis annis elegans & proficuum reperi. Vidi deinceps cum voluptate Cl. YOUNG q) non ſine diſcrimine in omni gravidarum Nauſea & Vomitu, quod SYLVIO r) & multis aliis Practicis ſolemne eſt, Opiata laudare, ſed optima certe & in re ipſa fundata limitatione id modo commendare, modo diſſuadere. Egregie ſeorſim conſiderat Vomi-

o) *aph. 642. 655.*

p) *des Maladies des femmes groſſes p. 125.*

q) *c. X.*

r) *Prax. lib. III. c. VI. §. 127. 128.*

Vomitum poſt conceptionem, ab inexplicabili mutatione Uteri, nervoſum ſyſtema, ignota nobis ratione afficiente, minusque a ſaburra in Ventriculo collecta pendentem, quem cum Vomitu navigantium comparat, huicque laudanum ad gr. 5. ex Aqua Menthæ, Cinam. Vinoque rubro cum Aromatibus, deſtinat. Atque hanc ſpeciem diſtinguit ab illa Ventriculi convulſione, quæ confirmata graviditate, a ceſſatione Menſium, vaſorum plenitudine orgaſmoque & calore excluditur. Huic cum adeo bene conveniat VS. & diæta refrigerans, omnino Opium non convenire poſſe, aſſerit; atque ſimul ingenuus confitetur, ſe olim methodo ordinaria hoc remedium promiſcue exhibentem, gravidæ, quæ per aliquot menſes mane quotidie vomebat, Opio ipſo morbo pejore, omnia mala deteriora reddidiſſe, quæ miſſo eodem VSe & parca diæta ſtatim levabantur. Nollem tamen, quanquam hoc diſcrimen inter Vomitum Gravidarum a ſolo vitio nervorum, & a plethora æſtuque ſanguinis in Artis exercitiis utiliſſimum habeam, regulam inde ſtabilire, nulli earum Vomitioni niſi illi, quæ ſub impraegnationis initium moleſta eſt, Opium adferre opem aptum haberi. Lego in *Miſcell. Nat. Cur.* [s]) obſervationem, quæ inſcribitur *Uſus Opii & Clyſterum in gravidarum affectubus ſpaſmodicis innoxius.* Habetur ibi Fœmina, quæ dum gravida erat, ſemper inter varia mala hyſterico-convulſiva, Vomitu enormi, nauſea, anxietatibus &c. vexabatur. Medicus ex auctoritate ETTMÜLLERI nolebat exhibere opiatum. Cum vero tertia vice gravida ob hæc mala, fœtum immaturum circa menſis octavi initium edidiſſet, ac omnia iterum recurrerent, cum quarta vice eſſet gravida, laudanum aliquod hyſtericum cum fructu porrexit Cl. WESTPHALVS. Eadem mala quoque, bis adhuc gravidæ iterum moleſta, & minacia, eodem remedio feliciter domavit. Studioſe omnino expendendum eſt, ſintne ſpaſmi hyſterici Plethoræ complicati, tum enim duplex medela requiritur, VSique & refri-

s) *Dec. III. Ao. V. & VI. obſ. 285.*

refrigerantibus, Opium, etiam abſolutis aliquot graviditatis menſibus, ſubjungi poteſt. Sed & circa hujus finem, quando increſcente indies fœtu & largius nutrimentum ſibi depoſcente, Plethora non adeo urgere ſolet, ataxia ſpirituum, & ſolum motuum vitium ſubeſſe poteſt, ut in Caſu allegato, atque hac rerum facie exiſtente opium unice indicatum rectiſſime in uſum vocatur.

Quando vero moles uteri auctior abdomine contenta premens & tendens, & ſurſum urgens Ventriculi fibras motrices ſollicitando Vomitum ciet, tunc vanum erit porrexiſſe Opium, ſola quippe moderatiſſima diæta malum valet mitigare. Peſſime quoque agitur cum gravidis, ſi iis propter ingluviem nauſeantibus & vomentibus Opium exhibetur, ſordesque quæ ejiciendæ erant, in damna earum, & fœtuum, in corpore ſedem figere jubentur.

§. IV.

*Diarrhœæ* Accidunt vero etiam gravidis nonnunquam diarrhœæ, & dyſenteriæ, quæ licet graviditatis morbi proprii haud ſint, tamen præſente hac, peculiarem attentionem in curatione merentur. Scripſit HIPPOCRATES,[t]) *Mulieri in Utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum eſt, ne abortiat.* Adeoque multa cum prudentia hoc periculum prævertere Medicus debet. Equidem non negari poteſt, ſi peccatis diæteticis collectæ fuerint ſordes, in alimentorum canali, aut naturæ beneficio ſangvinis quisquiliæ ad inteſtina deponantur, excluſionem earum quandoque Matri & fœtui potius juvamini eſſe ſolere, ſibique adeo aliquantiſper permittendam talem diarrhœam, non præpoſtere inhibendam eſſe. Singulis menſibus recurrentem profuſiorem diarrhœam, gravidæ utilem fuiſſe, narrant *Acta Naturæ Curioſorum.*[u]) Diarrhœam quoque prægnanti innoxiam HAGENDORNIVS[x]) habet inter alios Obſervatores, ſuppreſſique intempeſtive ejusmodi fluxus alvini apud gravidas, peſſimas ſequelas paſſim legere eſt.[y]) Male ergo

agit

t) *lib. V. aph.* 34.

u) *Dec. II. Ao. V. obſ.* 149.

x) *Cent. II. hiſt.* 97.

y) *vide* Breßlaniſche Naturgeſchichte *XXV.* Verſuch *p.* 192.

agit Medicus ſine diſcrimine omnes diarrhœas gravidis ſupprimere moliens, ſive opio, ſive adſtringentibus hoc fine potiturus utatur. Expedit potius, ea omnia ponderare ſolerter, quæ ſect. III. capite de diarrhœa huc facientia fuſius expoſui. Verum ubi gravidæ alvus multum & diu fluxerit, atque poſt recrementa quæ ſanitati oneri futura erant, ſatis eliminata, laudabiles humores emunguntur, ipſaque digeſtio dejectionibus perdurantibus ægrius ſuccedit, aut alimenta ipſa indigeſta excernuntur, periculum omnino eſt, ne nutritio fœtus pereat, ipſiusque parvula Vita extinguatur, quare tum de ſiſtendo fluxu Medicus protinus cogitare debet, illa methodo, & ſub illis conditionibus, quas in ſuperioribus indicavi. Namque aliter verendum erit, ne gravidis idem fatum accidat, ac illi cujus AMATVS LVSITANVS [z]) mentionem facit, quæ ſexto menſe orta dejectione, etiamſi ipſa convaluerit, partum tamen perdidit. Vix quippe omnibus eadem expectanda felicitas, quam experta eſt Uxor cujusdam Conſulis apud PLATERVM, [a]) quæ gravida a duobus menſibus poſt ſuperatam febrem, fere integrum menſem ſingulis ſæpe horis decies vel duodecies dejecit, nec tamen abortivit, ſed convaleſcens tempore decenti puerum enixa eſt vividum, quem ipſe PLATERVS ex ſacro fonte excepit. Maxime autem finem faciendum diarrhœæ volunt complicata tormina, cauſa eorum antea & eliminata & impugnata, dum illa facile ante tempus fœtum ex materno ergaſtulo ejicere queunt. Sed plane ſummam attentionem flagitat inteſtini recti Utero vicini, dum diarrhœa urget, repetitus egerendi conatus, atque in dyſenteria ejus comes perpetuus, moleſtiſſimus teneſmus, qui ſi Mulieri prægnanti ſuperveniat, abortire facit, [b]) dum motu convulſivo fibrarum muſcularium inteſtini recti, ipſe Uterus ita irritatur, ut id quod continet, a ſe avellat & protrudat. Huic ergo teneſmo mature obex ponendus eſt, quoties apud gravidas fluxu alvino laborantes obſervatur, cum

z) *Cent. II. curat. 51.*

a) *Obſervat. lib. III. p. 837.*

b) *Hipp. l. VII. aph. 27.*

muſculos abdominis in convulſivum motum ſine voluntatis imperio abripiat, animæque tetentionem, ac diaphragmatis majorem actionem in abdominis viſcera cieat, atque paucis, vere parturire faciat. Quanquam vero motus hi omnes, uteri tandem convulſionem in Fœmellis poſt ſe trahentes, cauſæ irritantis ablatione, ac oblinitione inteſtini muco ſuo naturali exuti & excoriati per injectiones oleoſas, & mucilaginoſas, oppugnari præcipue debeant, juvat tamen ſæpe, & neceſſum eſt eos ipſos ſopire, id quod ſi paulo vehementiores & pertinaciores fuerint, ſæpe vix aliter, quam Opii exhibitione ſuccedit. Ego diarrhœis gravidarum a mala Victus ratione & refrigeratione corporis obortis, torminibusque ſtipatis, rheo & clyſmatibus oleoſis mederi laborans, maxime ſi primis menſibus obuenirent, mature confugi ad Opiata, ne motus excuſſorii ad Uterum ſerperent, lubentiusque pace quadam impetrata, accedendum iterum altera die ad rheum, quam differendum eſſe ſedantis pharmaci uſum reputavi. Multo autem adhuc majori opera, cito occurrendum eſſe duxi dyſenterico teneſmo, felicisque alicujus medelæ ſpecimen multa cum voluptate hic in animum revoco. Laborabat Illuſtris quædam Berolino ad nos delata Comitiſſa dyſenteria gravi, interque doloroſas inteſtinorum adflictiones, perpetuo egerendi ſtimulo vexabatur, qui eidem ipſi multum timoris incutiebat, cum tertius graviditatis menſis volveretur, ac ille præciſe terminus inſtaret, quo antea gravida abortum perpeſſa fuerat. Faciebat ipſi Medicinam Medicus conterraneus Vratislaviæ commoratus, cujus ſuaſu Miſturam ex Eſſentia Pareiræ bravæ, Millefolii & caſcarillæ aliquoties per diem ſumebat, atque juſculi avenacei poculum interdum ſorbillabat. Vocabar tandem malo mitigari renuente, cum ille aliis negotiis detineretur, offendebamus Amicam quandam Ægræ, aliam Comitem, Cl. Stahlii remedia valde in deliciis habentem, quæ imperioſius a me poſcebat, ut pilulas ejus præſcriberem, quas ipſe ut refere-

referebat, magni faceret, in dyſenteriarum curatione. Id quidem me neutiquam latebat, at cum in præſenti caſu eas indicatum pharmacum habere nequirem, illa vero inſtaret, & uſum urgeret, deprecabar omnem Curationem, niſi abeſſent, meisque conſiliis ſolis locus daretur. Pollicebatur Ægra ſerio ſe mihi unice auſcultaturam, igitur præſcripto clyſmate ex contuſo ſemine lini cum lacte cocto, huicque adjectis Vitello Ovi, & olei larga copia, Emulſionem ex oleo amygd. dulcium cum vitello ovi ſubacto exhibebam, ac ſingulis 4. horis laud. liquid. Sydenh. interponebam, juſcula tenuia avenacea vel & lac cum infuſo Thée ſimul commendans. His remediis ſymptomata brevi feliciter mitigabantur, morbusque duorum dierum ſpatio de ſua vehementia multum remittebat, ac declinato ſic abortus periculo, poſtea juſto tempore exoptatus partus ſequebatur.

§. V.

Nolo ſicca pede tranſire Gravidarum tuſſin, cum & hæc ſæpe ſopiri cupiat, antequam violenta totius corporis concuſſione, præmaturæ fœtus excluſioni occaſionem præbeat. Poteſt hæc cauſas communes habere cum aliorum hominum tuſſibus, in gravidis vero frequenter a ſanguine plethorico bronchiales cellulas irritante, excluditur. Princeps ergo in ejusmodi caſu remedium eſt VS. & mannatum pharmacum humores a pectore revellens, vellicantemque horum acrimoniam demulcens. Vtrumque remedium cum levamine Fœminæ 4. menſe Gravidæ exhibuit HOFFMANNVS. [c]) Illi ſi cedere tuſſis detrectet, atque etiam diætæ molliſſimæ, & emulſivis oleoſis remediis recuſet auſcultare, uterumque diaphragmatis & muſculorum abdominalium alterna commotione concutiens placentæ avulſionem minetur, nullum remedium ſupereſt, quam Opium, quod in pilulis de ſtyrace exhibitum quietem elargitur, & abortionis periculum arcet. Vidi tamen & has cum aliis Opiatis, licet ſat largiter, incaſſum exhibitas ſpectabilis apud nos

*Tuſſis*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 417.*

Mercatoris, Amici mei beate defuncti, Vxori, quæ mox facta conceptione tuſſire incipiebat, neque deſinebat ante partum, iterumque, & tertium Gravida, idem incommodum ſat grave per 9. ſolidos menſes patiebatur. Accuſavi peculiarem & individualem nervorum Vteri cum diaphragmaticis conſenſum, namque Matricis moles omnia contenta abdominis ad pectus urgens, ſurſumque magis quam extrorſum premens, ac non raro Gravidis moleſtiſſimas tuſſes inducens, mechanicaque ſua agendi ratione omnia pharmaca eludens, primis minimum menſibus culpam ſuſtinere haud poterat.

Cœteros Morbos Gravidarum, deficientem & depravatum appetitum, Animi deliquia, Odontalgiam & Cephalalgiam, Vertiginem, Cardialgiam, dolorem Mammarum, lumborum, inguinum, artuum, difficultatem ſpirandi, horumque malorum omnium unam Originem plethoram contuitus facile mecum rerum gnaros convictos fore cenſeo, plurimum ad eorum medelam VSem, nihil autem Opium facere. Neque etiam Gravidarum morbos a mole Vteri partes vicinas quaquaverſum comprimente, mingendi vitia, obſtructiones alvi, hæmorrhoides, varices, pedum œdemata, tantillum levare poteſt Opium.

§. VI.

*Abortus.* Reſtat autem adhuc nullis morbis prægreſſis debitus, ſed ex propriis cauſis naſcens Abortus, cui aliis remediis ſociatum Opium interdum obicem ponere aptum obſervatur. Notum ſuppono ex pathologicis, Abortum involvere Convulſionem Vteri, avulſionem placentæ partialem vel totalem ab Vtero, hæmorrhagiam uterinam, primo leniorem deinde copioſiorem, ſub qua inter vehementes dorſi & abdominis dolores, verſus inguina & pubem vergentes, Embryo excluditur. Suppono porro, conſtare per experientiam, plurimos Abortus, ſine cauſa violenta externa inductos, fieri, quando Menſes tertia vice evenire debuiſſent, ſi nulla

nulla adfuiſſet Graviditas, cauſamque tum habere ſolam Plethoram vteri, nondum abſumendam in incrementum parvuli fœtus, vaſa quibus chorii ſuperficies Vtero eſt contigua nimis replentem, diducentem, & dehiſcere facientem. Revoco præterea Lectoribus in memoriam, Abortum ſemper ſupponere præexiſtentem diſpoſitionem in corpore fœminæ gravidæ, quæ fere fundatur in vaſorum uterinorum debilitate & laxitate, qua jam antea Menſium fluxui largiori patebant; inque Generis nervoſi mobilitate & ſenſibilitate, ac fabrica corporis totius teneriore. Vitia conformationis corporeæ taceo. Ex his præmiſſis conficitur, ad præſervandum Abortum, præter Vitæ regimen nil eſſe convenientius, quam VSem verſus terminum tertii menſis Graviditatis inſtitutam; atque ne factus denuo ingruat, roborantium, præcipue Corticis peruviani, & martialium ſat diuturnum ante novam impraegnationem vſum, primas tenere. Egregias cautelas huc facientes ſuppeditat Ill. WERLHOFIVS,[d]) quas exacte obſervaviſſe multum intererit. Iam vero quæſtio naſcitur practica, an dum ſpasmis & doloribus ſtipatus ingruit & abſolvitur abortus, is declinari Opio antiſpasmodicorum ſummo queat, hocque pharmacum par eidem averruncando debeat haberi. Atque id ipſum affirmant Practicorum celebrium haud pauci, tacentibus licet aliis, & non niſi in adſtringentibus cum SYDENHAMO[e]) & LENTILIO,[f]) quæ hæmorrhagiæ ſpasmis ſociatæ deſtinantur, perperam fiduciam omnem reponentibus. Opiatorum interim diſertis verbis mentionem injicit RIVERIVS,[g]) clyſma ex vino & oleo, in quo Philonii ℥ij diſſolutæ fuerunt, aut etiam narcotica per os, in minore doſi, ad frænandum flatuum & humorum impetum, ut in colico dolore, laudans. Ita quoque quamvis ab ETTMÜLLERO Opiata Gravidis non porrigenda dicantur, in *Nat. Cur. Miſc.*[h]) tamen docetur, urgentibus ſpasmis hiſtericis, cum fructu laudanum pro declinando abortu exhiberi. In iisdem *Ephe-*

d) *Obſerv. de febribus. p. 300. Nota o.*

e) *p. 538.*

f) *in etcodr. & iatromn.*

g) *lib. XV. c. 17.*

h) *Dec. III. Ao. V. & VI. obſ. 285.*

i) *Cent. IX. obſ. 57.* *Ephemeridibus*, [i]) omnibus aliis remediis equidem caſtoreum ex multiplici experientia præfert FISCHERVS, addit tamen ejus Eſſentiæ, Eſſentiam opiatam theriacalem cum oleo cinam., atque hoc pharmaco ſe ſæpius abortum declinaſſe affirmat. Tandem Vir ſummus BOERHAAVIVS [k]) inter remedia abortus, poſt quietem, & VSem, etiam adſtringentia & opiata refert, & in materia medica adſtringentem & opiatam potionem habet. Noſter quoque Celeb. de HELWICH [l]) pulveres antiſpaſmodicos cum ſpeciebus de hyacintho, nitro, ac tantillo MP. de Cynogloſſa laudavit, quam adeo omnes STAHLII ſectatores cum NENTERO [m]) nitro nuptam Abortui metuendo opponunt. Quamvis vero omnino Opio magna vis ſit, ad declinandam præmaturam embryonis excluſionem, non tamen indiſcriminatim, ſed ſub certis ſaltem conditionibus id juvare poteſt; ſub aliis autem imprudenter porrectum multum nocumenti adfert. Contingit Abortus ob avulſionem placentæ ab Vtero, quam ſubſequitur levior, graviorque hæmorrhagia. Antequam itaque vocatus Medicus mederi incipiat Gravidæ abortum metuenti, cogitandum eſt, an avulſio adhuc inſtet, an jam facta ſit; atque an ſanguis profluens avulſionem jam factam indigitet, an minus. Quodſi igitur cruor floridus magna copia intra breve tempus ſub doloribus intenſiſſimis prorumpat, & grumos adeo ſecum vehat, orificiumque uteri exploratum deprehendatur laxatum, certiſſime ſcimus placentam ab Vtero ſeceſſiſſe, abortumque eſſe inevitabilem, dum illius cum hoc coalitio extra omnem artis potentiam locata eſt. Juvat tum potius miſſam facere omnem inanem operam, pro declinatione Abortus, & manu quantocyus promovere fœtus excluſionem, nullis etiam doloribus præſentibus, qui viribus cum ſanguine exhauſtis fatiſcunt, & ceſſant; ne Mater cum fœtu pereat, qua de re conſulendi Artis obſtetriciæ Magiſtri, imprimis MAURICEAU, & elegantiſſima BOHNII diſſertatio *de Abortu ſalubri*, tum & BOER-

k) *aph. 1307.*

l) *Miſc. Nat. Cur. Cent. IX & X. p. 312.*

m) *Operum p. 869.*

BOERHAAVIUS [n]) expenſis etiam iis, quæ de limitanda hac arte habet Cl. PASTA. [o]) Nil vero in hiſce caſibus foret damnoſius, quam ut cum adſtringentibus, pro minuenda hæmorrhagia forte præſcriptis, Opiata porrigerentur, quicquid Autores dicant, quia nullam hæmorrhagiam directe ſiſtunt, ſed potius augent. In hac vero abortiva, prorſus otioſa, placentam ſemi-avulſam uterum irritantem, vaſorumque conniventiam impedientem, ſine cujus cum fœtu excluſione ſanguis ex his prorumpere non ceſſat, & ob vires exhauſtas nocentiſſima futura eſſent. Longe vero aliter ſe res habet, quando in Gravida, quocunque Geſtationis tempore dolores in lumbis & oſſe ſacro verſus pubem vergentes, cum extremorum frigore torminibusque Ventris, paucis veri conatus ad abortiendum adſunt, nullo adhuc ſanguine ſeſe manifeſtante; aut quando fluxus ſanguinis parcus eſt, & placidus, ex vaginæ oſtiolis ſaltem erumpens, orificio uteri exacte adhuc clauſo. Hic certe antequam ſpaſmorum ferocia, & affluxu ſanguinis ad uterum ſenſim aucto, ſolvatur vaſculorum placentæ & Vteri communio, & tum abortus periculum indeclinabile reddatur, poſt quietem ſummam injunctam, poſt VSem adminiſtratam (qua hæmorrhagia abortus prodromus nondum præſens ſæpe præoccupatur, aut ſi jam eruperit ſæpe mature minuitur, & ſiſtitur) ea quæ motus anomalos efficaciter coërcent, & inter ea Opiata præcipue, ſummi uſus eſſe deprehenduntur. Nollem vero in plethoricis præcipue fœmellis fidere uni Opio, ſine VSe præmiſſa, quippe quod vim vitalem augendo & ſanguinem expandendo, tantum forte noceret, quam ſpaſmos cohibendo prodeſſet. Non interim dum Opio ſub hac cautione dato patrocinor, laudes ſuas detrahere volo, abdomini admovendis, vel antiſpasdicis, vel roborantibus topicis, modo non ſint nimis calefacientia. Agnoſco etiam virtutem clyſmatum demulcentium; nimis vero inertes credo pulveres terreos, gemmatos, antiſpasmodicos & roborantes habitos,

n) *aph.* 1308. 1309.

o) *Act. med. Edinburg. Tom. VI.*

aquasque ſtillatitias varias; & liquorem anodynum ipſum, leniaque papaveracea HOFFMANNO [p]) laudata medicamina, rarius ſufficere arbitror, niſi VS. ſola omne punctum jam tulerit. Subjunxi ego eidem & conjunxi cum aliis remediis laudanum liquidum Sydenhami, doſi varia, pro dolorum vehementia, atque feliciſſimum effectum cum gaudio ſæpe vidi. Novi & patres & matres maturorum liberorum, qui dum adhuc ipſi immaturi embryones erant, exiſtere in Orbe deſiiſſent, ſine VSe & laudano, quorum vero auxilio ad juſtum tempus in utero detenti fuere. Dantur tamen etiam caſus, ubi VS. vix juvat, quin & nocere poteſt; ſolisque antiſpasmodicis veris, & antihyſtericis, inter quæ Opium primas tenet, abortus periculum egregie depellitur. Sane quando ſola motuum anomalia in fœmellis mobilioribus, hyſtericis, levi ſæpe de cauſa inducta, adeo a fumo extinctæ lucernæ, ut REJES [q]) recenſet, abortus metuendi prima cauſa eſt, quid præſtantius tum eſſet, ad eum declinandum, quam Opium, aliis antihyſtericis miſtum? Quid vero etiam hoc remedio præſtantius foret, ſi vehemens aliquis animi affectus abortum minatur, præmiſſa, vel pro re nata omiſſa VSe, mature exhibito? Optime ſane huc trahi mihi poſſe videtur locus, quem ex SYLVIO de uſu Opii apud Gravidas agens allegat HECQUET. [r]) *Quoties vehementi animi affectu, ira, terrore, percellitur Gravida primo, mox vena ſecabitur, in brachio, ſecundo conturbati agitatique in univerſo corpore ſpiritus ac humores compeſcantur, per anodyna opiata.* Forte autem ira commotis Gravidis magis, quam terrore perculſis convenit VS. Cel. de HELWIG [s]) certe territis Gravidis, pro abortu avertendo ſuſceptam VSem nullum auxilium, ſed potius noxam afferre ſcribit, hocque aſſertum tribus notabilibus exemplis confirmat. Notat ſimul, Vini generoſioris hauſtu, potionibus gratis, odoriferis penetrantioribus, ſalibus volatilibus, pulveribus gemmatis, alexipharmacis, non nimis æſtuoſis, fricti-

p) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 638. 639. & 643.*

q) *quæſt. 50. p. 620.*

r) *p. 593.*

s) *Miſc. Nat. Cur. Cent. IX. & X. p. 310.*

ctionibus tuto magis obtineri æqualem diſtributionem ſanguinis, quæ unice hic intenditur, quam per detractionem ejus, ſecta vena. Nonne autem Opium prudenter datum eidem fini ſervit egregie? humores ad peripheriam ducendo, perſpirationem movendo, ſpasmosque vaſorum extremitates conſtringentes feliciter laxando.

# CAPUT IV.

## *Morbi Parturientium & Puerperarum.*

§. I.

Poſt laudes meritas Opio decretas, ob egregiam Virtutem quam cuſtodit, ſpasmos & dolores illos ſopiendi, quibus adhuc immaturus Embryo intempeſtive ex Utero materno protruderetur, & homo aliquis futurus perderetur; non reticendum eſt, eadem ejus antiſpasmodica Vi, maturi fœtus maturam excluſionem ſpasmis & doloribus vanis perperam inhibitam, & retardatam, feliciter ſæpe promoveri poſſe. Notum in arte obſtetricia vel leviter verſatis eſt, doloribus partus veris, id eſt illis ſtricturis ſpasmodico-convulſivis, perdurantibus ad tempus, quæ a lumbari regione oriuntur, & pubem verſus excurrunt, ſi fœtus & Uterus rite locatus fuerit, illum ſæpe ſat celeriter in ſinum obſtetricis devolvi. At vero non minus ſcitur, a ſpuriis, id eſt vanis illis, ſumme tamen doloroſis cruciatubus abdominalibus, non ad inguina, ſed ſurſum potius tendentibus, orificiumque uterinum, quod veri dolores expandunt & dilatant, fortiter conſtringentibus, vires parturientis miſere atteri, laboribusque ejus omnibus fruſtraneis redditis, fœtum retineri, nec ejus in lucem egreſſum permitti, donec ceſſaverint. Magnam igitur gratiam inire apud Fœmellas, *Dolores partus ſpurii.*

eniti ſuum fœtum molientes, poteſt Medicus, ſi easdem liberare a moleſtiſſimis ſuis doloribus ſpuriis, ſua vehementia veros multum ſuperantibus, duramque ubi terminus adeſt, parturiendi neceſſitatem breviorem reddere noverit. Comitantur dolores ſpurios ordinarie, indolemque eorum bonam partem abſolvunt flatuum coacervatorum tumultus, quare clyſmis alvum moviſſe, exitumque iis procuraſſe, multum ſæpe boni præſtat; conducunt etiam carminantia antiſpaſmodica & antihyſterica ore aſſumenda, ſed omnia hæc, & alia remedia, longo intervallo poſt ſe relinquit Opium. Id feliciter in partu fuiſſe exhibitum docent *Ephemerides Nat. Cur.* [a]) Cum Gravida tenerioris conſtitutionis ultimo Geſtationis menſe dolore in parte inferiore abdominis corriperetur, dedit illi Miſturam hypnoticam ANTONIVS de HEIDE & abhinc 7. horis ſubito fœtum mortuum fuit enixa; atque in alia fœmina paupercula laudano opiato partus difficilis fuit promotus. [b]) Sed nemo magis idoneus teſtis Virtutis Opii partum maturantis allegari mea ſententia poteſt, quam quidem peritorum Artis obſtetriciæ facile Princeps Hen. a DEVENTER, qui ad dolores partus ſpurios mitigandos, & ſuperandos, divinam Gratiam magnum & commune præſidium, Opium ſcilicet, exoſum licet aliquibus, & imprudente uſu omnino noxium, ſed in manu ſapientis Medici ſummum & aliis magis univerſale remedium, indulſiſſe, gratus profitetur. [c]) Doleo interim, Virum egregium correctioni ejus gratis ſtudere, neutiquam magni faciens arcanam illam corrigendi methodum, quam ſibi uni ſervandam, ſe ſolo Proximi amore commotum tantum publice revelare aſſerit; neque compoſitionem pilularum ejus diaphoreticarum, quas in eundem finem laudat, opium adhuc magis arcana ratione correctum recipientium, noſſe aveo. Sufficit mihi crudum & a ſordibus ſaltem repurgatum Opium. Id certe nullam artem expertum ſola ſua nativa dote æque profuiſſe vidit MEAD. [d]) *Quando irritis cona-*

a) *Dec III. Anno IX. obſ. 152. & Anno V. obſ. 54.*

b) *obſ. 38, 39.*

c) Neues Hebammenlicht *p. 170-179.*

d) *Monit. med. p. 162.*

*conatubus*, inquit, *colicorumque torminum æmulis diu parturit Fœmina, opii granum unum aut alterum aſſumere convenit, cujus ope dolores iſti, qui partum impediunt magis quam promovent, conquieſcunt, & ſublevata rem ſuam ſtrenue agit natura. Eſt autem illud hic alicujus momenti, quod medicamenti Anodyni vis ut alias omnes partes conſtrictas, ita etiam uterinas laxat & aperit.* Inter recentiſſimos Scriptores Cel. YOUNG [e]) dolores ſpurios partus, præternaturalesque motus, qui dilatationem orificii uterini ſtricturis ſuis impediunt, feliciter tollere ſcribit. e) *Sect. XI.*

Quicquid etiam demum Theriaca, SCHVLTZIO hoc in caſu laudata, boni præſtat, id præſtat ob Opium ſolum, quod additione tot ingredientium inter ſe pugnantium, in compoſitione theriacæ ne hilum emendatur. *Accuſatio graviſſima Opii crudi* ſcribit Vir laudatiſſimus, [f]) *quod excretiones ſupprimat, theriacam adeo non ferit, ut potius manifeſtum ſit, quam belle eas tempeſtiva & juſta quantitate porrecta promoveat. Exemplo eſſe poſſunt pilulæ ad diſtokiam* MAVR. HOFFMANNI, *quibus in tractu norico nil crebrius eſt. Fiant ex theriaca additis ad conſiſtentiam acquirendam pulvere Cinam. et liquiritiæ, datur ſcrupulus aut drachma dimidia. Nuperrime illarum effectum in Puerpera tenerrima cum gaudio conſpexi. Dolores ad partum omnes ſuperius vergebant, ferociterque vomituriebat. Offerebatur bolus ex iisdem ſubito paratus, cujus partem primo oblatam illico revomebat, alteram retinebat aſſumtam & vix horæ dimidio interjecto geminum prolem feliciter enitebatur lochiis bene deinceps fluentibus.* Non vero opus eſt, ut præter rem cum Opio Parturienti ingerantur calida & acria, ut in Theriaca habentur, quæ & aliquando nocere poſſunt. Nudum Opium ſufficit, in ſicca, vel fluida forma. Pulchra eſt Methodus YOUNGII, qui 30. guttas laudani in potione octo unciarum præſcribit, de qua prima vice 3. vel 4. cochlearia, reliquum minoribus doſibus intra aliquot horarum interval-

f) *Prælect. de viribus & uſu medicamentorum p. 374. & diſſ. de Opiatis officinalibus §. 17.*

 lum

lum præbet, ſique nullus tum ſperatus effectus ſequatur, per 12. vel 14. horas, Opium deinde omittit, ne doſis ejus nimia porrigatur Perſonæ, cui tantæ mutationes inſtant poſt partum. Abſtinet etiam, quando præternaturalis ſitus fœtus ejus excluſioni obſtat. Equidem Cl. WEDELIVS [g]) eos taxat, qui in uſu habent inſtante partus tempore laudanum opiatum exhibere, ſpe certa confiſos, ſi juſtus adfuerit terminus, naturam inde roboratum iri, ſin minus, dolores immaturos ſiſti. In illuſtri caſu quæſitus, an conſultum eſſet eo vti, ipſe abnuit, cum obſervationibus conſtare ſibi reputaret, dato hoc modo Opio, ſæpe dolores parturientibus neceſſarios inhibitos fuiſſe, & difficiliorem nixum inde ortum. Verum Vir clariſſimus cum aliis, qui forte ex hoc fundamento contradicere auderent, non audiendus eſt. Etenim reclamat & ſilentium ipſis imponit conſtans & ſibi ſemper ſimilis Experientia. Non ſaltem ſpurios dolores Opio inhiberi, ſed & veros evidenter promoveri rectiſſime affirmabat YOUNG; crocoque & myrrha, & borrace, potentius. Non diffitetur contradictionem involvere videri, quando unum idemque remedium, quod conſentiente orbe univerſo, irritationi conſopiendæ deſtinatur, illam quæ dolores veros partus ciet, omnium maxime juvare dicitur. Verum omne dubium, omnemque admirationem diſſipari dicit, ſi conſideretur Irritationem hic pendere a Mole Fœtus, quam Opium non tollit, id vero ſangvinem attenuando & in capellaria Uteri urgendo, hunc adhuc magis irritare debere, forte & partum ſimul promovere, dum motus ſpurios placat. Relinquo Youngianam ætiologicam promotionis verorum per Opium ſuo Auctori. Id ſaltem noto, toto cœlo differre a ſe invicem naturales motus veros, & præternaturales ſpurios. Neque illis os uteri aperientibus, contrariari relaxans fibras ejus Opium, dum horum ſpaſticas ſtricturas orificium occludentes inhibet, & tollit. Rationi autem conſentaneum eſt, ut Cl. SCHVLTZII [h]) verba mea

g) *Opiol. lib. II. ſect. II. c. 3. p. 145.*

h) *diſſ. de Opiatis officinalibus §. 17.*

mea faciam, vehementes ſpaſmos, maximum eſſe cujusvis ſalutaris excretionis impedimentum, quos ſi quis remiſerit, maximum utique attulit promovendæ excretioni ſubſidium, & adminiculum; idque opiatis juſto tempore exhibitis licet impetrare. Utut vero omnino in partu difficili, nullo vitio male locati fœtus, vel Uteri, præſente, quod utrumque Opium non emendat, & in quo caſu juvare nequit, ita ſeſe res habeat, expedit tamen, ut prudentior & felicior evadat medela, reſpicere non ſaltem ad motus ipſos dolorum ſpuriorum mitigandos, ſed & de cauſa eorum tollenda cogitare. Equidem non raro ſola peccat ſenſibilitas & mobilitas hyſterica, & tunc ſolum Opium ſufficit, at latent etiam interdum per violatas ſub graviditatis decurſu diætæ leges, cumulatæ ſordes in inteſtinorum latibulis, ſpaſmos & flatus ingenerantes, quæ ſi clyſmate leni vel & mannato & rhabarbarino pharmaco antea eliminatæ fuerint, ſecurius & majori cum fructu opium poterit exhiberi, quod alioquin eas in ſua ſede firmaret, & dein malis durante puerperio metuendis, anſam ſuppeditaret. Alio tempore quod optime jam notavit SLEVOGTIVS, [i]) dolores hi ſpurii, a ſanguine in vaſis meſaraicis & meſocolicis turgente dependent, quos gallicis & italicis fœminis breviori tempore ante partum Sectionem Venæ admittentibus, rariores eſſe, dicit. Atque in hoc caſu ſi pulſum pleniorem inveniat Medicus, in parturiente plethorica, quæ ſub lauta diæta, & otioſa vita, cumulatum ſanguinem minui haud fecit, etiam in ſella obſtetricia jam conſtitutæ venam incidere juvat. Certe ſine hac cautela exhibitum Opium ſangvinem rarefaciens, & magis æſtuantem reddens, pulchre animadvertente STENTZELIO, [k]) partum potius retardaret, & difficilem ac periculoſum redderet. Conſiderandum quippe tunc opium foret tanquam myrrha & aloë, & alia remedia calida pellentia, quæ data intempeſtive plethoricis, pro juvando partu, multa & gravia mala in puerperium advenire faciunt, a quibus

i) *diſſ. de doloribus Partus ſpuriis cum veris collatis §. 30.*

k) *in notis ad Lindeſtolpe de Venenis p. 614.*

quibus remediis ſagaces Medici toties adeo ſollicite dehortantur. Quodſi vero laxante alvum, & VSe, dum doloribus ſpuriis medemur, non opus ſit, aut alterutrum vel utrumque præmiſſum fuit, ſecure accedere licitum eſt ad uſum Opii; quo mirum quantum placebimus miſeris Fœmellis. Quin & meticuloſis & mala quævis ſibi ominantibus animum illud addet, ut ſuos labores conſtantius & ſub ſpe fauſti eventus ſubeant, cardiacamque ſuam Virtutem tum exeret efficaciter. Memini inter bene multos egregios effectus, quos vidi, in mea Praxi, Fœmellæ alicujus, ſi ulla alia cor modo elatum, modo dejectum habentis, per biduum fere doloribus ſpuriis intenſiſſimis, ructubusque & vomitubus tantum non oppreſſæ, cui rebus bene perpenſis data dextra ſpondere audebam, fore ut ſi animum erigeret, & pilulas duas quæ cum caſtoreo quod ipſi amicum erat, laudanum habebant, ſemel vel bis deglutiret, intra breve tempus partu felici ab omnibus gravibus incommodis liberaretur. Sumſit eas multam in me fiduciam locans, vixque elapſa erat hora, cum filiolum ſaniſſimum adhuc ſuperſtitem eniteretur, magnaque gratiarum actione ſeſe mihi obſtrictiſſimam declararet.

§. II.

*dolores poſt partum.* Sed æqua prorſus Virtute, qua Vanos dolores ante partum coercet Opium, illos diros cruciatus etiam componit, qui poſt partum affligunt, omnibus veris parturientium doloribus, ex communi fœmellarum expertarum teſtimonio, nonnunquam pejores. Pendent hi bonam partem, a ſpaſmis & flatubus, qui inteſtina ſpatio poſt partum editum in Abdomine Fœminæ ampliore reddito, tanto facilius & liberius expandunt. Debentur quoque ſine dubio laboribus ſuperatis, quos edendus fœtus externis internisque partibus abdominis omnibus imponebat, magnæque diſtenſioni ligamentorum uteri. Foventur porro a coacervato & ſtagnante in Vaſis uterinis, illisque, quæ per tunicas inteſtinorum ferun-

feruntur, ſangvine. Multum quoque ad eos facit Viarum dilatatio, & rudis interdum Muliebrium ab obſtetricis manibus contrectatio. Verum enim vero maximam culpæ partem ſine dubio habent reſtitantia in Utero, fœtu cum ſuis membranis excluſo, grumi ſangvinis, concrementa polypoſa, & partes laceræ placentæ. Horumque intuitu eleganter obſervavit BOERHAAVIUS, [1]) ex decem Mulieribus, quæ vexantur doloribus poſt partum, vix unam eſſe, quæ eos non patiatur a ſangvinis grumis, vel partibus placentæ, unde fiant Muſculorum abdominalium ſpaſmodicæ tractiones, ac ſi adhuc adeſſet fœtus. Ligatura cita abdominis toties perperam negligi ſolita, medetur tumultui flatuum & partium expanſioni; exhauſtis viribus, incommodisque a labore, & diſtenſione, auxilium adfert quies; ſangvinem in vaſis moras nectentem amovent, promota emollientibus topicis, & diluentibus, ac nitratis interne adhibitis, lochia; contuſioni & diſtractioni viarum opem præſtant fomenta & unguenta mollientia. Non vero ceſſant dolores a retentis, niſi hæc excreta fuerint. Multum ad excretionem facere poteſt blanda obſtetricis manus, hæret enim aliquando circa orificium uteri internum aliquid heterogenei, quod eadem prompte poteſt removeri, ſtatimque tum quando id abeſt, levamen inſequitur. Nulla autem pellentibus omnibus habenda fides eſt, namque vix ea agunt in illud, quod jam avulſum ab uteri ſuperficie, aut prorſus, aut bonam partem eſt, & in ejus cavo fluctuat, extra ditionem continuitatis vaſorum; ſique paulo fortiora eligantur, facile nimium lochiorum fluxum, & febrilem ſangvinis circuitum ciere poſſunt. Maximi vero momenti, ut rite his doloribus medeamur, debet haberi conſideratio, adeo validas ſæpe eſſe doloroſas conſtrictiones, ut ipſæ cauſæ ſuæ, ex qua oriuntur excluſionem, æque morentur, ac ſpaſmodicæ Ureteris ſtricturæ, calculi a quo natæ ſunt, in veſicam deſcenſum. Patet ergo ſtricturarum fibrarum uterinarum, muſcu-

1) *in Comment. ad aph. 1324.*

muſculorumque abdominalium convulſionem, impugnandam eſſe, & aliquam ad tempus paralyſin his partibus inducendam, ita optime egreſſum heterogenei corporis ſperari poſſe. Atque hoc reapſe evenire, docet repetita obſervatio, & experientia, eaque propter medicamenta ſopientia hic pro arcano habenda eſſe, ſapienter edixit BOERHAAVIUS,[m]) illicoque ubi dolor deſinit, ſponte exire contenta Utero, aſſeverat. Sine reſpectu ad hanc cauſam, ad flatus potius attendens, qui doloribus ſpuriis ante partum opponere Opium dubitaverat WEDELIUS [n]) poſt eum tamen, ſi dolores affligant, eſſentiam ſuam carminativam, maxime cum anodyna remixtam, officium ſuum facere dicit. Sed in genere egregius YOUNG [o]) doloribus, de quibus in abdomine conqueruntur recentes Puerperæ, præ multis remediis aliis, & topicis, ſuccurrere Opium dicit, quod adeo illi directe poſtulent. Nil ego detractum volo infuſo ſaturato fl. chamom. vulg., oleo amygdalarum, ſpermati Ceti ex juſculo avenaceo, aquis ex herbis ut vocant uterinis, ſtillatitiis, liquori anodyno cum Eſſ. Caſtor. Pilulis etiam Stahlii, Tincturæ rubræ d. Bont. quæ noſtratibus Medicis familiaris fuit; laudo quoque clyſmata emollientia, & oleoſa unguenta, & fotus abdomini applicandos, ſed omnia ſuperat mirifice ſecurum & potens valde in his caſibus Opium Dedi in praxi mea innumeris vicibus, citatis remediis non omnino repudiatis, præeunte BOERHAAVIO [p]) illud, vel in potione cardiaca, vel in pulvere abſorbente, cum elæoſacharo, ſingulis horis, vel bihoriis in parcas doſes diviſum ſummo cum fructu; atque tutiſſime, prima ſtatim, vel ſecunda puerperii die. Cautius deinde mercandum cum ejus uſu eſt, quando febris lactea ingruit. ſique hæc diutius pauliſper excurrat, & calore evidentiore ſtipetur, ac coacervatum in mammis lac ſangvinis in eas majorem affluxum cieat, & tumore oborto ſtates minetur, abeſſe debet Opium, id quod pulcherrime monet YOUNG. [q]) Bene hic levioribus

m) *loco cit.*

n) *Amœn. mat. med. lib. I. ſect. III. c. 20. p. 200.*

o) *ſect. XI. & XII.*

p) *mat. med. ad 1324.*

q) *ſect. XII. & XIII.*

febri-

febribus ephemeris Puerperarum, a levi cauſa oriundis, & tranſpiratione aucta cito ſuperandis, id inſervire poſſe, ſimul docet, ab ejus continuatione niſi cito hæc criſis ſequatur, ſerio dehortans, & mortem ab abuſu ſecutam, notabili caſu adducto memorans.

Equidem me non latet, metus multorum Medicorum, qui Lochiorum fluxus adeo ſaluti Puerperarum neceſſarii & utilis, ab Opio doloribus oppoſito ſuppreſſionem, cum multis damnis inde pendentibus expectandam eſſe, ſibi imaginantur. Miror ego, non plures, & non omnes illos diffidere remedio, qui hæmorrhagias ſiſtendi facultate id inſtructum eſſe credunt. Sane hi omnes unanimiter, neque ſaltem cum Cel. IVNCKERO [r]) Stahliani, aſſeverare debebant, Opiata, quæ ad ſedanda tormina colica & ſpaſmos abdominis compeſcendos quibusdam apud Puerperas in uſu ſunt, lochia prorſus ſupprimere, & afflictionem adaugere. At aliter ſentire debent edocti a FREINDIO, [s]) Opium ſua natura ſangvinem attenuans, impetum cordis intendens, augensque ad vaſa plenitudinem, lochia provocare. Jungi hujus teſtimonio merentur THOMSONI [t]) verba: *Ego* inquit *Opio puro neque ulla Mixtura peregrina adulterato, feliciter rem aliquoties expertus ſum, dum dolor nullus urgebat, ut eidem leniendo inſerviret, aut inde deſumeretur indicatio. Neque mirum, haud alia enim, ſed adhuc fortiore ratione operatur Opium cum borrace, caſtoreo, & volatilibus hujuscemodi aliis, quæ ſangvine expanſo puerperia movent.* Cum itaque per experientiam certum ſit, Opium ſua nativa virtute movere lochia, vanus omnino erit timor, ea doloribus poſt partum ſopitis, & viis ſic laxatis, ceſſatura fore; namque in hoc caſu potius duplici ex cauſa Opium prodeſt. Ego toties quoties ad hos dolores ſopiendos uſus ſum hoc remedio, repetitis vicibus, eousque etiam ut placidus ſomnus obreperet, vidi veritatem eorum quæ dixit BOERHAAVIVS; [u]) *Si detur Opium donec ſopiatur dolor, dormit pleruम-*

r) *Tab. de ſuppreſſione lochiorum Caut. 5.*

s) *Emmenol. c. XIV. p. 139.*

t) *diſſ. de Opio p. 127.*

u) *in Comment. aph. 1324.*

*plerumque Mulier, poſt ſomnum grumi exierunt, hinc reſtituitur, nam fibræ ſomno laxantur.* Pene iisdem verbis hæc omnia eloquitur SMELLIE.[x])

x) *in Theoria & Praxi Artis obſtetriciæ lib. IV. ſect. 4.*

Ego ita medens Fœmellis ſæpe ſæpius, non memini, me unquam obſervaſſe lochia, dato opio aliquantiſper imminuta, multo minus ſuppreſſa fuiſſe. Imo vero fretus propria & gravium Virorum experientia poſſum aſſerere, ipſi ſuppreſſioni lochiorum, ſi ea ut ſæpe fit a doloribus poſt partum, vel ſpaſmis abdominalibus, ex frigore admiſſo, terrore, hyſterica mobilitate, vel alia cauſa enatis oriatur, pulcherrime Opium opem adferre, dum & ariſtolochium eſt, & vias conſtrictas relaxans remedium. Intenſioribus poſt partum doloribus ſupprimi lochia, plus una vice obſervavit ETTMÜLLERVS,[y]) notatque ſe Opiata mediis cœteris, ſpeciatim Miſturæ polychreſtæ ex lap. ♋ cum aceto, addita myrha permiſcere fauſto cum ſucceſſu conſueviſſe, cujus uſu motu ſpirituum in ordinem reſtituto, & relaxatis hinc fibris, tantum abfuiſſe dicit, ut ſuppreſſus inde fieret purgamentorum fluxus, ut auſpicato potius redierit. Eadem ratione GEOFFROY[z]) a fibrarum erethiſmo & convulſione ſuppreſſarum poſt partum purgationum fluxum, nonnunquam promovere opium, quin placentæ ipſius evacuationem aliquando juvare, dicit. Peccarem valde, ſi hic obliviſcerer *Julapii Puerperarum* FVLLERI[a]) ex aquis deſtillatis, ſyr. de Meconio, & laud. liquid. compoſiti, quod ad dolores poſt partum *benedictum remedium* dicit, additque: *Neque niſi plane inexpertus hic metuat lochiorum obſtructionem, ab ejus uſu ſubſecuturam, cum e contra frequens cauſa ſuppreſſionis ſit ab doloribus intenſis, ob ſtricturas fibrarum; unde annuentibus ratione & experientia, opiata hic præ cœteris fauſto ſucceſſu exhibentur. Ab eorum enim uſu ceſſante dolore, tantum aberit, ut ſupprimantur lochia, ut e contra placidius & auſpicatius redeant.* Quanquam vero HOFFMANNVS minime facilis fuerit, ad porrigendum

y) *diſſ. de vi opii diaphoretica Cap. III. §. 6.*

z) *Mat. Med. Tom. II. p. 696.*

a) *Pharmac. extemp.*

dum Puerperis Opium, ſed potius paſſim ab eo dehortetur, [b]) tamen ſi dolores abdominis fluxum lochiorum non ſine ſumma pernicie retinuerint, nullo modo pellentibus, ſed potius motus ſedantibus profluvium eliciendum eſſe, eoque nomine merito ETTMÜLLERUM ex Opio præparata, in docte & practice conſcripta ſua diſſertatione, *de Vi Opii diaphoretica* collaudaviſſe aſſerit. [c]) Sane in peſſimis caſibus ſalubris exſtitit hæc medela. Ad matronam quandam vocatus fuit HILDANUS, [d]) quæ cum verſus meridiem filium peperiſſet in conclavi frigido, ſub ſequenti nocte dolore ventris & lumborum correpta fuit, adeo paulatim adaucto, ut lipothymiæ ſupervenirent, & ob vigilias & phrenefin mors imminere videretur. Infuſum fuit enema, toti abdomini admotum cataplaſma, oleum dolentibus partibus illitum, & quod primo loco reponi debere crederem, in Miſtura laudani grana duo fuere exhibita; ſic omnia mala ceſſarunt, lochia redierunt & copioſe fluxerunt. Jungi huic Ægræ meretur illa, cujus mentionem faciunt *Ephemerides Nat. Cur.* [e]) Exhibitum illi fuit poſt Abortum, in doloribus colicis ſummis, una cum diarrhoea, extremorum frigore, & lochiorum ſuppreſſione, Opium cum caſtoreo. Brevi dolores cum diarrhœa ſopiti ſunt, ſecutus cum ſudore ſomnus, & lochia redierunt. Ægra pulvillum tanquam cœlitus miſſum laudabat, cumque ſaltem leniter dolores recrudeſcere ſentiret, inſcio Medico ſumſit alteram doſin, dormiebat, & lochia bene fluebant, ac ſanguis grumoſus excernebatur. Doloribus recrudeſcentibus identidem datum fuit Opium in potione. Poſt 4. dies adfuit plena ſalus. Non igitur ſatis mirari poſſum nimiam puſillanimitatem Optimi SYDENHAMI [f]) in exhibendo ſuo laudano, dum ſuppreſſa ſunt Lochia. Loquitur Vir cordatus de Lochiis, Puerpera citius lectum ſuum relinquente, ob ſpasmos hyſtericos eapropter ſupervenientes, imminutis, & ſuppreſſis, ac peſſima ſymptomata, quæ tum inſequantur, recenſet. Iubet ſtatim applicare emplaſtrum hyſte-

b) *ut Med. Conſ. III. p. 215.*

c) *Diſſ. de ignorata Uteri Structura* §. 26.

d) *Cent. IV. obſ. 42.*

e) *Dec. II. Ao. X. obſ. 3.*

f) *operum p. 531-534.*

hyſtericum, & exhibere Electuarium, ex aromaticis & volatilibus concinnatum. Si lochia non redeant, laudanum, ſed una ſaltem vice tentandum eſſe dicit, quod licet ſua indole adſtringat, cum tamen ſpirituum perturbationem, a qua evacuatio fuerat interrupta, compeſcat, quandoque plurimum juvare, & emmenagogis nil proficientibus, Lochiorum fluxum revocare poſſe aſſeverat, maxime cum antihyſtericis mixtum. Si vero una doſis non reſtituat fluxum, Opium nulla ratione repetendum eſſe monet, quia ſi reiteraretur, lochia ita potenter ſiſteret, ut ea nulla arte deinceps provocari poſſent. Apparet ex his cautelis Sydenhamianis luculenter, Virum egregium, qui toties motus ſopitos, & evacuationes humorum cohibitas ab Opio viderat, eidem & Virtutem minuendi vim motus circulatorii, & compeſcendi evacuationes ſanguineas, quam minus commode adſtringentem nominat, attribuiſſe. Verum ut nunquam circulum moderatur, & retardat, ita nunquam & nullibi certe adſtringit Opium, ſed potius, fibras relaxat, adeo ad paralyſin usque, ſi imprudenter adhibeatur; illasque ſaltem evacuationes ſiſtit, quæ fibrarum ſenſu nimio, irritabilitate, ſpasmo, convulſione, oriuntur, atque circulationis legibus immediate haud ſubjectæ ſunt. A circulatione pendentes excretiones autem, dum illam intendit, omnes promovet Opium, ut in doctrina de hæmorrhagiis luculenter docui, quare nullum periculum ſuppreſſionis lochiis imminet, ſi Puerperæ juſto tempore exhibeatur. Licet vero hoc ipſum certiſſime ita ſeſe habeat, licet Opium primum vere ſalutari mereatur ariſtolochicum, nolo tamen Practicis Autor eſſe, ut nulla habita circumſtantiarum ſuppreſſionem comitantium ratione, Opio abutantur. Si lochia ſuppreſſa id adhibitum non reſtituat, & a ſuppreſſione jam inſtet, aut enata ſit febris uterina inflammatoria, abeſſe hoc remedium omnino debebit prorſus, aut ſi urgentiſſimis doloribus ſpasmisque nervoſarum partium caute opponatur, cum eo methodus antiphlogiſtica

giſtica conjungenda erit; cumque hæc opium omnino excludat, eo magis id vitare oportebit, quo magis ſui medelam inflammatio requirit. Præterea perpendiſſe intereſt, ſi tenerioris & debilioris texturæ corpuſculum obtinuerint Puerperæ, cautius cum generoſioribus, vel & ſi mediocres etiam fuerint, repetitis doſibus Opii mercandum eſſe. Velim quippe hic curatius perpendantur ea, quæ ſcripſit HARRIS.[g]) *Inter omnia tempora,* inquit, *quibus narcotica tenero ſexui inauſpicatiſſime ſolent exhiberi, nullum mihi videtur magis infelix & infauſtum, quam tempus Puerperii. Et quanquam neque Obſtetrices vulgares, neque Medici ipſi in torminibus & vigiliis Puerperarum Narcoticis audacter uti ſæpe minime erubeſcant, tamen perſuaſiſſimus ſum, ſanam prius & firmam fœminarum multarum Valetudinem narcoticis tunc temporis uſurpatis præter modum ſæpiſſime lædi, depravari, & præ aliis omnibus cauſis propterea in morbidum ac valetudinarium ſtatum perverti. Hinc igitur illis obſtructiones pertinaces, menſium ſuppreſſio, decolores & pallidiſſimi vultus, inappetentia, tormina ventris diuturna, melancholiæ & nonnunquam Maniæ ſuperveniunt &c.* Non puto, eousque trahi debere hæc Harriſiana monita, ut ſine exceptione, omni prudenti uſui Opii apud Puerperas interdicant, ſed ut ſaltem cautiones ſeveriores abuſui opponant. Omnia enim illa mala, quæ HARRIS recenſet, tanquam Opiatorum ſequelas, aliquot pulvilli anodyni, qui toties ſufficiunt, non præter rem iterati, vix excludere poterunt. Nunquam ego dedi Puerperis Opium, niſi dolores graviores & motus ſolidorum anomali uſum ejus poſtulaverint, aliisque remediis ſe haud coerceri paſſuros luculenter monſtraverint; ſub eo autem Lochia ſuppreſſa nunquam vidi. Cavi etiam ſollicite, ubi Opium requirebatur, ne doſibus majoribus pro ſubjectorum conſtitutione, aut ſine ratione repetitis peccarem. Deſtiti, ubi impetraveram quod volebam, aut longiora præbiis intervalla aſſignavi, deſtiti, ubi indivi-

g) *Obſervat. de morbis aliquot gravioribus VIII. p. 179.*

dividualis conditio, aut ſymptoma aliquod ab Opio enatum contraindicabat, aliisque remediis tum medelam commiſi. Vidi puerperas teneriores a mediocribus ſane doſibus alto ſomno merſas, de torpore, de gravitate inſolita capitis conquerentes, ſudoribus largiſſimis debilitatas, male cohærentia & objectis externis minime reſpondentia loqui, paululumque delirare incipientes, alvo ſtricta quæ clyſmata emollientia poſcebat, appetitu dejecto laborantes, tumque ſtatim opium miſſum feci, aut ſi urgerent motus ſtrictorii, ſaltem ſepoſitum ad tempus, denuo cautus in ſubſidium revocavi. Paucis dicam, ſub indicatiſſima adhibitione nunquam oblitus ſum ſyſtemati nervorum delicatiori Opium adverſum eſſe, neque niſi grave aliquod malum, graviusque poſt ſe trahere aptum, ſolo tamen Opio ſaltem abigendum, adfuerit, hoc remedium juſtum locum habere.

§. III.

*Lochiorum fluxus nimius.* Ad talia vero Mala gravia, quæ ſæpe nulli alii pharmaco, quam Opio auſcultant, etiam referri debet nimius Lochiorum fluxus, qui niſi ſileat, interdum ſe graviora incommoda, ſummam virium dejectionem, lipothymias, & convulſiones ciet, quin & ipſam mortem poſt ſe trahere poteſt. Equidem qua ratione a me aſſeri queat, Opium refrænare lochia, mirabuntur omnino primo intuitu mei Lectores, quando antecedente §o Opium Lochia directe pellere, & nequaquam inhibere, profeſſus ſum. Sed brevi evadet clariſſimum, nil pugnantis ineſſe ambabus his meis adſertionibus, Opiumque ut lochiis ſuppreſſis, ita & nimiis, ſub certis conditionibus pulchre quandoque mederi. Oritur autem nimius fluxus lochiorum, non ex ſola copia ſanguinis excreti, ſed ex viribus valde proſtratis, pulſu debiliſſimo, & Animi deliquiis dijudicandus, ex duabus potiſſimum cauſis. Aut enim aliquid ſubeſt, quod expanſionem, calorem, & motum circularem ſanguinis citatiorem ciet, nimioque adeo impetu eum ad uteri vaſa nunc laxiſſima propellit;

pellit; aut aliquid in Vteri cavo præſens eſt, quod vaſa ejus nimis hiare facit, ex quibus cruor facilis elabitur, quodque ſimul impedit, ne ſui contractione ad ſtatum naturalem ſenſim accedere, ejusque elapſum cohibere queant. In priore caſu pendet vitium, a nimiis ſub partu difficiliore adhibitis, aut intempeſtivis conatubus; ab abuſu calidorum pellentium, & cardiacorum ſub partu, & poſt eum; ab animi pathematibus, maxime iracundia; a ſanguine ipſo ſub Graviditate diætæ vitiis acriore & calidiore reddito, neglectaque forte brevi ante partum neceſſaria VSe. His ſub conditionibus quicquid dicatur, calidum, cardiacum, circulum accelerans, menſesque & lochia pellens Opium, minime mea ſententia convenit in nimio lochiorum fluxu, neque ego unquam tum eodem uſus ſum. Novi autem, quietem ſummam, juſcula blanda avenacea, hordeacea, panis, gelatinas, emulſiones, lac, Nitrum, acida blanda, ſi lac & emulſiones abſunt, ut Tincturas vitriolicas, ſuccum citri, ſique iis opus eſſet, epithemata refrigerare & ſubadſtringere apta, pubi admota, eximiam opem attuliſſe. Nollem etiam, quando incredibilis copia ſanguinis deperdita eſt, ſub ſumma virium proſtratione, frigentibusque artubus, Opium ſive cardiaco fine, ſive ut elaterem fibrarum & vaſorum uterinorum reſtitueret, ita conſulente YOUNGIO [h]) exhibere, qui nullam hujus remedii veram virtutem tonicam novi, neque largiorem excretionem a diuturno & gravi parturiendi conatu inductam quiete & ſomno per opium inductis compeſcere, quod Clariſſimo Viro faciendum eſſe viſum eſt, cum dum hæmorrhagiæ omnes, ſub ſomno, ex ipſa ejus ſententia exacerbantur & redeunt, hæc quoque dato opio ſomnifero recrudeſcere facillime poſſet.

h) *ſect. XIV.*

Quod vero jam alteram cauſam nimii fluxus Lochiorum attinet, quando grumi ſanguinis, concrementa polypoſa, portiones laceræ placentæ Vterum irritant, & contractionem minutiſſimorum oſculorum impediunt; aut quando

ſecundinarum extractio incauta, & doloroſa læſionem vaſculis intulit, ſummi omnino uſus Opium eſſe deprehenditur. Tum ſemper de doloribus & ſpaſmis abdominalibus puerpera conqueritur, (qui in priore caſu, quando a ſolo impetu circuli malum pendet, fere abſunt,) & præterea abdomen non ſubſidet. Doloribus igitur præſentibus, quia dum illi urgere pergunt, nunquam grumi aut alia peregrina exeunt, & quia his remanentibus Uterus ſe nunquam contrahit, egerendique conatum & aliquem teneſmum perpetuo retinet, antiſpaſmodicum Opium Lochiorum exceſſum feliciter moderatur, grumorum exitum facilitando, Utero quietem elargiendo, & contractionem naturalem vaſis ſic indulgendo. Non autem aliter hic agit Opium, ac in hæmoptyſi, quam cum aliis hæmorrhagiis alioquin per ſe ciere poteſt, quando tuſſin a ſtimulo in pulmonibus laceris natam cohibet, & quietem pulmonibus præſtat, ac ſic ſputum ſanguinolentum inhibet. Atque ex his intelligitur, quousque, & ſub quibus conditionibus opiata in lochiorum fluxu nimio laudare potuerit Ill. BOERHAAVIUS, [i]) & quo ſenſu aſſeveraverit, in eodem Opium ſolum excellere, & absque illo nihil fere ſolidæ medelæ eſſe. [k]) Conſentit cum BOERHAAVIO, qui alioquin non adeo facilis eſt in præſcribendo Opio, HOFFMANNUS, [l]) in illo ſanguinis profluvio, quod in Puerperio ſpaſmorum & dolorum ferocia ciet, aliorum a ſe commendatorum virtutem efficaciorem fieri ajens, ſi unum vel alterum granum laud. hyſt., item MP. de Cynogl. ipſis addatur. Laudandus eſt STAHLIUS, quod in profuſione lochiorum adſtringentia, utpote mali veræ indoli neutiquam convenientia, taxet, poterat vero laudes juſtas relinquere Opiatis, neque hæc cum illis aut rejicere, aut obiter habere. [m]) Lubens locum inter ea, quæ lochia promovent, relinquo pilulis ſtahlianis & becherianis, iis autem virtutem, quam ipſis Vir clariſſimus aſſignat, compeſcendi nimii profluvii tribuere, quæ ſine eliminatione

conten-

i) *aph. 1327.*

k) *in Prælect. ad inſt. ab Hallero editis ad §. 1327.*

l) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 112.*

m) *diſſ. de Morb. Puerperarum p. 40. 41.*

contentorum Utero concipi nequit, nemo ad juſtam energiam remediorum attentus facile opinor poterit. Rectiſſime Cel. YOUNG [n]) nullum tale pharmacum dari, quod interno uſu Uterum a reſtitantibus liberet, omnemque apparatum in Syſtematibus medicis pro expellendo fœtu mortuo, mola, lacerata placenta, grumis, farraginem eſſe inutilium & noxiorum ſæpe pharmacorum affirmat, Opium prudenter exhibitum unum eſſe teſtatus, quod ſæpius aliis juvet, quietem inducendo, & negotium expulſionis Naturæ relinquendo. Vix ad aliud ego, quam ad hoc confugi, quoties cum fluxu lochiorum nimio componendo, mihi res fuit. Eaque propter ſi reſtitans grumus, aut portio placentæ, manus miniſterio, connivente jam nimis, cui nondum inhærebat orificio uterino, tolli negaret, ſpasmi tamen ſub fluxu immodico lochiorum, urgerent, congruis alimentoſis remediis pro ſuſtentandis viribus, præſcriptis, Opium multoties felix adhibui. Addidi interdum nitrum, quod vim illius ſanguinem commoventem, & orgaſticam cicurat, dum interim quam volumus, anodynam prorſus intactam relinquit.

n) *ſect. XIV.*

§. IV.

*Fluor Alvi.*

Non inutile futurum mihi videtur, ſi dum Puerperii morbos Opio curabiles contemplor, paucis etiam mentionem faciam Fluoris Alvi, quanquam hic præciſe cum puerperio ipſo nullam connexionem alat. Ex hoc vero capite illum hic negligere nolo, quia ſi adfuerit, lochiorum ſucceſſum ordinarie mutat, atque proinde eorum intuitu, multa cum circumſpectione tractari, ac prudenter ſibi permitti, mitigari, compeſci a medente deſiderat. Credidit RODERICUS A CASTRO [o]) vix dari morbum, in quo magis hæſitare ſoleant Medici, & plus periclitetur Fœmina, quam Puerperio junctum Alvi fluorem; *ſi enim hunc ſiſtas*, inquit, *detinentur lochia, ſi ſinas, per ſe malum eſt, ideoque vix quicquam tutum.* Contra poſterius hoc memoratum ab hoc Auctore periculum, ſi nempe ſinatur diarrhœa, metuendum,

o) *Part. II. lib. IV. c. 14. de Morbis Mulierum.*

 pugnant

pugnant tamen ea, quæ cum BAGLIVO alii doctiſſimi Viri, non ſaltem de innoxio, ſed & ſalubri valde Alvi fluore, in puerperio, obſervarunt, eum lochiorum non fluentium & ſuppreſſorum, ſæpe vicariam exiſtere excretionem declarantes. BAGLIVVS certe diſertis Verbis ſcripſit: p) *dyſenteria in Puerperis non eſt mala, nam Lochiorum materiam per vicina loca optime minuit, cave igitur ne ſtringas, nam per eam lochia expurgantur*, idque aſſertum binis adductis exemplis confirmat. Idem prorſus teſtem GERBEZIVM q) adducens affirmat Ill. BVCHNERVS, r) atque id omne etiam ad BAGLIVVM, BVCHNERVM, BARTHOLINVM s) & ERNDELIVM t) provocans afferit RAYMANNVS. u) Verum enim vero, cujuscunque Naturæ fluxus alvi fuerit, recens factæ Puerperæ, & a quacunque cauſa proveniat, ſemper eum tædioſum eſſe, & magno Vitæ periculo eam exponere, evacuationem ſupprimendo, contendit MAURICEAU, x) ad HIPPOCRATEM ſimul provocans, qui *lib. III. Popularium* tribus exemplis notabilibus hanc veritatem confirmavit, dum tres fœminas exhibet, perpetuam diarrhœam poſt abortum & partum perpeſſas, quarum duæ ſeptimo, tertia 14 die, obierunt. Neque dubitavit WALDSCHMIDIVS y) alvi profluvium puerperis maxime infeſtum declarare, quippe apud quas ſemper monſtri quicquam alat. En ſibi e diametro contraria de uno eodemque morbo Variorum judicia! Diſtinctius omnino RIVERIVS, z) quem nec fallere nec falli laudatus paulo ante RAYMANNVS dicit, Mulieres purgamentorum ſuppreſſione laborantes, ſi poſt 7. aut 9. diem alvi fluxu corripiantur utplurimum liberari, ſi vero primis diebus, ſecunda ſcilicet, tertia, vel quarta, diarrhœa acciderit, utplurimum interire notat, ut adeo omnis fluxus alvinus apud Puerperas promiſcue pro ſalutari haberi minime debeat, id quod etiam Experientia confirmat. Diſtinxiſſe hic nempe juvat, inter Lochia, aut ex individuali conſtitutione, licet rarius hoc fiat,

quod

p) *Operum p. 110.*

q) *Miſc. Nat. Cur. Dec. III. Annol. obſ. 72.*

r) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. IV. obſ. II. in Schol.*

s) *Cent. III. 19.*

t) *Warſavia phyſice illuſtrata p. 246.*

u) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. VI. obſ. 2.*

x) *des Maladies des femmes groſſes & accouchées lib. III. c. 14.*

y) *Monit. med. Art. XI. p. 280.*

z) *Prax. med. lib. XV. c. 24.*

quod tamen vidi, non fluentia, vel parcius ſuccedentia, & ferme ſuppreſſa, quæ diarrhœam poſt ſe trahunt, eaque placide ſuccedente compenſantur, ſine ullo malo ſymptomate enaſcente; & inter diarrhœam obortam ex diætetico potiſſimum vitio, lochiorum ſuppreſſionem dum fluida alorſum determinat, cum gravibus malis poſt ſe trahentem. In priori caſu nil nocebit diarrhœa, quæ ſibi erit permittenda; bene quoque ſperare licitum erit, ſi ea modica exiſtens lochia non turbet, aut hæc jam ſufficienter fluxerint, per dies aliquot. In altero verendum erit, ne dum omnia Uterina Vaſa a ſangvine per graviditatem accumulato adhuc turgida ſunt, jamque prægredientem diarrhœam inſequente lochiorum ſuppreſſione non deplentur, ſanguis hic in vaſis intercipiatur, & ſtagnet, aut utero efferri prohibitus, ſubito in alia vicina vel remotiora viſcera urgeatur, & ibidem figatur, ſicque ſonticas inflammationes vel in utero ipſo, vel in aliis locis excludat. Hæ vero eo graviores & periculoſiores omnino debent evadere, quia liquidiſſima humorum per inteſtinorum fiſtulas elapſa ſunt, & elabi pergunt, quæ tamen ad ſtaſium obortarum reſolutionem primo loco requirebantur. His rerum conditionibus obtinentibus difficultatem Medelæ optime depinxit MAURICEAU.[a]) *Maxime tædioſum eſt* inquiens, *quod omnia remedia quæ conveniunt fluori alvi, confirment & juvent ſuppreſſionem lochiorum; & quod illa quæ promovent lochia, diarrhœæ non conveniant.* Urget tamen uterque morbus Puerperam affligens; diarrhϾque ſi fieri poſſit, antequam lochia ſuppreſſerit penitus, aut minimum antequam ex ſuppreſſione nata ſit periculoſa inflammatio, mature congrua medela obviam eundum. Certum eſt, remedia adſtringentia huic fluxui ventris cum lochiorum negotio complicato, minus congruere, recteque MAURICEAU neminem bonum Medicum audere talia præſcribere, vel ore aſſumenda, vel clyſmate injicienda, contendit. At vero peccavit MAURICEAU cum aliis, qui

a) *loco cit.*

adſtringentia & Opiata æque nociva habent, & una ratione agere ſibi imaginantur, quique fluxionum numero quæ Opium ſiſtit, etiam lochialem inferunt. Nullum remedium votis Medici ſiſtere diarrhœam ſalvis Lochiis molientis, magis reſpondet, quam hoc; nullum dextre uſurpatum mala imminentia pulchrius præſcindit. Tutiſſime nimirum id adhiberi poteſt, quia lochia non ſaltem non ſuſpendit, ſed potius promovet, ſopitaque inteſtinalium fibrarum irritabilitate ſangyinis quem attenuat & rarefacit, fluxui ſuſtentando inſervit. Saltem cauſæ ſpeciali diarrhœæ, aut antea proſpectum eſſe debet, aut ſimul proſpici; nondumque accenſa eſſe debet febris, quæ aut prorſus abeſſe Opium jubet, aut remediis diluentibus & antiphlogiſticis prudenter ſelectis, ipſique ſi opus, VSi, non niſi ſumma cum cautione id jungi vult. Cauſas diarrhœæ apud Puerperas ordinarie fere conſtituunt diætetica delicta, frigus admiſſum, potus fermentati vel fermenteſcentes, victus incongruus, & animi pathemata. Quando nil ingeſſit puerpera ante & poſt partum ex quo cum ſordibus acre ſtimulans naſci in inteſtinorum cavo potuiſſet, ſed ſimplex externum frigus, aut terror ſubitaneus, ex cortice corporis verſus interiora urgendo humores, ventris fluxum excluſit, quid impedit quo minus actu calidis, aromaticis & ſpirituoſis ex Uterinorum ſic dictorum apparatu ſelectis, abdominique applicatis, cum aquis ſtillatitiis ex talibus, intus mature exhibeatur Opium? Id certe ad exteriora determinando humorum appulſum feliciſſime medebitur diarrhœæ huic, a ſolo motu humorum introverſo pendenti, lochiaque intacta relinquet, & ſi jam imminuta ſint, iterum reſtituet. Ubi vero ex fermentante potu, vel ex ingluvie nimiorum aut inter ſe pugnantium alimentorum, enata cruditate alvus fluit, non equidem purgantibus, utpote ſub fluxu lochiali minus convenientibus, blandis tamen laxantibus Manna & rheo utero haud inimicis, aut pilulis decantatis balſamicis, quæ eidem ejusque

fluxio-

fluxionibus mire reſpondentes non immerito habentur, clyſmatibusque emollientibus, quæ & vicino Utero blandiuntur, ſordes molliter removendæ ſunt, tumque alvinæ evacuationes niſi remiſerint, & modum exceſſerint, ariſtolochico opio ſecure pacari poſſunt. His cautionibus obſervatis plus ſimplici vice pharmacum hoc diarrhœis Puerperarum cum fructu oppoſui. Memini inter alias, alicujus Fœmellæ, quæ cereviſia in fornace calefacta, ne frigore noceret, ſed hac præcautione ad aceſcentiam aptiore reddita, diarrhœam tertia a partu die, ſat gravem ſibi adſciverat. Dedi juſcula carnium, cum vitello ovi, & decoctum C C tepidum, pro potu ordinario, pulveresque abſorbentes cum pauxillo Opii ſingulis bihoriis, trihoriis, dein ſaltem mane & veſperi, abdominique Vinum calidum cum aromatibus feci applicari. Feliciter ceſſavit diarrhœa, lochiis 9. die adhuc fluentibus. Atque non omnes Medicos Opium in hiſce caſibus reformidare, ſed actis aliis agendis omnino in uſum vocare ex eleganti diſſ. quam *de diarrhœa Puerperarum* conſcripſit Cl. A BERGEN [b]) conſtare poteſt. Ipſe ſupra laudatus RODERICVS A CASTRO [c]) qui diarrhœam ſi conferat, & leniter feratur a Puerpera, non impediendam vult; ſique non conferat, & non leviter feratur, modo ſatis fluxerint, aut jam ſuppreſſa ſint Lochia, adſtringentibus ſiſtendam dicit, dum ſi diminute adhuc fluant non adſtringentibus quidem, ſed iis quæ ad Uterum derivare valent cohibendam injungit, Opium commendaſſet ſine dubio, ſi ejus vim ſangvinem ad Uterum determinantem bene intellexiſſet. Interim ſi dolor ſub fluxu ſit urgentiſſimus, ſemen hyoſciami, papaver, Opium, pilulas de cynogl., philonium dandum, taliaque cum clyſteribus injicienda præcipit. Operæ pretium forte facturus ſum, ſi pro dilucidatione eorum, quæ hactenus ediſſerui, adjecero ſequentem notabilem Hiſtoriam. Septima vice partum, multo quidem labore, feliciter tamen ediderat, ſecundinis facile ſubſecu-

b) *§. 15. & 16.*

c) *Part. II. lib. IV. c. 14.*

tis Fœmina tenerioris conſtitutionis. Per tres primos Puerperii dies optime ſeſe habebat, lochiaque modice fluebant. Sub initium quartæ, conquerebatur de dolore capitis, de anguſtiis præcordiorum, de ſpaſmis in abdomine, quod ob neglectum contra mea monita, neceſſariæ ligaturæ, tumidum manſerat, pulſusque citatior obſervabatur. Injiciebatur clyſter ex lacte, ſacharo, vitello ovi, & oleo, eo effectu, ut abdomen deſideret, excluſis ſordibus variis, pulſus tamen crebrius ac antea micabat, capitisque dolor perſeverabat. Suaſi Poſcæ applicationem, & ſcripſi potionem nitratam cum adjecto ſyr. rub. idæi. Præter expectationem accedebat diarrhœa adeo ſubito increſcens, ut intra 8. horas 15. vicibus dejiceret, multa cum virium depauperatione. Culpa mali unice tribui poterat aquæ, cui cruſta panis toſta & pauxillum corticis citri additum fuerat, non frigidæ quidem, liberaliori tamen hactenus, ab initio Puerperii, ingurgitationi, ob ingentem aëris externi æſtum, ab urente Sirio. Febris manifeſta aderat, quæ continuationem nitratæ potionis equidem poſtulabat, ſed hæc a diarrhœa vetabatur. Hinc urgente hac, & concurrentibus doloribus abdominalibus, vagis maximam partem, ſedes referente Ægra continuo proritantibus, non obſtante febre, ad opium abſolute venire debebam. Dividebam granum in 4. doſes addita abſorbentis largiore copia, veſperique diſcedens relinquebam conſilium, ut juſculum hordeaceum ſæpe ſorbillaret, atque donec miteſcere inciperet fluxus, ſingulis 3. vel 2. horis præbium caperet. Altero mane mihi nunciabatur, poſt ſecundam doſin ceſſaviſſe fluxum, tertiam tamen nihilominus fuiſſe adhibitam, Ægramque ſomno refectam bene nunc ſeſe habere, id quod adveniens multo cum gaudio animadvertebam ipſe; pulſu lentiore exiſtente, & lochiis quæ fere defecerant, muci ſangvinolenti ſpecie iterum fluentibus. Sexto & ſeptimo die admodum bene ſeſe habebat Ægra, pulſumque fere naturalem exhibebat. Ut

ergo

ergo lochiorum fluxus utcunque promoveretur, dabam ter per diem Elix. aperit. Claud. cum TRa rubra D. Bontekoë, doſinque pilularum balſamicarum Hoffmanni, cum ſine febre murmura Ventris tumidi nondum rite ligati adeſſent, alvusque a diarrhœa nondum reſpondiſſet. Nocte poſt ſeptimam diem vocabar ut ad morituram. Ob abdomen ſumme tumidum, molle tamen, ſuffocationem metuebat Ægra, pulſus erat celerrimus, dolores tamen vagi in abdomine, & manifeſte borborygmis & flatibus ſtipati efficiebant, ut bene adhuc ſperarem. Injici curabam clyſma ex decocto fl. chamom. vulg. cum Vitello Ovi, ſacharo, & butyro; ſcribebam potionem nitratam cum abſorbentibus, & unguentum ex oleo amygd. dulc. ſpermate Ceti & camphora abdomini illinendum. His in uſum vocatis, die 8. rediens omnia meliora inveniebam, pulſum multo remiſſiorem, abdomen tumens quidem, at ſine dolore, flatubus bene exientibus, lochia vero amplius nulla. Continuabatur unguentum & potio, circa meridiem per duas horas blande dormiebat, & bene habebat, nox vero turbulentior a ſubitaneo, eoque gravi terrore. Nona die pulſus erat frequens, ſed debilis, & diarrhœa denuo repetebat. Ob hanc nitrum cum ſyrupis ſaponaceis abeſſe juſſi, ob virium omnium, etiam vitalium penuriam lac tepidum ſuaſi, pro omni potu, dedique identidem pulveres abſorbentes, cum tantillo opii. Circa veſperam in auxilium vocabatur alius Medicus egregie doctus, VSibus alioquin multum favens. Ob pulſum tamen celerem equidem ſed ſat debilem, ſangvinis detractionem nullum hic locum habere dicebat, quod & ego Agnatis antea declaraveram. Probabat hic pulveres abſorbentes, qui quartam partem de grano opii habebant, conſulebatque ut ſingulis 4. horis caperentur. Abſumebat igitur Ægra per noctem tres, dormiebatque per 4 horas cum aliquibus phantaſmatibus. Die decima mane pacatiora erant omnia, continuabatur lac, cum pulveribus anodynis

ſingulis 6. horis, Ægra de nulla moleſtia conquerens ſaltem dormituriebat perpetuo, aut dormiebat, pulſus erat vegetus, lochia redierant. Per duos deinde dies hauriebat lac pro ordinario potu, & Emulſionis nitratæ cum abſorbentibus ſingulis duabus horis præbium. His elapſis redibant tenſiones & murmura Ventris, cum anxietatibus; alvo tamen fere ſecundum naturam reſpondente. Ut, quia querula erat, & de Vita ut antea fecerat, prorſus deſperabat, incommodis abdominalibus obex poneretur, ſuadebat Medicus accitus ſingulis 4. horis daretur drachma dimidia diaſcordii. Nolebam reluctari, licet calidiſſima tempeſtate acria & calida ab Opio in ſe calido abeſſe maluiſſem. Sudor & eum comitans inquies fere increſcebant, & nox ſequebatur anxia, ægraque de calore, capitis gravitate, ſomnolentia, altera die conquerebatur, hinc ſola Emulſio nitrata exhibebatur, & veſperi ſaltem doſis diaſcordii. Cum tamen torpor capitis perduraret, Uſus ſolius emulſionis, & potus lactei de die in diem increſcentem bonam Valetudinem prorſus reducebat, lochiis a continuatione Opiatorum ſemper magis promotis quam ſuppreſſis.

## CAP. V.

### *Morbi Infantum.*

§. I.

*Opium Infantibus ob noxam facilem ſumma cautione exhibendum.*

Poſtquam quid ſibi permittere poſſint ab Opio Matres & Gravidæ, & parturientes, & Puerperæ hucuſque vidimus, Ordo jubet, ut an & apud earum Infantes, & quousque hoc remedium locum habeat, curatius inquiramus. Monſtravi in ſuperioribus, Sect. I. cum habitum Opii ad fabricam diverſam Corporum explicarem, in illis hominibus, quibus vaſorum cerebrinorum, & totius nervoſi ſyſtematis com-

compages mollior eſt, & tenerior, Opium eminentiores effectus edere, faciliusque quam in robuſtioribus ſubjectis noxas inferre. Igitur Infantibus tenellis, quibus laxiſſima eſt & tenerrima encephalicorum vaſorum, cerebri, nervorumque omnium mollities, Opium celerrimos effectus & celerrima damna inferre debere, luculenter admodum perſpicitur. Atque cum hoc ipſum Experientia ubique commonſtraret, caſusque ſæpe ſatis tragici caute mercandum eſſe cum Opio, in puſionum medicatione clamarent, factum etiam eſt, ut præſtantiſſimi in Arte Viri communi ore, altaque quaſi & elata voce, a generoſo hoc remedio, delicatulis corpuſculis minus appropriato, dehortarentur. Inter antiquos, qui ceu univerſale omnium Morborum antidotum, immenſis encomiis theriacam deprædicaverat, GALENUS,[a]) cavendum tamen ſollicite injunxit, ne Infantibus præberetur, tenellorum vires eam ſuperare profeſſus. Non minus cautus eſt AETIUS[b]) *In pueris* inquit, *Theriacæ exhibitionem omnino vitare oportet, major enim eſt pharmaci facultas, quam vires eorum tolerare poſſunt, & corpus ſane facile diſſolvit, & inſitum ſpiritum cito extinguit, quemadmodum & lucernæ flammam oleum ipſum, ſi illam ſuperet, facile extinguit.* Provocat deinde ad GALENUM qui Puerum ab intempeſtivo antidoti uſu mortuum vidit. Sine dubio per antiquatam Auctoritatem, & per ſecula cumulatas obſervationes factum eſt, quod Respublica Veneta lege circa Theriacæ uſum promulgata caverit, ne eadem infantibus & Senibus exhiberetur. Namque non opus eſſe certum eſt, drachma integra, ad infantem anno minorem enecandum, a qua doſi hoc factum refert HOECHSTETERUS *Obſervat. dec. III. Caſu VI.* ſed multo minor ſufficit. Nemo autem non videt, a ſolo Opio dubiam virtutem, & diſcrimen a Theriaca apud Puſiones pendere. Recentiori deinde tempeſtate, tenellæ puerorum Ætati Uſum Opii periculoſum HOLLERIUS[c]) & TULPIUS[d]) aſſeverarunt, omnemque narco-

a) *lib. de Theriaca.*

b) *Tetr. IV. ſerm. I. c. 96.*

c) *de morb. intern. c. 6. in ſchol.*

d) *in monitis medicis quæ ſubjunguntur Obſervationibus no. 39.*

narcoticorum uſum in Pueris ſuſpectum eſſe ſcripſit LVDOVICVS SEPTALIVS.[e]) Cavere igitur jubet STALPARTVS *van der* WIEL,[f]) quotquot curæ ſuæ infantes traditos cuſtodiunt mulieres, & nutrices, ne illis, quamprimum moleſtia & dolore afficiuntur, anodyna propinent. Contingere enim ſæpenumero ait, ut quamvis non occidant, infantum tamen cerebrum nervosque debilitent, atque tremorem, paralyſin, & fatuitatem excitent. Cui adſtipulatus SENNERTVS [g]) *Medicamenta* inquit, *Somnum conciliantia non ita tuto infantibus exhibentur, cum eorum ingenia ſtupida reddant. Ipſe Syrupus de Papavere illis valde noxius eſt, & plerumque ingeniorum ſtupiditatem poſt ſe trahit, multo minus fortiora hypnotica infantibus exhibeantur.* De hoc Syrupo papaveris & ſeminibus ejus, vagientibus infantulis exhibitis, ut ſomnolenti reddantur, non dubitat quoque pronunciare SIMON PAVLI,[h]) *quod ſubdolæ hæ ſcrofæ ſint, cum illorum temperies mire inde corrumpatur, & facile catarrhi ſuffocativi ita excitentur.* Obiter hic noto, nimiam mihi ſcrupuloſitatem videri, quæ ab Opio ipſo, ſucco inſpiſſato caulium & capitum papaveris, ad ſemina, indeque paratum Syrupum extenditur. Non enim credo eandem in his eſſe & ſibi ſimilem virtutem narcoticam, licet ita videatur nonnullis, ipſique Cel. YOUNGIO,[i]) qui Majorem doſin Syrupi minorem Opii æquare ſibi perſuaſum habet, quamvis non determinare audeat, an uncia una Syrupi par ſit Opii grano. Locutus jam ſum de magna inter hoc & illum differentia, Sect. I. c. I. §. 4. neque valet argumentum a ſomno inducto, ad probandam unam eandemque indolem. Sæpe dormire facit Emulſio ſimplex amygdalina, ob leniens & demulcens ſuum ingenium quo omnes ſtimulos ſomnum arceſſentes obtundit, quis vero propterea compararet ejus Virtutem cum Virtute Opii? Vix aliter agit ſemen papaveris, ejusque oleum, quam oleum ſeminum cucurbitæ, melonum, & amygdalarum. Fateor Syrupum

e) *lib. III. Animadv. aph.* 46.

f) *obſervat. rariorum obſ.* 42.

g) *Med. Pract. lib. IV. Part. II. c.* 9.

h) *Quadrip. botan. p.* 424.

i) *ſect. V. & XXIV.*

rupum diacodii qui non ex ſolis ſeminibus, ſed ex capitibus papaveris paratur, ſi hæc fuerint recentia, ad Opii actionem accedere, tamen & hunc, maxime ex ſiccatis capitibus, diutiusque coctis paratum, ſegniorem eſſe Opio, alibi monui. [k]) Verum redeo iterum ad hoc, & poſt memoratos Cl. Viros WALDSCHMIDIVM [l]) ipſi apud infantes minus faventem in medium produco. *Huic ætati*, inquit, *in qua ſpirituum greſſus infirmi adhuc ſunt, & inſtabiles, nocent Opiata. Mallem ut in Infantum tenellorum morbis curandis omni modo ab Opiatis abſtineretur, cum alia innumera ſint, quæ eos debellare poſſint.* Valde etiam diſſuadet eorum uſum BOHNIVS, ut infra in Tractatione *de Epilepſia* videbimus. Sed nemo majori zelo ea rejicit, quam qui ex inſtituto eleganti tractatu de morbis acutis Infantum egit GVALTERVS HARRIS. [m]) *Nullus quod ſcio*, ait, *Opiatorum inſanus admirator eorum uſum in debilibus imo debiliſſimis Naturis ſtudioſe defendit, quamlibet complures tam in his, quam in robuſtis nimis addicti illis fuerint, proverbium illud animo tenaci forte complectentes, mortuos obmuteſcere. Verum enim vero cum pulſus juniorum ſit debiliſſimus, temperies natura tenerrima, & vires admodum ſint infirmæ, neutiquam mihi conſtat, quorſum incertis & periculoſis medicamentis, quando tutiora imo tutiſſima æque in promptu ſint, puerulo ægrotanti ſubvenire contenderemus.* Atque noſtra ætate Ill. HOFFMANNVS, certæ & indubiæ eſſe Experientiæ monuit, Infantes ab anodynis paulo liberalius datis, ingenii & memoriæ ſtuporem longius durantem, contrahere [n]) & alio loco Opiata infantibus & debilioribus cautiſſime præbenda eſſe inculcat, utpote quæ ingentem cerebro & nervoſis partibus imbecillitatem, & atoniam inducant, teſtaturque ſe vidiſſe mentis ſtuporem infantibus remanſiſſe, quibus pulveres anodyni & theriacalia frequentius fuerant adhibita. [o]) Tandem qui inſtar omnium eſſe poterat Ill. BOERHAAVIVS Opiata Infantibus raro, neque ſine ſumma circumſpectione adhi-

k) *Sect. III. in præmiſſis, ad p. 123.*

l) *Monit. circa Opii & opiatorum uſum p. 19.*

m) *p. 71.*

n) *Med. Syſt. Tom. II. p. 278. 279.*

o) *Tom. IV. Part. III. p. 28.*

p) *aph. 1351.* adhibenda ſuadet, [p]) obſervatumque fuiſſe memorat, ab iis, infantes tota vita fatuos manſiſſe, hinc nunquam infanti vel Syrupum diacodii dandum vult. [q]) Addam adhuc Cel. MEAD, [r]) qui ætatem tenellulam Opiata minus perferre aſfirmat, quæque adeo ſumma cum cautela infantibus danda vult GEOFFROY. [s])

q) *in Comment. ad hunc aphoriſmum.*

r) *de Variolis c. III. p. 33. edit. Götting.*

s) *Mat. med. Tom. II. p. 710.*

t) *diſſ. de Vino interdicendis §. 32.*

Sane Celeb. SCHVLZIVS [t]) infantibus vinum convenire negat, cum Vaſa ipſorum ſatis jam repleta, nil quod humores expandat, ferre poſſint, periculumque ſit, ne debiles contrahendi ſeſe & propellendi vires in ſolidis ipſorum partibus omnino ſuperentur, & ſupprimantur, aut motrices fibræ in motus ſpaſticos & convulſivos abripiantur. Nonne igitur recte ab illa Vini & Opii in agendo ſimilitudine, ad quam toties provocavi, occaſionem deſumit Ill. BERGERVS [u]) & hoc Infantibus pro noxio declarandi, dum illud ipſis adeo noxium habetur? *Si recte,* ait, *Plato lib. II. de legibus, pueris ad duo devigeſimum usque annum, antequam Viri facti ſubire labores incipiant, omni Vini uſui interdixit, quod ignem igni in corpore, & animam ſuggerat & damnum utrique maximum pariat, quanto magis id de Opio præcipiendum erit, ut ab ejus Vſu prima præſertim Ætas prorſus abſtineat, utpote cujus compages fibroſa cerebri adhuc tenerrima eſt, ſuaque mollitie prope diffluit. Nam præterquam quod huic nervisque maxima adferat incommoda, & ipſius rationis lumen extinguat, ſubitæ etiam morti occaſionem præbet.* Tot autem dehortationes ſeriæ, hactenus a me cumulatæ, & plures, quæ adduci poterant, a diverſarum ætatum, & regionum, & ſectarum, Medicis profectæ, quæ certe hypotheſin & ſyſtema non olent, ſed experientiæ & obſervationi ſibi ſemper reſpondenti debentur, ſi cœcum impetum Practici, tenellis opiata pharmaca ſæpeque nulla præſente urgente neceſſitate, ex methodo ſua præſtabilita exhibentis non coercent, næ! hic elogium & characterem Viri boni, & prudentis, vix tuebitur.

u) *diſſ. de Opii Vi rarefaciente §. 12.*

Novi

Novi Cl. LVDOVICI[x]) de Opio aſſerere, quod magno ut aliorum Ægrorum, ita & Infantum damno, hucusque neglectum fuerit, inſuperque Cl. ALSTON profiteri, ſe nullum fundamentum aſſequi, cur infantibus abſolute denegari debeat Opium. [y]) Nullum vero inde ſatis valens argumentum, nullam inde apologiam, pro ſua methodo, petere poſſe illos credo, qui puſionum medicationi, nimis faciles id deſtinare ſolent, ſane ALSTONVS ipſe præſcriptionem ejus, in illis caſubus, nbi vere inſecurum & noxium eſt, arguere ignorantiam legum medendi, aut naturæ Opii, ſimul addit. Novi quoque gloriari BONTIVM, [z]) in Indiis tam rite Opium præparari, ut vel infanti innoxie detur. Verum calida & acria, quibus correctionem ipſe molitur, id non magis ſecurum reddunt, quam æquali doſi minus correctum ſine additamentis eſſe obſervatur, quin his vere magis inſecurum redditur, nam & ſola acria & calida ſine Opio infantibus haud proſunt. Favet Vſui equidem multum, ſi ullus medentum, poſt SYLVIVM [a]) WEDELIVS, [b]) ſed quæ elogio, quod habet, præmittuntur, id ſaltem valde limitari debere, niſi omnia me fallunt, clariſſime ſimul edocent. *Infantibus*, inquit, *Opiata rarius & parcius danda. Solet vulgo iisdem quandoque exhiberi Theriaca, quod ſi in pauca doſi fiat, adeo incommodum non eſt. Sin ſecus, debilitatur valde ingenium, & memoriam obtundunt Opiata, quin ipſi cerebro nociva creduntur. An tenellæ Ætati abſolute perniocioſum ſit, juxta monitum* TVLPII, *nemo facile affirmaverit. Si enim & tenella Ætate conſtituti male habent infantes, ut indicetur Opium, doſi ipſis proportionata utique tutiſſime dari poteſt, quod feliciſſime in Praxi experti ſumus, vel millies ſucceſſiſſe ex voto.* Ejusmodi arctioribus limitibus etiam circumſcriptæ ſunt laudes, quæ leguntur apud RIDLINVM, [c]) *Opiata*, inquit, *etiam in infantum & Puerorum Morbis multa præſtant, cum non raro fluxibus & doloribus intenſiſſimis laborent, ſed citius operationem ſuam in Puſionibus*,

x) *Pharm. moderno ſeculo applic.* p. 367.

y) *Act. med. edinburg.* Tom V. Part. I. No. 12. in fine.

z) *Med. Ind.* p. 63.

a) *Tr. de morb. Infantum variis locis.*

b) *Opiol.* p. 148.

c) *lin. med.* Ao. 1695. Menſ. Nov. obſ. 2.

*nibus, quam in ullis aliis Subjectis exerunt, & hinc caute, & maxime in debita doſi exhibenda ſunt. Ego Opium in ſubſtantia quomodocunque correctum, ſolum, nunquam iisdem præbere ſoleo, ſed pilulas de ſtyrace, vel mithridatium, in quibus Opii doſis ab aliis ingredientibus valde minuitur, at nihilominus in parva doſi præſcribo, nec ſine optato effectu.* Aliquantisper audacior videtur HECQVETVS.[d]) Ex antiquo quippe præjudicio, ob frigiditatem, vel ex hodierna ſententia ob caliditatem, perperam interdici infantes Vſu Opii dicit, cum obſervata neceſſaria intentione, convenienter morbis eorum id applicari queat. Provocat deinde ad ETTMÜLLERVM, Theriacam tot granorum pondere, quot anni ſunt, puſionibus dandam indulgentem, & ad WEDELIVM Tulpium refellentem. Memoratu vero valde dignum eſt, aliquot foliis antea[e]) largitum fuiſſe HECQVETVM Opium Nutricibus datum, dum chylo miſcetur, lactique, infantibus noxam adferre, eaque propter ipſe conſulit, ſi morbus Nutricis poſtulet Opium, ut per id tempus, quo neceſſitas uſum exigit, alii Nutrici ad lactandum Infans tradatur, aut ſi indoles morbi permittat, e. g. teneſmus & diarrhœa, ut detur in clyſmate, vel cataplaſmate, vel alia forma, qua non æque facile ac ſi ore acceptum eſſet, in lac influere, idque inficere poſſit. Multum hæc cautio elogio hequetiano detrahit. Si vero nunc omnia aſſerta allegatorum Virorum, Opio apud Ægros infantes quomodocunque faventium, vel aliorum forte Auctorum, accuratiſſime penſitemus, videbimus clariſſime, Encomiaſten ſemper hærere in ſtatu medio, fiduciæ, & timoris, modoque in hunc, modo in illum vergere. Ex hac vero fluctuante agendi ratione, & ex aliorum monitis, qui hoc remedium potius prorſus abeſſe vellent a Curatione Infantum, infallibilem eliciemus ſequelam, Opium ſine dubio magis minusve inſecurum & tutum haberi debere, quo magis infans ſuæ nativitati proximior, vel ab ea remotior eſt, quoque magis tener viſitur, vel robuſtus. Deinde

d) *p. 317. ſeq.*

e) *p. 304.*

&

& hoc momentum hic conſiderari debet, quod omnes medentes obſervare poſſunt, ſi attendant, nempe ſi homo jam adultus prima vice capiat Opium, etiam mediocres doſes notabiles effectus edere, præcipue circa Caput. Quid ergo expectandum erit, ſi prima vice præbeatur homuncioni, cujus cerebrum eſt debiliſſimum, & ſtructuræ delicatiſſimæ? Merito igitur prorſus a Medela morbi apud Infantes abeſſe debet, ſi hæc ulla ratione aliis pharmacis imperrari poteſt; tumque ſaltem locum inveniet, quando ſevero judicio penſitata ægritudo vehementior eſt, quam ut aliis quibuscunque vinci poſſit; mortisque metuendæ periculum, nullo pharmaco quam Opio, etiamſi id paulisper anceps in ſummo rerum diſcrimine haberi debeat, ſeſe patiatur declinari. Videamus igitur paucis jam morbos illos infantiles, qui eousque graves evadere poſſunt, ut Opium abſolute poſtulare videantur. Scripſit SYDENHAMUS, [f]) tria eſſe potiſſimum, quæ ex Opio parata judice Experientia indicent. Vomitum vel dejectionem enormiorem, vehementem dolorem, & inſigniores ſpirituum animalium ataxias. Ab his tribus igitur maxime, & præ aliis affectubus, etiam in infantibus indicabuntur ſine dubio opiata pharmaca, dum in aliorum curatione abſtinuiſſe ab iis præſtabit.

f) *p. 373.*

§. II.

*locum tamen habet in Vomitu,*

Vomitum ergo Infantum quod primo concernit, nil dicam hic de illo, qui a tuſſi, a dentitione, a Variolis imminentibus, a Vermibus pendet, cum talis ſymptoma ſit morborum, ex lege methodi curandorum, quibus ſanatis etiam ſanatur. Saltem mihi nunc ſermo eſt de Vomitu idiopathico, qui ab acido acri, & caſeoſo lacte, aut pulte nimia copia ingeſto, exoritur, vel & ex refrigeratione externa. Vomitum ſuam cauſam rejicientem non præpoſtere cohibendum eſſe, norunt periti medici, dum onere excuſſo, æger puſio levatur. Neque ſtatim terreri debet medicus, ætas enim hæc & Vomitum ſpontaneum, & adeo vomitoria cum judi-

cio data, facile fert. Nimium tamen etiam Vomitum, ni cohibeatur, debilitatem ſummam, & convulſiones poſſe excludere, ſciunt rerum gnari. Igitur ſi clyſmata alìorſum materiem invitantia, & evacuantia, motumque periſtalticum inverſum ſimul deorſum allicientia, ſi ſtimulum acidum abſorbentia, viſcidumque ſolventia nil juverint, motusque anomali & vani vacuique aromaticis & ſubadſtringentibus non placentur, extus etiam Vinum rubrum cum Aromatibus, linimentaque ſpirituoſa, balſama aut ipſa etiam in forma emplaſtri applicata theriaca auxilium non adferat, malumque interim urgere pergat, omnino ad Anodyna accedendum erit. Atque in hac rerum neceſſitate non ſaltem SYLVIVS, [g]) qui nimis forte facilis fuit, in dando Infantibus Opio, hoc, & quicquid ex eo parari ſolet, Theriacam, & diaſcordium collaudat. Neque etiam tantum ad compeſcendum talem pertinacem Vomitum SCHELHAMMERVS [h]) Eſſentiam theriacalem ex aqua Cinamomi, ad aliquot guttas, WEDELIVS [i]) eandem Eſſentiam, & in pulveribus & potionibus theriacam cœleſtem; ETTMÜLLERVS [k]) poſt nucem moſchatam, & aquam cinamomi, theriacam externe, & interne in minuta doſi laudat, ſed ipſe HARRIS, qui tamen adeo ſevere apud Infantes Opiata prohibet, uſum eorum concedit. Poſtquam enim in nullis Infantum affectubus, dempto Vomitu pertinaci, pharmaciam opiaticam probandam eſſe edixerat, deinceps ita diſertis verbis ſcribit: [l]) *Notandum eſt, Narcoticorum mediocrem uſum in Vomitu pertinaci & præſertim in illo, qui a lacte vitioſo pendet, non eſſe prorſus vituperandum, quantumlibet Natura infantilis a narcoticis penitus abhorreat. Nonnunquam enim ſymptoma tam grave & maxime ſi torminibus diris ac diuturnis fuerit conjunctum, nequaquam eſt debellandum, niſi laudani liquidi guttulis duabus ſyrupo cuidam inſtillatis.* Ego quidem plus ſimplici vice, actis licet omnibus agendis, tantis anguſtiis me conſtrictum ſenſi, ut ſi caruiſſem laudano, te-

g) *Tr. de morbis Infantum c. IV. in fine.*

h) *diſſ. de morbis Ætatum p. 35.*

i) *libro de morbis infantum cap. 27.*

k) *in Valetudinario Infantili c. III.*

l) *p. 72. & 91.*

nello-

nellorum Vomitubus mederi nequiviſſem. Videor mihi aliquibus ſervaſſe vitam hoc medicamine, de quibus jam conclamatum videbatur, dum ut fecit SYDENHAM[m]) apud Ægrum puſionem, ob enormem Vomitionem pulſu vix micante animam agentem, lectulo aſſidebam, effectumque datarum guttularum laudani expectabam, quas ni ſuffeciſſent motubus compeſcendis, eadem doſi, vel & pro re nata aucta, repetiiſſem.

m) *p. 372. 373.*

§. III.

Vomitum excipiat diarrhœa, in qua non minus ſi nimis urgeat, tanquam ad ſacram anchoram, ad unum Opium, ſed multa tamen cum prudentia confugiendum eſt. Non loquor diarrhœam a dentitione & Vermibus, quæ principes morbos oppugnari cupit. Neque mihi res eſt cum illa diarrhœa apud Puſiones ſat frequente, quæ oſculorum lacteorum, glandularumque meſaraicarum obſtructione, a pituita lenta, & cruditatibus accumulatis, fovetur, quæque ex tumido abdomine, etiamſi fluxus jugiter affligat, nequaquam ſubſidente dijudicari poteſt, ac aperientibus ſaponaceis, ſtomachicisque, ut & frictionibus abdominis, ac martialibus tandem curari deſiderat. Saltem meam nunc conſiderationem ingreditur alvi profluvium, quod ab acido & coagulato lacte, ſaburraque viſcida coacervata prognaſcitur. Id ſæpe valde ſalubre eſt puſionibus, ſique appetitus conſtet, dolores mediocres ſint, nullaque febris complicetur, permitti ſibi debet ſponte deſiturum, aut roborantibus & abſorbentibus exhibitis conquieturum. Cavendum acri judicio adhibito, ne nimis cito de ſiſtentibus cogitet Medicus. Puerulo trium hebdomadum alvi fluxum non ſtatim ſtitit, ſed clyſmatibus & antacidis uſus eſt RIDLINUS,[n]) cum tamen crebrior videretur, & vires dejiceret, dedit Mixturam cum Coralliis & extr. Opii gr. ß. Vix decima Mixturæ parte exhibita, in ſomnum profundum incidit puerulus, alvi fluxus ſiluit, ſed tam male habuit tenellus, ut eum pro mortuo habuerint adſtan-

*Diarrhœa*

n) *Cur. Med. obſ. 512.*

ſtantes. Salis volatilis una gutta cum aqua confortante exhibita, & alvo reſtituta ægre fuit ſervatus. Verum ſi fæces virideſcentes acidum ſpirent, & tormina gravia ſimul adfuerint, quæ convulſiones & mortem poſt ſe trahere poſſunt, ocyus & pro ſymptomatum gravitate arte ad ultimam potentiam extenſa ægrotanti ſubveniendum eſt. Idem nempe modo laudatus RIDLINVS o) ex neglecto alvi profluvio filiolam elegantis admodum formæ, & ſat ſanæ conſtitutionis enectam dolet. Mature igitur antacida abſorbentia, rhabarbarina, clyſmata demulcentia, topica, blandiora carminativa, & viſceralia amaricantia, in uſum trahenda ſunt, quæ multum boni ſubinde præſtare ſolent. At omnibus his ſtudioſe adhibitis, inteſtinorum irritabilitas & ſenſibilitas & hinc pendens egerendi conatus, in habitum deductus, ſæpe tantus eſt, eaque urget dejectionum numeroſiſſimorum vehementia, ut niſi cito conſopiantur, vires penitus fatiscant, gravibusque ærumnis mors ſuperveniat. Neque citæ medelæ ſemper ſufficiunt pulvis maſtichis cum nuce moſchata, caſcarilla, boli & terra ſigillata, corallia, creta, & alia teſtacea etiamſi, quod HARRIS præcipuum eſſe in curatione contendit, ſat larga copia ingerantur. Dum de alvi dejectione virideſcente acidumque redolente agit SYLVIVS, p) atque enemata & abſorbentia ſaltemque ad pauca grana bis de die vel ter commendat, nil quod miror de anodynis dicit. Theriacam vero, extractum theriacale, & Eſſentiam anodynam cum aliis uſurpat WEDELIVS. q) HARRIS ut ab adſtringentibus ita & ab anodynis dehortatur, r) quorum energiam potentiſſimam vires puerulorum tenerrimæ fractæ, & enervatæ raro ſine maximo ſalutis diſcrimine ſuſtinere valeant, atque contra acorem moleſtias omnes faceſſentem, cretam, corallia, margaritas, laudat. Fatetur tamen, in caſibus, ubi febris abeſt, diaſcordium in malam partem non ceſſiſſe, quin emolumento fuiſſe, ſed in febricitantibus periculo non vacare aſſeverat. Ego a multis annis harriſiana veſtigia legens in

o) *lin. med. Anno III. Oct. No. XX.*

p) *Tract de Morb. Inf. c. III.*

q) *lib. de Morb. Infantum c. 25.*

r) *p. 90, 91.*

in Infantum medicatione, multas diarrhœas infantum a caſeo acido, rheo & largo uſu terreorum, hisque addita tandem nuce moſchata, compoſitas vidi, quibus omnibus ſubinde gummi arabicum addidi, vel interpoſui, externe ſimul balſamicis aut ſpirituoſis linimentis, ipſaque theriaca in ſubſidium vocatis. Secutus nonnunquam ſum conſilium BOERHAAVII,[s]) atque in diarrhœis a cauſa acida, quam fæces virides adeſſe teſtabantur, cretam aqua dilutam per inferius guttur injici feci, cum fructu. At aliquando tamen jungere talibus Opiata debui, nuperque demum amatam Amici alicujus integerrimi filiolam, per aliquot dies inter clyſmatum ant-acidorum applicationem abſorbentibus bene paſtam incaſſum his, & quæ foris applicabantur, adhibitis, cum ob urgens profluvium alvi animam agere videretur, potione ex aquis Menthæ, Meliſſ. Rutæ & Cinam. cum abſorbentibus & diaſcord. Fracaſt., quæ Dei erat gratia, in vadum locavi. Alio tempore theriacæ minutam doſin, aut laudanum liquidum optatos præſtitiſſe effectus expertus ſum. Neque etiam clyſmatum ex decocto pedum Vituli cum Vitellis ovorum & theriaca applicatorum me pœnituit.

s) *Prælect. ad inſtit. §. 1170.*

Frequens eſt paulo adultioribus infantibus diarrhœa, a ſacharatorum, bellariorum, placentularum, ingluvie, indulgentiſſimarum Matrum vitioſo amore ſuſtentato, cujus meminit Cl. YOUNG.[t]) Facile patet, peccare omnino ex optimi Viri ſententia Medicum, ſi horum ignarus ſtatim ad diaſcordium vel laudanum convolet. Quin diarrhœa neceſſario pergere debet, niſi diæta melius obſervetur, aliisque pejoribus morbis anſa dari. Male conſulere ſanitati Medentem, iterata anodynorum exhibitione, recte monet, donec radicem mali intelligens Matrem corrigens Infanti felicius ſuccurrat.

t) *ſect. IV.*

Habet etiam Vir egregius diarrhœam poſt ablactationem,[u]) quam a mutato Victu deducit, præcaverique poſſe affirmat, ſi ante illam infantes adſueſiant alimentis lacti ma-

u) *ſect. V.*

terno analogis. Si nihilominus diarrhœa eveniat, illam abſorbentibus & laudani liquidi gt. 4-5. ſanari monet, niſi nimia aſſumtorum copia peccet, cum quibus laudanum non bene conveniat. Crediderim in his caſibus poſt diætam ſevere injunctam, amara viſceralia, quæ ſtomachi robur fulciunt, & ſimul, maxime cum alcali præparata, ant-acida ſunt, anodynis virtutem digeſtionis deſtruentibus, ſæpe præferenda eſſe.

Tandem in diarrhœa infantum rhachiticorum, & ſcrophuloſorum, cum Ventre duro & tumido, maxime ſi de doloribus abdominalibus conquerantur, & ſomni expertes ſint, niſi diætæ vitia ſubſint, laudanum liquidum ante cubitum exhibere conſuevit YOUNGIVS, [x]) ad gt. 4. 5. 6. non ſedanti ſaltem, ſed et cordiali virtuti ejus fiſus. Laxitati ſummæ ſolidorum, & nervorum teneritudini, quæ talibus ægris eſt, non bene reſpondet Opium. Si fundamentum Morbi oppugnetur, Electuario quod illo laudat, & aromaticis & pauxillo limat: martis, & veſperi exhibeatur laudanum, convenientior evadit Curatio. Nollem tamen diarrhœæ & tum deſtinare anodynum, niſi fuerit ſymptoma urgens, quia unice a laxitate & meſenterii obſtructione pendens ſolo electuario ſanari ſeſe radicitus patitur.

x) *ſect. VI.*

Diarrhœam a dentitione pertractabo ſuo loco.

§. IV.

*Torminibus*

Poſt evacuationes ſurſum & deorſum urgentes, quæ Opio apud infantes aliquando compeſci volunt, progrediendum nunc erit ad dolores, & inter eos primo ad atrociſſima illa Tormina, a lacte caſeoſo, & acida acrimonia ſæpe corroſivi quippiam habente, prognata, quæ diarrhœam, de qua verba feci, interdum antecedunt, aut comitantur. Magnum illa ſemper ubi invaluerunt, metum incutiunt, ne febres, inflammationes, & necroſes inteſtinorum, ac epilepticæ convulſiones cum morte ſubſequantur, quare tanto majore cura inhibenda ſunt. Cum a lacte affatim ingeſto,

&

& corrupto proveniant, prodeſt ſæpe arcere infantem ab ejus ſuctione ulteriore, & tenuia carnium jura, cum vitellis ovorum aliquando ſubſtituere, ut dum talia aceſcere nequeunt, dominans acida acrimonia quam Medicus impugnandam ſumit, victu non ſuſtentata, tanto certius vincatur. Multum maxime in malo paulo graviore hac diæta impetratur, quin & juſculum tale egregium remedium ſuppeditat, non ſaltem acori contrarium, ſed & excoriatos inteſtinorum parietes illinens, & mulcens. Summum vero remedium hic ſunt terrea abſorbentia copioſius data, intermiſto rheo, aut interpoſita Manna; proſunt quoque egregie clyſmata oleoſa, abdominisque inunctiones, cum blandis oleis, ac oleum amygdalarum cum vitello Ovi in emulſionem redactum diligenter exhibitum, THONERO[y]) BOERHAAVIO[z]) & LENTILIO[a]) tantopere laudatum, & a me innumeris vicibus ſummo cum fructu propinatum. Memini quoque balnea emollientia, cum dies & noctes ejulatibus & clamoribus abſumptæ eſſent, blando ſuo tepore miſeris puſionibus miram prorſus utilitatem attuliſſe. Ab hoc vero apparatu remediorum, licet quod expertus loquor, ſæpe curationi felici ſufficiat, non tamen prorſus excluſum Opium vellem, ſi ſumma ſpaſmorum fuerit nequitia. Tanta eſt HARRISIO in ſola abſorbentia, dummodo ſat largiter exhibeantur, fiducia, ut ea anodyna tutiſſima vocet, atque æqua certitudine tormina, inquietudines, vigilias, compeſcere afferat, qua convicti eſſe poſſumus rhabarbari vires purgativas demum futuras, qua narcotica adultorum dolores ad tempus tollunt. [b]) Atque alibi [c]) *non ego* inquit *Corticem peruvianum febribus intermittentibus magis ſpecificum, non opium vigiliis & doloribus pertinacibus compeſcendis magis ſpecifice convenire cenſeo, quam teſtacea torminibus infantum.* Rurſumque alio iterum loco [d]) vim eorum prorſus anodynam imo infantibus ſoporiferam eousque extollit, ut nullam puerilem ægritudinem, quantumvis dolorificam, mini-

y) *lib. III. obſ. 10.*
z) *mat. med.*
a) *in eteodromo p. 78.*
b) *p. 51. 52.*
c) *p. 94.*
d) *p. 94.*

minimam proprie dictorum narcoticorum delibationem, niſi rariſſime, poſtulare pronunciet. Laudat interim in torminibus cum abſorbentibus anodyna SYLVIVS,[e]) exhibetque cum illis Theriacam ETTMÜLLERVS[f]) et WEDELIVS.[g]) Atque quanquam HOFFMANNVS mithridatium, requiem Nicolai, & alia Opiata rejiciat,[h]) tamen alio loco[i]) abſorbentibus & aquis antiſpaſticis ut vocat, diſertis verbis pauxillum diaſcordii remiſceri cupit. Dum Theriacam inter vetuſta anodyna medicamenta, longe optimam compoſitionem dicit Cl. SCHVLTZIVS,[k]) ſimul recenſet, quod in tenera ætate torminum vehementia miſerabili ejulatu aliisque ſignis ſe prodente, proficuum ſæpe cum gaudio proſpexerit pulverem, ex pulvere marchionis, & magneſia, cum theriaca miſtum, licet præbium unum ſaltem habuerit ducenteſimam & quartam partem gr. unius opii. Sane puncti illius de extracto anodyno, quod WEDELIVS adjici vult ſuis pulveribus in cura Infantum torminibus laborantium[l]) hæc doſis SCHVLTZII punctum eſſe videtur. Vix crederet efficaciam aliquam, in tam exili atomo opiato Medicus, niſi Vir laudatus de ea expertus teſtaretur, fateri tamen is ſimul cogitur, eandem doſin poſt aliquot dies iterum exhibitam, longe minus ſenſibilem opem adferre. Aliquantiſper grandiore opus eſſe autumo, pro re nata, ſi Opium aliis præmiſſis non juvantibus, vere indicatur. Abſorbentia iure ſuo magni facta HARRISIO optime deſtruunt acorem villos inteſtinorum pungentem, & erodentem, ſed jam excoriata & arroſa loca non ſanant, neque etiam motus habituales compeſcunt, nec ſenſibilitatem ſummam fibrillarum nervearum minuunt. Omni acido jam feliciter deſtructo, ob duo hæc momenta, perdurare poſſunt atrociſſima tormina, Inteſtinis autem muco ſuo naturali deſtitutis, & vel eapropter quod nudi ſint villi, ipſis ſenſibiliſſimis, blande obliniendis pulcherrime inſervit oleum quodvis mite, & gelatina ex CC. & ebore parata, ovorumque

e) *Tr. de Morbis Infantum p. 599.*
f) *Valetud. infant. p. 41.*
g) *de morb. infant. p. 34.*
h) *in Suppl. Med Syſt. p. 42.*
i) *p. 39.*
k) *de medicamentis officinalibus §. 15.*
l) *l. c.*

que lenientes vitelli. Sed ſi his cicurari ſeſe non patiatur ſpaſmorum ſævitia, cogitandum eſt, illam inflammationem & convulſiones certiſſime ingignere, ſi perduret; quare pro ætatis ratione ægro parvulo minuta doſis laudani liquidi dari poteſt, quia nil acris adjectum habet; theriacæ & mithridatio omnino præferendi. Non vero ſatis inculcari poteſt, cavendum eſſe, ne nimis cito ad hoc accedat Medicus, ne huic ſoli fidat, nam utut ſenſus torminum tantillum inhibeatur, acidum tamen rodens manet, non obſtante exhibito opio, id quod eſt, rodereque ac convellere fibras pergit, omniaque quæ inde fluere poſſunt mala nihilominus excluduntur. Deinde & alvus opio ſiſtitur, ac lupus ſtabulo includitur. Semper igitur ac ſi id non datum eſſet, abſorbentibus, demulcentibus, clyſmatibusque, pergendum eſt jugiter.

§. V.

*Dentitione difficili.*

Sed & præter torminoſos inteſtinorum cruciatus, infandis doloribus infantes mulctat dentitio difficilis. Moleſtiſſimam ſenſationem hic parit ſola tenſio & inflammatio gingivarum nervoſarum, & ſanguineo commeatu ditiſſimarum. Sique huic conſiderationi jungatur ſumma in infantili ætate nervoſæ compagis ſenſibilitas, ac conſenſus nervorum quinti paris, cujus ramus ad maxillas & dentes abit, facile Geneſis omnium ſymptomatum pueris dentientibus familiarium intelligitur. Nempe ab una hac radice pendent inquietudines, Vigiliæ, tormina Ventris, obſtructio vel profluvium alvi, fæces virides, vomitus, tuſſes, febres, convulſiones, & quæ ſunt reliqua. Cauſa doloris tenſio ſi tolli poſſet, id quod inciſione gingivarum moliri jubent Medici nonnulli, ſubito omnia mala præſentia tollerentur, atque metuenda præcaverentur. At quia inciſio ſuis difficultatibus laborat, minuenda ſaltem doloroſa tenſio eſt, & comitans eum inflammatio impugnanda. Nolo hic multis agere de VSis a SYDENHAMO & HARRISIO adeo commendatæ utilita-

tibus, aut dum eam inter noſtrates experiri vix licet, fuſius commemorare fructus, quos ab hirudinum applicatione mihi obſervaſſe interdum contigit, quoties violentior febris ardebat, ſanguisque rapidius ad caput ſtimulo doloris invitatus ferebatur. Neque quid alvus paulo laxior boni pariat enarrabo, quæ eapropter ubi obſtructa eſt, clyſmatibus & mannatis aperiri debet. Cumque ad meum inſtitutum haud pertineat, ſumme neceſſariam perpetuamque emollitionem & refrigerationem Gingivarum, emulſionumque nitratarum internam adhibitionem prolixius conſiderabo. Solum ſaltem ſi his & aliis illud non impetretur, doloris lenimen jam ad me ſpectat, volatilibus a magnis Viris equidem committi ſolitum, non tamen æque certo ab his quam ab anodynis opiatis obtinendum, ſi ſaltem tenerrima Ætas haud contraindicaret. Ea tacentibus fere aliis Scriptoribus de Morbis Infantum, poſt alia pharmaca, quæ exponit, non omittenda vult WEDELIVS,[m]) atque Celeb. HOFFMANNVS[n]) dentitionis medelam docens, nil quidem de Opio habet, tamen alibi cauſas dolorum recenſens, quæ volunt, ut hypnoticum tentetur, dentem prorumpentem illis annumerat.[o]) Atque tale remedium tum maxime indicari videtur, quando convulſionum a dolore oborturarum metus adeſt, id quod brevi, ubi de inſigni ſpirituum ataxia apud Infantes, ac quatenus illa Opium poſcat, verba facturus ſum, clarius exponam. De diarrhœa dentitionis ſymptomate, quædam adhuc adnectere liceat. Edixit HOFFMANNVS[p]) Alvi libertatem etiam paulo majorem, nunquam fere non majorem facere ſpem ſanationis recuperandæ, nullaque ratione tunc temporis alvum roborantia, vel adſtringentia debere propinari, alias enim rem periculi eſſe pleniſſimam, & convulſiones cum aliis ſymptomatibus longe citius certiusque ſubſequi. Verum licet certiſſimum ſit, laxitatem alvi dentientibus eſſe præſidio, & ſi deſit, antiphlogiſticis purgantibus procurari debere, tamen non minus verum

m) *de Morb. Infant. c. 21.*

n) *Med. Syſt. Suppl. cap. III.*

o) *Med. Syſt. Tom. II. p. 280.*

p) *Med. Syſt. Suppl. Cap. III. in fine.*

rum eſt, interdum nimiam eſſe dejectionum frequentiam, tumque ex hoc altero extremo obſtructioni oppoſito, ſummam debilitatem & quæ inde facile ſequuntur convulſiones ab inanitione debere metui. Audiendus in hoc caſu omnino eſt Ill. de GORTER, q) qui diarrhœam ſi vires ſub dentitione emungat, quia nil morboſi evacuat, anodynis nervinis compeſcendam eſſe monet. Talem diarrhœam dum exitum moliuntur dentes, ſubinde etiam complicatam habere acrimoniam in primis viis collectam, aſſerit YOUNG r) ac utroque reſpectu anodynum prudenter & circumſpecte exhibitum, rebus urgentibus, cum abſorbentibus conducere affirmat. En quæ hoc effatum egregie verum eſſe commonſtrat ſequentem Hiſtoriam inter varias alias, quas adducere poteram. Puerulus 26. hebdomadum diarrhœa, virideſcentia copioſe profundente laborabat, ſimulque per intervalla febricitabat. Exhibebam abſorbentia largiter, cum dejectiones increſcerent, & teneſmus urgeret, illis adjungebatur Gummi Arabicum, & clyſmata oleoſa infundebantur; diætæ juſtum regimen accedebat, juſcula tenuia carnium, potus thée cum admiſto Vitello Ovorum, alimenta erant. Nil hæc proficiebant per aliquot dies adhibita, igitur abdomini inungebatur oleum nucis moſchatæ expreſſum, appoſito ſimul Emplaſtro theriacali. Cum nihilominus diarrhœa præfracte pergeret, ac emaciatus puſio 20. ſedibus per 24. horas ſumme debilis redderetur, ac inſuper ſomno prorſus careret, morbumque ſimul a dentitione pendere veroſimile eſſet, cum pulvere abſorbente mane & veſperi gt. ij laudani liquidi exhibebantur. Melius ſe inde habere incipiebat, at cum elapſo die iterum fluxus alvi recrudeſceret, pulveris abſorbentis cum gt. iij laudani mane & veſperi dimidia pars porrigebatur. Ita dejectiones prorſus ſilebant, & infans ſolo opio decenter exhibito præter ſpem Parentum & meam propriam ſervabatur.

q) *Syſtem. Med. Pract. Tom. II. p. III. §. 16.*

r) *Sect. V. in fine.*

 §. VI.

§. VI.

*Convulſionibus, in quibus tamen ſubin de nocet.*

Venio ad ataxiam ſpirituum, quæ in Convulſionibus & Epilepſia Infantum triſti adeo ſæpe & lugubri ſpectaculo ſeſe prodit. Ad illam unice reſpiciens & alias conſiderationes oſcitanter negligens Practicus, non poteſt non ſtatim in eam devenire ſententiam, ipſa Auctoritate Sydenhamiana, quæ certe magni momenti eſt, firmari ſibi viſus, in eius medela ſtatim ad Opium confugiendum fore. Verum qui ſciverit, debiliſſimis corpuſculis hoc generoſum pharmacum haud convenire, ac præterea id ſolum minus circumſpecte datum ipſis convulſiones inducere, eoque facilius, quo teneriores & ætate minores fuerint, omnino tardior obſervabitur in ejusdem exhibitione. Notum eſt GALENUM & Mithridatium & Theriacam, tanquam fortiora remedia, ut in aliis morbis, ita & in Epilepſia Puerorum haud admiſiſſe, quamvis poſt ejus ætatem extiterint, qui lingendum mithridatium, maxime illis, qui 3. vel 4. annos tranſcenderant præberi voluerint, atque tempora & locum juxta narium foramina antidoto mithridatica illini juſſerint, ut ex ipſorum placitis notavit PISO. [s]) Verum occaſione Hiſtoriæ, quam de morte infantis a data requie Nicolai poſt ſomnum 24. horarum epileptici habet BARTHOLINUS, [t]) non ſine ingenti periculo Opium illi Ætati, quæ Epilepſiæ obnoxia eſt, exhiberi affirmat. Haud facile quoque, aut parciſſime danda Opiata infantibus eſſe, ait BOHNIUS, [u]) utpote quos propter cerebrum mollius, & ſyſtema ſpirituum adhuc tenerius facile in convulſiones & epilepſiam lethalem conjiciant, aut hebetioris ingenii atque memoriæ reddant. Frequentiora eheu! ſunt ejusmodi exempla, quam crederet ad ea non attentus. Filiolo 4. hebdomadum vagitu parentibus moleſto, unam & alteram doſin mithridatii mater dederat, ſine ſomno ſubſequente. Dabatur ſuaſu Amicæ, theriacæ quantum cuſpis cultelli capiebat. Inde ſopor profundiſſimus cum motubus convulſivis & mors. [x]) Memini ego,

s) *de cognoſcendis & curandis Morbis lib. I. c. 19. p. 132.*

t) *Act. Haffn. Vol. II. obſ. 20.*

u) *de Officio Medici p. 363.*

x) *Ephem. Nat. Cur. Cent. I. obſ. 54.*

ego, laudani puri granum dimidium Matri odontalgia laboranti in pulvere deſtinatum per errorem datum fuiſſe Infanti, 5. vel 6. menſium, qui brevi diriſſimis convulſionibus affectus eſt. Neque tamen ſaltem hæc doſis, quæ ætatis reſpectu grandior erat, miſerabile hoc malum excluſit, ſed & quæ ſine dubio longe inferior exſtitit, ſæpe idem perpetravit.

Valde notabilis eſt, hucque maximopere facit Obſervatio RIDLINI. [y]) Dabatur diu puellulæ Miſtura cum pauxillo Opii, ſine qua nunquam dormiebat ſed uſum continuatum ſequebantur convulſiones, quæ vero primo aliis cauſis adſcribebantur. Sed brevi apparebat, eas eſſe ab Opio, nam cum ad tempus ſepoſita Mixtura iterum daretur, rediere convulſiones, unde Opium ſuſpectum reddi incipiebat. Denuo itaque ejus adhibitio per aliquot dies neglecta, & per omnes hos dies libera manebat puella. Cum autem iterum ob vigilias pertinaces in uſum traheretur, denuo ingruebant convulſiones, quare Opium prorſus valere jubebatur. Vt vero cum aliis RIDLINVS ab Opio ipſo, ita ex crebro uſu illo longe mitioris Syrupi diacodii, in infante lethalem Epilepſiam animadvertit HOFFMANNVS. [z]) Ea propter circumſpectus dum *diſſertatione de Morbis Infantum* de convulſionibus agit, caute mercandum in earum Curatione cum opiatis, theriaca cœleſti & maſſa Pil. de Cynogloſſa ait, & ab iis remediis ſedandis vehementiſſimis ſolidorum motubus deſtinatis, ſæpe ſe infauſtum vidiſſe effectum teſtatur. [a]) Gravibus igitur rationibus fultus BOERHAAVIVS [b]) in ſummis convulſionibus non niſi leniſſima ſedativa locum habere dicit, ut Syr. papaveris, quem tamen aqua dilui & per vices exhibendum cupit. At non ſaltem, quod ſua natura convulſiones invitare queant, nondum præſentes, ſed & quod cauſis veris convulſionum expugnandis ſint imparia, Opiata, minime exhibenda ſunt puſionibus convulſis, utpote fiduciam in ſe locatam cito fallentia, licet primo intuitu aliquid boni ediddiſſe videantur. Cedro digna

y) *Lin. med. Ao. IV. Menſe Jun. obſ.* 22.

z) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p.* 28.

a) *Med. Syſt. Suppl. Cap. VII. in fine.*

b) *in Comment. ad aph.* 135.

 ſunt,

c) *Hiſt. morb. Vrat. 1699. p. 53.*

d) *Act. Haffnienſ. Vol. II. obſ. 20.*

ſunt, quæ olim ſcripſit noſter de HELWICH. c) *Opiata utplurimum Parentum & Medici ſpem inflant, at mox deſtituunt, ſi enim Epilepſia ſontico alicui morbo ſupervenit, ſicut cum omni morborum infantilium Genere facile complicatur, illa tolli vix poterit, niſi per prudentem primigenii morbi therapiam.* Hic ſi turpiter negligatur, & anodyna nihilominus cœco conſilio propinentur, non mirum eſt, illud evenire, quod poſt laudanum opiatum convulſis Infantibus datum obſervavit BARTHOLINUS, d) coma inſuperabile, in quod ordinarie ante mortem præcipitantur, neque me latent triſtia hujus veritatis exempla.

e) *de Morb. Conv. c. 4.*

f) *Operum p. 114.*

g) *diſſ. de morb. Inf. p. 15.*

h) *Hiſt. morb. Vr. 1699. p. 54. & Act. Erud. Lipſ. 1701. Nov. p. 523.*

Morbos vero principes, & cauſas omnes Convulſionum Infantilium ſi inveſtigemus, nulli earum niſi forte inanitionibus, non aliter quam Opio exhibito coercendis, terrori nutricis, & dolori a dentitione, ac torminibus hoc pharmacum convenire, liquido debet conſtare. Quid enim amabo faceret ad retentum meconium, atque ad depreſſionem calvariæ, a qua in neonatis ſæpius, quam putatur convulſiones naſcuntur, niſi depreſſus locus ope emplaſtri ex pice anſam habente mature elevetur, ſubito lethales. Quid ad menſtrua Nutricis teſte WILLISIO, e) BAGLIVO, f) HOFFMANNO, g) HELWIGIO, h) meque ipſo diros ſubinde motus epilepticos, quamvis difficulter explicabiles, moventia. Neque certe Opio indigemus ad ſordes cutaneas retropulſas, iterum ad ambitum Corporis invitandas, natasque inde convulſiones perſanandas, cum licet id diaphoreſin moveat, multo tutiora & magis ſpecifica præſto ſint, quorſum ſulphur, decocta ex radicibus & lignis cum regimine, aliquando ſpiritus urinoſi volatiles, & topica attrahentia, rubefacientia, epiſpaſtica, veſicatoria referri debent. Vermes etiam haud necat Opium, motuum anomalorum interdum fabros. Nil quoque, imminentibus Variolis, refrigerantia & antiphlogiſtica poſcentibus, calidum hoc remedium prodeſt.

Atqui

Atque qui veras indicationes omnes cognitas tenet, quæ enaſcuntur, quando a lacte corrupto caſeus acidus, fæcibus tum viridiſſimis & acidum nidorem ſpirantibus, malum excludit, is intelligit, non ſaltem quam inane, ſed & quam noxium eo tempore exhibitum evadere debeat anodynum, niſi forte agendis omnibus actis, & ſub uſu ejus continuatis, torminum ſumma atrocitas id extorqueat. Vidi vero lætus, non raro, quantum boni hic præſtent abſorbentia HARRISIO laudata [i]) catharticisque miſta, ac loco cryſtallorum tartari, quos ille amat, Manna & Rheum, ſapoque Venetus a BOERHAAVIO potiſſimum apparatui remediorum pro Infantibus inſertus. Memini his, interpoſitaque emulſione ex amygdalarum oleo cum vitello ovorum ſubacto, & clyſmatibus ex oleo olivarum me ſanaſſe tenerrimo corpuſculo recens ablactatum filiolum, intra aliquot dies plus, quam quadraginta vicibus diriſſimis convulſionibus correptum. Alio tempore infans octo hebdomadum, tumidum abdomen ex liberaliore lactis & pultis uſu exhibens, vehementibus convulſionibus adficiebatur eo tempore, quo ſoror & frater Variolis laborabant. Putabam illas magis deberi ſordibus in canali alimentorum ſtabulantibus, quam imminentibus variolis. Conſului clyſmata, balnea, abſorbentia, emulſionem oleoſam cum vitellis ovorum & manna. Placebat alii Medico advocato neſcio cur, ſimplex oleum cum ſyrupo papaveris, cumque abdomen jam detumuiſſet, & molle eſſet, facile annuebam. Sic pededentim Convulſiones rariores & mitiores reddebantur, varioliſque ſimul raris & optimæ notæ ſupervenientibus, Infans ex toto ſanitatem recuperabat. Recordor cum voluptate, ſub ipſo convulſionum Paroxyſmo, ſummo impetu ſine intermiſſione per horas durantium, injecto clyſmate ex juſculo carnis, Vitello ovi & ſapone, alvo multa caſeoſa & viſcida excludente, me ſervaſſe puerulum ob ſtertorem junctum omnibus adſtantibus jam pro ſemimortuo habitum. Ab his & aliis puſionibus, quas per Dei gratiam ſanavi, didici Veritatem eorum,

quæ

i) *p. 95. 96. 97. 98.*

quæ ſcripſit BAGLIVVS, [k]) *omnes fere convulſiones Infantum a ſtomacho fiunt, unde illis ſtatim morbum ſolvunt lenia purgantia præſertim Infuſum Rhei.* Neque minus expertus ſum, bene fundata eſſe elogia, quæ Cl. PECHLINVS [l]) in convulſionibus Infantum purgantibus tribuit, atque appoſite ſcripſiſſe THOMSONVM, [m]) *Alvo laxata mox reſtitui in meliorem ſtatum Infantes epilepticos.* Confirmaſſe præterea hæc monita Illuſtrem BOERHAAVIVM [n]) gaviſus ſum, quando Inſultus epilepticos, plerumque ab irritante acrimonia acida lactis coagulati originem ducentes, ſolis ant-acidis fixis, purgantibus permiſtis, clyſmatibus ſimilibus, carminantibus blandis, ac oleoſis internis ac externis curari affirmat, ſi medelam capiant. Non dememiniſſe hic poſſum eorum, quæ *Miſcell. Nat. Cur.* *) inſerta legi, a Cl. ANHORN ab HARTWIS. De convulſionibus Infantum agens, *Nil continent*, inquit, *tria Regna Naturæ in compeſcendis motubus epilepticis Infantum commendatum, quod data occaſione non fuerit prudenter tentatum. Non novimus Virum artis longa praxi peritum, quem non ſubinde pro conſilio adhibuimus, multo tamen uſu edocti ſumus, enormonticos hos motus nunquam ac criſi alvina ſolutos conticuiſſe. Audacter ergo aurum fulminans cum pulvere jalappæ datum eſt*, (cur vero non potius leniora & ſecuriora?) *clyſmata injecta & Venter oleoſis inunctus. Alvo hic fluida facta ſordesque varie coloratas & foetore moleſtas excludente convulſiones conticuerunt. Si nervi ſenſibiliores redditi motum diutius retinuerint, MP. de cynogloſſa ad gr. iij in ▽æ ℥ij alvo ſatis ſoluta cochleatim data. nulla volatilia ſtimulantia exhibita. Si alvus ſponte reſponderet, ſepoſito auro fulminante ſaltem clyſmate eluebatur. Præſervationis gratia abſorbentia data.* Novi quantum ant-acidis volatilibus ſpiritui CC., liqv. CC. ſuccin., ſpiritui ſalis ammon. aniſ. tribuerint SYLVIVS, [o]) ETTMÜLLERVS, [p]) LENTILIVS, [q]) HELWIGIVS, [r]) & alii; ad mentem LENTILII adeo in ipſo Paroxyſmo

k) *Operum* p. 114.

l) *Obſervat.* p. 282.

m) *diſſ. de Opio* p. 115.

n) *aph.* 1356. 1357. 1358.

*) *dec. III. Ao. III. obſ.* 38. p. 163.

o) *de morbis infantum paſſim.*

p) *in Valetudinario infantili de Epilepſia c. III.* §. 15.

q) *Iatrocm.* p. 216. & 616.

r) *Hiſt. morb. Vratisl. anno* 1702. p. 192.

roxyſmo exhibendis. Placuit præ aliis hujus commatis remediis PITCARNIO [s]) ſal ſuccini volatile genuinum, quem miror aſſerere, Infantum Epilepſias, quæ omnes a repletione proveniant, eodem plerumque ſanari. Prorſus contrarium eloquitur THOMSON: [t]) *In Pueris & Infantibus*, inquiens, *quorum affectus ob nimium infarctum & indigeſtionem repletionem cauſam eſſe convulſionum monſtrant, accedente dentitionis dolore aut prava lactis indole medicamenta volatilia, ut ſal volatile ſuccini, & oleoſum, nil boni præſtare, ſed omnia deteriora fieri expertus ſum. Iidem tamen pauco detracto ſanguine, vel præcipue alvo quovis modo laxata, in meliorem ſtatum confeſtim reſtituti ſunt.* Ego non prorſus a remediis volatilibus in medendo infantilibus ægritudinibus abſtinui, uſumque eorum ſi minutulis doſibus dentur, & febrilis calor abſit, evacuantibusque ſi iis opus, locus relinquatur, non omnino diſſuadeo. Aliter vero, maxime largius ingeſta, ut HARRIS loquitur, [u]) ſcintillarum inſtar in omnes corporis partes extemplo proſiliunt, & ex parvis initiis magnum incendium febrile ſæpiſſime faciunt. Pejora vero ſunt omnia ex Opio parata, in puſionum convulſionibus, a ſaburra acida & viſcida, ac certiſſime nocent, cum illam non corrigant, atque quod maximum eſt, eam alvum ſiſtendo in inteſtinis diutius morari faciant, adeoque omnia conſectaria morbifera juvent, quæ ab eadem non correcta & non excluſa proficiſcuntur.

s) *Elem. med. Lib. II. c. 5.*

t) *diſſ. de Opio pag. 115.*

u) *p. 95.*

§. VII.

Superſunt itaque ſolæ Convulſiones ab inanitione, a dolore dentitionis, & Animi affectu, quæ ab Opio ipſam cauſam oppugnante, ſi hæc aliis auſcultare neget, aliquod levamen ſibi promittere poſſe videntur. *& ſubinde prodeſt*

Meminit SYDENHAMVS [x]) Epilepſiæ Puerorum, quæ vel primo menſe aggreditur, a frequentibus nimis alvi dejectionibus, atque in hoc caſu diaſcordium ad quantitatem grani piperis, in aqua aut lacte materno ſolutum, & exhibitum,

x) *p. 777.*

tum, præſtantiſſimum eſſe remedium affirmat. Atque certe extra dubium eſt, ſi rebus ita ſtantibus abſorbentia nil juverint, atque inſufficientia deprehendantur, nullum aliud remedium ſupereſſe, quam anodyni punctulum tenellulæ ætati reſpondens.

Ad Convulſiones a dentitione, adeo valere VSem, Gingivarum intumeſcentiæ, & dolori medelam allaturam, cenſet SYDENHAMVS,[y] ut convictus quærat, *Quo pacto puerorum dentientium convulſionibus ſine VSe opem feremus? quæ ſola in dicto affectu omnibus ſpecificis eſt anteferenda, quorum nonnulla calore ſuo nocent, & pro morbo militant, ægrumque ad plures deducunt.* Multum quoque HARRIS[z]) ſanguinis detractioni in intervallis convulſionum favet, ſive ea fiat per ſectionem venæ, ſive per hirudines, aut retro aures, aut brachio applicatas. Atque inter dentiendum calorem oris & gingivarum fere exurentem, vix minimum caloris adventitii gradum ferre, ſine moleſtia, & dolore, parvulos dicit.[a]) Cum itaque in dentientibus ſine dubio adſit nimius impetus ſanguinis ad Gingivas, & ad totum ſæpe caput, atque illæ manifeſta inflammatione laborent; cum calida remedia omnia noceant, & Experientia teſte refrigerantia proficua obſerventur, non videtur, dentientibus convenire humores ad caput congerens & ad nullam inflammationem quadrans calidum Opium. Porro quoque, cum dentitioni, & convulſis dentientibus Ægris VS. judicetur convenientiſſimum remedium, VSis effectubus contrarians Opium penitus a curatione debebit abeſſe. Verum enim vero penſitandum hic eſt accuratius, prorumpere geſtientem dentem tendendo Gingivas, dolorem excludere, inflammationemque gingivarum & febrem inflammatoriam cum convulſionibus eſſe doloris conſectaria. Quodſi igitur dolor mature oppugnetur, congrua doſi Opii, antequam inflammationem & febrem creaverit, id pharmacum, quod jam valde inflammatis Gingivis & febri jam accenſæ

y) p. 248.
z) p. 95.
a) p. 88. 89.

cerſæ minime conveniret, aut anceps eſſet, adhuc oportunum & par præcavendis doloris ſequelis videtur. Præterea ſi VS., vel (dum ea apud nos vix locum ob recepta præjudicia invenit, aut a tenerrima ætate contraindicari videtur,) hirudinum applicatio, vel loco detractionis ſanguinis purgans antiphlogiſtum præmittatur, atque revellentia, emollientia & refrigerantia jugiter uſurpentur, etiam præſente æſtu & febre, aut hac mitigata, ad convulſiones & arcendas & ſanandas circumſpecte dari poſſe videtur Opium. Saltem crediderim hoc non minus locum habere caloris ab eodem metuendi reſpectu, ac ſpiritus CC., cujus minutam doſin Convulſiones a dentitione oriundas feliciter curare, BOERHAAVIUS [b]) affirmat; quanquam id certa reſtrictione ſaltem ita ſe habeat; ut ex illis, quæ antecedente §o de volatilibus diſputavi, conſtare poteſt. Ne ſolis ratiociniis in hoc argumento tantum verſari videar, præ aliis caſibus, ubi minutiſſimas doſes Opii cum fructu me porrexiſſe opinor, recenſebo illum, qui propriam filiam meam natu majorem nunc annos 19. habentem concernit. Hæc 23. hebdomades nata cum per duos dies & noctes inquietior ſolito fuiſſet, ſubito convulſionibus corripitur, ſat gravibus. Poterant hæ originem trahere ab acida acrimonia, ſed quia ejus ortum præcavere, & impugnare molitus eram per plures hebdomadas, abſorbente pulvillo, & Elixirio aperit. Clauderi (quod apud Infantes lac ſugentes valde amo) ∇æ Cinam. & Syr. alicujus additione palato acceptius reddito, nilque viridis in fœcibus juſtæ conſiſtentiæ obſervabatur, dentitioni, quam ſigna ordinaria monſtrabant, omnia mala tribuebam. Solvebatur ſtatim alvus clyſmate emolliente, dabaturque Emulſio leniens nitrata, cum abſorbentibus, & ſyr. papav. Sed Vigiliæ, ejulatus, ac in ſomno ſemper interrupto pavores, ſine tamen notabili æſtu febrili, metum mihi mœſtiſſimo Parenti incutiebant, ne convulſiones accederent, & graviores eſſent, quam quas ferret junceum pauperculæ filiolæ cor-

b) *aph. 1378.*

corpuſculum, cujus infortunium tum flebat ipſe febre acutiſſima confectus morti proximus frater, 7. annorum Puer. Notum mihi erat, Cel. SYDENHAMVM in eo rerum ſtatu ſuadere laud. liquidum ad gt. j. vel plures cum aqua Rut., bryoniæ comp., & epileptica Langii. [c]) Miſſo hoc antepileptico apparatu inani, in his rerum anguſtiis porrigo gt. ij laud. liquidi. En brevi dormiturit, & dormit per 7. horas, atque deinde evigilans ita prorſus bene ſeſe gerit, ac ſi ſaniſſima nil morboſi perpeſſa fuiſſet. Abſolvitur integer dies, circa veſperam iterum ejulare, orique manus admovere incipit, do adhuc unam guttulam, noctem tranſit dormiendo, & altero mane optime ſeſe habet, dente poſtea ſine ullo incommodo prodeunte. Fateor, me ab eo tempore ſæpiuscule exhibuiſſe cum fiducia laudanum pueris dentientibus. Nolo autem, quia circumſpectiſſimus hoc feci, & plures, quam duas aut tres minutulas doſes ſufficiente temporis intervallo relicto, nunquam exhibui, ut Lectorum meorum aliqui juſto forte audaciores hac curatione reddantur, cui ſalutem & vitam amatiſſimæ filiæ meæ debeo. Plures vel largiores doſes certo ſanguinem nimis congerunt ad caput, & dum jam congeſtio adeſt, convulſiones ſuſtentans, hæ per opium poſſunt graviores reddi, quod ipſum ſolum convulſiones facit, aut alia gravia mala excludi. Quo omnes intelligant, quam facile peccari queat, candidus adſcribo Hiſtoriam aliam, ſuſpenſa manu dandum tenellis, & ſine graviſſima ratione non reiterandum eſſe Opium, oſtenſuram. Annum primum ſuæ ætatis propediem egreſſurus Puerulus dentiens, dies duos cum noctibus inter clamores abſumſerat, remediis adhibitis nil adjutus, metumque faciebat, ne convelleretur. Præſcribo tres pulvillos, tres decimas partes de uno grano opii puri habentes, unumque circa veſperam dari præcipio, pro reliquis duobus congruum aſſumendi tempus determinaturus. Altera die mihi domi me ob ægritudinem propriam continere coacto nil de Valetudine

c) *p. 777. 778.*

Pueruli refertur, neque ſubſequente. Quarta autem triſtis accedit nuncius poſt altum ſomnum per integram noctem non excitari poſſe, & ſemi-mortuum jacere in cunis parvulum Ægrum enarrans. Statim interrogo, cur heri nemo me de ejus ſtatu certiorem reddiderit, & reſponſum accipio, cum primus pulvillus adeo bene ceſſiſſet, Parentes conſultum habuiſſe, ut alter altera, tertius tertia veſpera præberetur. Plenus itaque ſuſpicione Opio hanc cataſtrophen deberi, celeri pede tenellum inviſo, atque eheu comatoſum, & inſtar ſtipitis jacentem invenio pulſu ſaltem Vitæ ſuperſtitis notas prodente. Statim excutia plantas fricare, clyſma ſtimulans infundere, rubefaciens pedibus applicare, acetum fortiſſimum naribus admovere, eodemque calefacto totum caput foveri jubeo, ſicque per divinam gratiam ſemi-animem iterum reviviſcere facio, atque ſeveram poſtea legem mihi præſcribo, de opiatis pharmacis tenellorum uſui deſtinatis non amplius adſtantium arbitrio relinquendis.

Fere oblitus fuiſſem terroris Nutricum, aut Matrum, a quo Infantes convulſione affectos Auctores memorant. In hoc caſu dum ſolum motuum vitium ſubeſt, & ad morbum avertendum, & mitigandum, apprime conducere credo Opium, tali doſi Lactanti exhibitum, ut id, quod de ea infanti communicari poteſt, hunc lædere nequeat. Neque ſine ſucceſſu fuiſſe, quæ ſub hac cautione agere conſuevi, bene recordor.

§. VIII.

Suo jure ad ataxiam ſpirituum apud Infantes obſervabilem referri etiam debet Tuſſis ferina, & convulſiva, immani vehementia non ſolum pectus & diaphragma, ac vicinum Ventriculum, ſed & totum corpus concutiens, & in omnes ejus functiones damna redundare faciens. Taceo autem hic tuſſes Infantum vere catarrhales, verminoſas, morbilloſas, dentitioni junctas, a repreſſis cutis impuritatibus originem habentes. Loquor autem maxime clamoſam *an in Tuſſi*

 illam,

illam, quæ impetu efferato adoritur, ad ſuffocationis metum usque aſſurgens, neque niſi contentis Ventriculo cum multa & viſcida pituita rejectis ad tempus ſilet, perque paroxyſmos iterum revertitur, ſimili Vomitu iterum finienda. Tuſſis hæc inter omnes alias ſpecies, maxime tenellæ Ætati familiaris eſt, ejusque cauſa, licet alias concurrentes haud excluſas velim, præcipue latet in Ventriculo, atque in ejusdem vitioſa digeſtione fundatur, quare LENTILIVS [d]) eam *ſtomachico-convulſivam* vocat. Id diu agnoverunt clariſſimi Practici, tuſſem Puerorum ſæpe ex ventriculo ſuam habere Originem, acrimoniamque irritantem ejus orificium ſuperius, diaphragma, muſculosque thoracis ſimul afficere, docuit ETTMÜLLERVS. [e]) Tuſſin Infantum fere ſemper eſſe ſolere a ſtomacho cruditatibus ſcatente aſſeruit BAGLIVVS. [f]) Pueros frequentiſſime a ſtomacho affecto tuſſire affirmavit de GORTER, [g]) qui cauſas mechanicas, per quas excluditur, ſimul egregie explicat. Quodſi itaque verum fuerit, id quod ipſi ſenſus docent, fomitem morbi latere in Ventriculo, optimum ſine dubio erit breviore via ſarcinam acrem & viſcidam excutere & vomitum movere, quod ipſum Clariſſimi Practici ETTMÜLLERVS, [h]) LENTILIVS, [i]) HOFFMANNVS, [k]) de GORTER, [l]) RIDLEY, [m]) & recentiores ſcriptores BASSEVILLE [n]) & FORBES [o]) teſtantur, qui irritis omnibus aliis, poſt emeticum ſi opus, repetitum, rejecta copioſa pituita, illico tuſſin conquieviſſe recenſent. Vomitoria ſi locum non habeant, clyſmata & alvum laxantia crebrius in uſum vocanda, ex ſenna, manna & rheo, hisque incidentia & ſtomachica interponenda & ſubjungenda ſunt, quorſum ſalia media omnia, & amaricantia, leniaque aromatica, merito a GORTERO [p]) laudata, ipſeque chinæ & caſcarillæ cortex ſpectant. Tenui hoc apparatu, ego quidem centies vici rebelles puerorum tuſſes ex ſtomacho proficiſcentes, ac vocatus in conſilium, quando ſexcenta pectoralia incaſſum adhibita fuerant, eo ſolo

d) *Eteodr. p. 1043.*
e) *Valet. Inf. p. 23. 24.*
f) *Operum p. 114.*
g) *Med. dogm. p. 176. 177. 195.*
h) *Tom. II. p. 1096. & in Valetudinario infant. p. 43.*
i) *Jatromn. p. 98.*
k) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 390 & 414.*
l) *Med. dogm. p. 176. 177. 195.*
m) *Obſervat. 20.*
n) *Ergo Tuſſi Puerorum clangoſæ emeſis Pariſ. 1752.*
o) *diſſ. de Tuſſi convulſiva in Coll. Halleriana.*
p) *Med. dogm. p. 194. 195.*

ſolo ſenſim attuli auxilium, ſæpeque ſola Manna mane, Elixirio aperitivo Claud. per diem, veſperi pulveribus ſalinis cum grato elæoſacharo exhibitis, profui. Poſt emeticum Tincturam ſacram, rheum, Jalappam cum ☿io dulci laudat FORBES, quæ in robuſtioribus Pueris omnino locum habent. Dum vero evacuantia & ſtomachum firmantia unice juvant, ſtatim conſpicitur, quam male deliberato conſilio ejusmodi tuſſibus opponatur Opium, alvum obſtipans ventriculique robur, quod jam adeo languet, prorſus deſtruens, & quam juſte cum omnibus pectoralibus lambitivis, bechicis, dulcibus, decoctis mollibus, mucilaginoſis, oleoſis, etiam anodyna abeſſe velit de GORTER. [q]) Certum eſt, ſi ultima hæc extorquere videatur motuum ſumma ferocia, eam equidem ſuſpendi ad breve tempus, ſed cauſam, quæ ipſis motubus occaſionem præbet, tanto magis confirmari, idque ego ſæpius vidi. Rectiſſime pronunciavit FORBES, Opiata equidem ſupprimere tuſſin, ſed efficere ut paroxyſmi deinde ingraveſcant.

q) *p. 176. 177. 194. 195.*

Eſt & alia tuſſis convulſivæ apud Infantes ſpecies, quæ ſtimulum ſuum non cruditatibus Ventriculi immiſtum habet, neque manifeſta viſcidi muci rejectione ſtipatur, ſed tenuiſſima acrimonia bronchiis impacta nervoſos villos irritat, quam SYDENHAMVS [r]) tanquam fervidiores halitus e maſſa ſanguinis in pulmones transmiſſos, ſibi concipit. Tuſſis hæc convulſiva ſicca vocari debet, cujus quidem Opium, omnibus motibus a materia irritante ſubtiliſſimæ indolis conveniens, indicatum remedium videri poterat. Ne verbulo tamen ejus meminit SYDENHAMVS, ſed VSe, & lenioribus catharticis omnem curationem abſolvi ſcribit. Atque excellentiſſimus Practicus WERLHOFIVS anodyna vix juvare notat, VSem, cantharides, & laxantia blanda variis ſpecificis repudiatis commendans. [s]) Ego modo morbi pertinacioris medelam Parentes medicaminum & Medicorum variatione non interturbarent, diæta blanda, ſola Manna

r) *Operum p. 394.*

s) *Comm. litter. Norimb. Ao. 1735. hebd. 22.*

ſæpius

ſæpius data, lacte cum infuſo herbarum & præcipue fl. papav. rhoead. aut ſambuci exhibito, ſique vitium Ventriculi concurreret, ſtomachicorum non acrium exhibitione obtinui, rariusque indigui Opio, nec dedi infantibus, niſi quoties ſumma motuum violentia id dictis interpolari vellet.

# CAPVT VI.

## *Morbi Senum.*

### §. I.

*Opium Senibus modo permittitur a Practicis, modo diſſuadetur*

A Pueris transeo ad Senes, ut languore animi, ita & corporis infirmitate tandem Pueros referentes, qui eapropter ut tales a Practicis circumſpectis in morborum curatione conſiderantur. Hi enim, illam vivere incipientis, & ad vitæ terminum vergentis corporis humani, virium reſpectu, ſimilitudinem contuiti, æque damnoſum Opium Senibus cenſent, quam Infantibus. Veteres, qui in theriaca Pueris exhibenda hæſitabant, audaciores erant apud Senes. Scilicet AETIVS [a]) pueris & in flore ætatis conſtitutis eam non convenire profeſſus, contra iis, qui jam urgente & adfecta Ætate ſunt, in aqua, vel potius in Vino, ſenum lacte, exhibendam conſulit. Recentiori ætate retulit CLEYERVS [b]) ſe in Regno Japan vidiſſe innumeros Senes, qui ſuam Senectutem ſoli Vſui Opii adſcribebant, ad drachmam quotidie id aſſumentes, cui doſi incipiendo a grano uno, ſenſim adſueverant. Verum hæc talia non impediverunt multos Clariſſimos Viros, quo minus Senes & Pueros ſibi invicem junxerint ſat ſæpe, quando de Opio ſive his, ſive illis noxio, locuti ſunt. Ita certe quem antecedenti capite laudavi WALDSCHMIDIVS. [c]) *Infantibus*, inquit, *in quibus ſpirituum greſſus infirmi adhuc ſunt, & inſtabiles, tum etiam ſenibus,*

a) *Tetr. IV. Serm. I. c. 96. circa finem.*

b) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao. X. obſ. 55.*

c) *in monitis circa Opium p. 19.*

*ſenibus, in quibus valde debiles, nocent Opiata.* Neque diffiteri poteſt WEDELIVS, [d]) Senibus eadem non adeo, ac aliis ætatibus convenire, quamvis in ſequentibus limitari hoc ſuum aſſertum iterum laboret. Atque poſtquam ab uſu Opii pro Infantibus dehortatus eſt BERGERVS, [e]) *Patet etiam*, inquit, *adhibitionem ejus rem eſſe periculi plenam in Senibus, & omnibus, qui debili ſunt cerebro, & viribus infirmis*, alibique *cum opiatis ſi unquam, in Senum ſane morbis caute mercandum eſſe aſſeverat.* [f]) HOFFMANNVS [g]) quoque, cum valde inimica & cerebri & inteſtinorum membranis ſint anodyna, & opiata, minuendo harum partium vim & robur, infantes maxime & Senes, ab eorum uſu cavere debere præcipit, quia utrorumque morbi ex alvo adſtricta, & ex cerebri & nervorum imbecillitate prognaſcuntur. Tandem GEOFFROY [h]) ſumma cum cautela ſenibus opium vult exhiberi.

d) *Opiol. p. 149.*

e) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente p. 26.*

f) *diſſ. de Morbis Senum §. 20.*

g) *Med. Syſt. Tom. II. p. 278.*

h) *Mat. med. Tom. II. p. 710.*

Non interea negari poteſt, dari & claros Viros, qui Senibus aſſerere uſum Opii non dubitant. Queritur LVDOVICI [i]) Magno damno exhauſtorum, nec ſolis ſemper ſpirituoſis odoriferis analepticis ſopiendorum Senum, Opium hactenus ſuſpectum habitum, & longe parcius adhibitum fuiſſe, cui quamvis non ſine cautione addita fere etiam adſtipulatur ALSTON. [k]) Taxat quoque eos HECQVETVS [l]) qui ex præjudicio, quaſi Opium frigidum eſſet, id Senibus frigidis, & calore naturali orbis, haud concedendum putant. Atque inter recentiores Cl. FISCHERVS Archiater olim Ruſſiarum Imperatricis, *in Tractatu de Senio*, quem cum præfatione Ill. BVCHNERVS edidit, in curatione morborum illud comitantium, paſſim Opio multum tribuit, ut Lecturis clarum evadere poteſt, atque ex infra dicendis apparebit. Verum enim vero, componi mihi poſſe videntur hæ ſibi e diametro diſſimiles, Opium ſenibus ſuadentium & diſſuadentium ſententiæ, ſi diſcrimen faciamus inter ſenectutis periodos, & inter Senes ipſos, corporum &

i) *de Pharm. mod. Sec. appl. p. 367.*

k) *Act. Edinb. Tom. V. Part. I. No. 12. in fine.*

l) *p. 322.*

 virium

virium varietate, multum a ſe invicem diſcrepantes. Scilicet pro annorum numero, ad quem hodie pervenire ſolet vita humana, ſenium erit vel incipiens, vel confirmatum, vel decrepitum. Incipiens ponere liceat ab anno 55-60, confirmatum a 60-70, decrepitum a 70. ad 80. & ultra. Horum graduum reſpectu, etiam utplurimum different vires, ita tamen, ut aliquando decrepitus Senex vincat confirmatum, & confirmatus incipientem, qui jam Juvenis & Vir prava diæta, Morbis, ærumnis, mentis & corporis labore, fracta membra ſibi adſcivit. Tumque viribus, non annis menſurari debebit ætas, remediorumque cum opio omnium præſcriptio ad hanc normam adaptari.

§. II.

*facile diſponit ad Apoplexiam, non prodeſt ſenum hæmorrhagiæ narium, & vigiliis.*

Hæc autem ut quoties opus eſt, accuratius ſuccedere queat, notas poſſidere tenebitur Medicus generales cauſas, ex quibus omnes ſeniles ægritudines, per corporis mutationes ipſo ſenio inductas, prognaſcuntur. Sed hæ reducuntur ad fibrarum & inde coalitorum canaliculorum rigiditatem, ſecretiones omnes, & excretiones, & inter eas transſpirationem maxime impedientem, atque ad impuritatem, viſciditatem & acrimoniam liquidorum. Inde vero optime deducuntur omnes Morbi Senibus familiares, quorum catalogum jam exhibuit HIPPOCRATES [m]) ſpirandi difficultates, catarrhi tuſſiculoſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexiæ, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi oculorum & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucedines, auditus gravitates. Sunt inter eos morbos certe, qui actu præſentes, ſi nil obſtaret, levamen ab opio ſibi promittere poterant, ſed ſunt inter eos quoque, qui diſpoſitione ſaltem præſente nondum eveniſſent, reapſe autem Opio dato poſſunt invitari, interque omnes, de longe graviſſimo, & maxime truculento, ferali apoplexia, hoc ipſum notari debet. Quando igitur Opium, per Sect. I. Experient. VIII. ſua vi ſomnum invitat,

m) *Sect. III. aph. 31.*

inter-

interdum in ſoporem gravem, eundemque etiam apoplecticum deſinentem, etiamſi proprie nulla ad eum adſit diſpoſitio, quid facere aptum erit in diſpoſitis per ætatem, eidemque malo ita jam ſubjectis, ut excludi poſſit, ſine omnibus adminiculis? Non diſſimulare hæc damna poteſt Senes haud omnino ab Opio arcere volens WEDELIUS.[n]) Cauſam enim quod interdum perperam & non tuto iis exhibeantur Opiata, partim eſſe dicit Siccitatem & defectum humorum, partim metum ne in apoplexiam diſpoſitio præſens augeatur. Neque magni momenti habeo cautelam, quam addit, de ſpirituoſis cephalicis, quæ opiatis addi debent, ſecuriorem quippe hoc connubio inito uſum opii vix reddi autumo, cum ſpirituoſa cephalica toties ſine Opio Apoplexiam excludant, taliaque volatilia & cephalica omnia ut vocant, in morbis ſoporiferis eapropter ingerere, nefas eſſe declaraverit PITCARNIUS,[o]) quamvis multitudo Opinionum obſtet. Æquum etiam ab Opio ſubeſſe periculum largientur rerum gnari in Senibus, ſive hi viribus exuti langueant, & capitis nervorumque omnium debilitate laborent, ſive ſani, robuſti, & ſanguine divites obſerventur. Namque in prioribus, ut verba BERGERI[p]) mea faciam: Vires corporis exhauſtæ etiam leviori preſſione cerebri facile ita penitus infringi poſſunt, ut muſculi cordis & reſpirationi inſervientes, influxu cerebri deſtituti, magis magisque in ſuo motu deficiant, ac demum in exitialem vitæ tranſeant quietem. Poſteriores vero dicta ſibi habeant ea, quæ conſignavit Ill. BUCHNERUS:[q]) *Quia opium congeſtiones ſanguinis ad caput excitat, & auget, cavere ſibi ab ejus uſu debent Senes plethorici.* Hoc bene intelligens, ego ſane Senibus hæmorrhagia narium laborantibus, quæ congeſtiones ad caput notat, quæque ut recte JUNCKERUS[r]) innuit, in hac ætate non bene ſuccedens vertigini & apoplexiæ portam aperit, non facile ex Conſilio Cl. FISCHERI[s]) opium præberem, cujus tamen uſui provido plus tribuit, quam VSibus, Scarificationibus

n) *Opiol. p. 149.*

o) *in diſſ. in Circulat. in Animalibus genitis & non genitis* §. 18.

p) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente* §. 12.

q) *diſſ. de Opio* §. 53.

r) *Conſp. Med. p. 36.*

s) *p. 130.*

& alvum ducentibus. E diametro quippe Opium VSi & evacuationi alvinæ contrariatur, dum ſanguinem, qui his præſidiis a capite revellitur, eo copioſius adigit; hæmorrhagiam vere juvat, aut ſi commotus, rarefactus, & calidus ſanguis per arteriolas narium exitum haud nanciſcitur, in vaſis encephalicis eum coacervat, damnaque omnia evenire facit, quæ ab oppletione eorum & preſſione cerebri nervorumque proficiſcuntur, quorſum & viſus hebetudinem, & gravitatem auditus, referre debebimus.

Hæc omnia ſi juſta judicii lance ponderentur, clariſſime conſtare faciunt, quam raro, & quam circumſpecte Opium exhiberi debeat Senibus, de Vigiliis moleſtis a lecti introitu ad auroram usque conquerentibus. Provocat SIMON PAVLI [t]) ad Practicum quendam celebrem Roſtochienſem, *Neukrantzium* præpoſterum hypnoticorum uſum in Senibus averſantem, qui feliciſſimo ſucceſſu ſpecies diambræ & diamoſchi, Electuariis ex conſerva Anthos, Meliſſæ, & ſimilibus remiſcere ſolebat, ut illis moleſtas vigilias abigeret. Hujus occaſione methodi notat WEDELIVS, [u]) Verum eſſe, vaporoſa ejusmodi calidum nativum roborantia convenire Senibus in moleſtiſſimo pervigilio, tamen uſum Opiatorum ſimilibus moderate admixtorum tutiſſimum eſſe. Pariter laudatus FISCHERVS [x]) Opium, & pharmaca Opiata modeſte uſurpata, amaris imo vero & vino mixta, huc facere aſſerit, modo circumſpecte ad cauſas Vigiliarum attendatur. Citat ſimul Cl. LOCHNERVM, Senem Medicum Norimbergenſem, qui Vigilias ſuas poſt multa alia tandem papavere vicit, & gratitudinis ergo, hanc plantam hiſtorice, philologice & medice illuſtravit, diſſertatione *Ephemeridibus Nat. Curioſorum* inſerta. Quodſi vero ut *Ephem. Nat. Curioſorum* docent, [y]) id quod & FISCHERVM non latuit, Eſſ. Ambræ plus valet contra Senum Vigilias, quam Opium, & ſimilia, cur ſecuram & nervos reficientem Ambram, non præferremus inſecuro & eos ſtupefacienti

t) *Quadrip. botan. p. 71.*

u) *Opiol. p. 149.*

x) *p. 178.*

y) *Dec. III. Ao. IX, obſ. 253.*

facienti Opio? cur remedium quod ſomno excuſſo leve & agile caput præſtat, non præferremus illi, quod *καρυβαρείαν* & temulentiam poſt ſe relinquit? Memini Illuſtrem apud nos Medicum Senem, Chriſtianum de HELWICH, Fautorem olim meum, nunquam ſine reverentia, & pio voto, ut molliter ejus Oſſa cubent, & Animæ in Æternum bene ſit, a me nominandum, ſæpius conqueſtum de vigilatis integris noctubus, nunquam vero Opio ſomnum allicere auſum eſſe, eum tamen cœna leviori, & emulſionibus ex amygdalis dulcibus, amaris, ſemine cannabis, & papaveris, cum pauculo nitri, ſæpe accerſiviſſe, ſatque placide tum quieviſſe, per horas, quando Animi ærumnæ, quas novi, ipſum non abarcebant. Inſtiti ut in aliis, ita & in his caſibus, ſæpe ejus veſtigiis, ſique moralia impedimenta haud ſubeſſent, cauſarum quæ agrypniam inducebant impugnatione, & diætæ juſto regimine ſolis emulſivis, ſomnum anhelantibus Senibus profui, ad Ambram & moſchum hoc fine progrediendi nullam mihi incumbentem neceſſitatem expertus. Innotuerunt mihi illorum haud pauci, & inter illos Vir quidam integerrimus, qui octuagenario major ſatisque adhuc bene in hac ætate valens, intolerabili pruritu per totum corpus, ubi paululum obdormiſcebat & incaleſcebat, iterum excitabatur, ac eousque interdum vexabatur, ut lectum aliquoties per noctem relinqueret, cutem ſcalperet, & refrigeratione dolores colicos & diarrhœas ſibi adſciſceret. Cum balneum ex aqua, lacte, & furfuribus, alioquin ſanus nimis tædioſum remedium haberet, propinavi ſæpe cubitum ituro emulſionem amygdalinam, vel papaveraceam cum nitro, non ſine fructu, datis ſimul verno & autumnali tempore, quæ acrimoniam humorum delinirent & mulcerent. An huic Seni profuiſſet Opium? Fere largitur HECQVETVS[z]) fibris rigidis & canalibus eapropter coarctatis, ac acri humorum indoli, id non convenire, tamen quia præſens acrimonia irritat ardore urinæ & pruritu moleſtiſſimo in cute

z) *p. 323. 324. 325. 326.*

 teſtibus,

teſtibus, atque ita exceſſum elateris in fibris cauſatur, quia porro illi Senes, qui ſtudiis vacarunt, quique occupationibus & pathematibus animi dediti fuerunt, qui ſenſuum ope intemperanter laborarunt, malis ab irritatione tanto magis ſubjecti ſunt, horum Vigilias vires omnes exhauſturas fore dicit, ſi illis denegaretur Opium. Ita quidem ratiocinatur bonus HECQVETVS, ſed non conſideravit ut decet, docente Experientia, quæ ipſum non latuit, Opium ſua natura dum diaphoreſin movet, efficere, ut tota cutis pruriat, & ut nata ab eo exanthemata pruritum ſtabilem inducant. Non ergo pruritum, inducto per Opium pruritu, curabilem futurum eſſe, facile conſtat. Neque conſideravit ſenſibilitatem nervorum & eorum debilem teneritudinem ſemet comitari Opiumque illius uſibus deſtinatum, huic mirifice nocere.

§. III.

*an Tuſſi conferat?* Juſtius poſtulare, & melius ferre Opium videtur Tuſſis, Senibus quandoque valde tædioſa, quæ alioquin toties hoc pharmaco placatur. In pectoris affectubus, quanquam non ſine multa cautione id concedat, non prorſus tamen Senibus vetat BERGER.[a] Sed multo liberaliore manu porrigit & commendat de FISCHER,[b] ad tuſſis ſpaſmodicæ curationem pertinere omnino Opiatorum providum uſum aſſerens, pilulasque de ſtyrace & de cynogloſſa, omni tuſſi, quæ Ægris rara largitur intervalla, convenire contendens, quia poſt ſomnum id, quod per quietem ſecretum eſt, facilius eliminetur. At vero Senum tuſſin eleganter explicans de GORTER,[c] eandem a pituita in corporibus ſenilibus perpetuo generata, & perſpiratione minus ſuccedente, atque epiglottidis rigiditate deducens, de Opio tacet prorſus, locoque ejus veſperi hauſtum hydromellis, vel Vini malvatici laudat. Conſiderandum cenſeo, an Tuſſis in Sene ſit habitualis, & radicata in ipſa corporis, ejusque firmarum & fluidarum partium conditione, an ſit catarrhalis,

a) *diſſ. de Morb. Senum* §. 20.
b) *Cap. II.* §. 91.
c) *Med. dogm.* p. 175. 176.

diæ-

diætæque vitiis inducta. In illa ſemper abeſſe juſſi Opium, cum habitum corporis non mutet, & ſi tuſſi conciliaret inducias, dum cauſa manet, per menſes & annos uſurpandum foret, ſicque multo cum periculo & functionum omnium damno porrigeretur. In hac, tranſitoria, ſi nimis afflixerit, aliis non cicuranda, ac ſpeciales Ægri circumſtantiæ haud contradixerint, pilulam unam vel alteram de ſtyrace exhibere mihi quidem religio haud fuit, ab uſu tamen diutius continuando ſemper fui alienus. Mirabar aliquando Ill. noſtrum de HELWICH, quem perpetua tuſſis hypochondriaca & ſenilis vexabat, ab illo nunquam directe impugnata, quia phlegmatum rejectione corpus repurgari ſtatuebat, vehemente catarrho pectoris omnem ſomnum abarcente vexatum, non tamen aſſumſiſſe paregoricum nocturnum. Memini me interrogaviſſe eundem, qui factum ſit, ut de pilulis de cynogl. & de ſtyrace, quas per diuturnam & amplam Praxin, ad libras forte Ægris præſcripſiſſet, non ſibi ſervaverit aliquas neceſſitate adeo urgente, capiendas. Sed ille ſubridens reſpondebat, an vero non cogitas, me eſſe ſeptuagenario majorem? an recordaris, me facile annoſis Ægris Opium exhibuiſſe? Repræſentabam Optimo Viro vehementes Pectoris concuſſiones, & in gr. ij pilularum de ſtyrace contentam quartam partem de grano Opii, cum quo periculum facere ſat tutum haberem. Ille tandem ab illarum grano uno, ultra quod adſcendere nolebat, aliquod levamen obtentum & mirabatur & lætabatur. Nollem ſine omni exceptione aſſerere cum Cel. YOUNG, [d]) Senibus catarrho laborantibus opium nocivum eſſe, quanquam cum eo, id aſthmati eorum, a lenta pituita excluſo nocentiſſimum ſtatuam, [e]) multoque minus Peripneumoniæ nothæ convenire credam.

d) *c. 32.*

e) *c. 33.*

## §. IV.

*an vitiis viarum urinariarum?*

Forte autem Stranguria, Iſchuria & nephritici dolores, ſummam moleſtiam ſecum ferentes, in Senum curatione a

Medicis

Medicis Opium nec amore, nec odio nimio proſequentibus, hoc remedium efficaciter poſcunt. Calculum Veſicæ, cum in Senibus immaniter ſæviat, & per lithotomiam curari nequeat, a nullo alio remedio, præterquam a Narcoticis, levamen admittere, aſſeruit WILLIS. f) Non minus Cel. FISCHERVS g) Opii uſum providum ſtranguriam & teneſmum mitigare, atque efficere contendit, ut placido ſomnifero interſtitio, vires doloribus & vigiliis fractæ reſarciantur, atque dein facilius exoneretur veſica. Neque ego denegandum credo Senibus nephriticis & calculoſis, unicum ſæpe ab Opio ſperandum levamen, quod nonnullos, qui ſe meæ tutelæ commiſerunt, inde obtinuiſſe expertus ſum. Vidi quippe adjutos eos, ut BARTHOLINVS h) ſuum Senem Selium Marſelium, cui calculoſo, & teneſmo miſere excruciato, dimidii grani pondere ſumtum laudanum inhibuit teneſmum, ut induciæ Ægro quadrante horæ elapſo concederentur, unde nec die, nec noctu, ingruente teneſmo graviſſimo, ſpe certi ſolaminis iſtud remedii genus neglectum, quod & ſabulum calculoſum feliciter pepulit. Jam dum hæc ſcribo, inter Ægros meos habeo Fœminam 77. annorum, diris veſicæ ſpaſmis afflictam, quos per multas hebdomadas nulla alia via levatos experitur, quam oleo amygd. & ſperm. Ceti ſubinde aſſumtis, & quarta grani parte de Opio, in pulvere veſpertino, quo deglutito ſibi ſemper noctem quietiorem promittit, & obtinet. Religioſe vero cavendum eſt, a largioribus & nimis repetitis doſibus. Qui inter Reſtitutores Vſus Opii eminentem locum meretur PLATERVS, i) ipſe refert, de Sene quodam nephritico, quod cum ad dolorem ſedandum Opium in clyſtere miniſtraſſet, Linguæ ſtuporem & balbutiem pro tempore ipſi induxerit. Triſtius fuit fatum illius Senis nephritici, quem HOFFMANNVS k) a MP. de Cynogloſſa ad ℈ß nimis crebro ad dolores placandos aſſumta, demortuum recenſet. Memori mente tenenda ſunt ea, quæ hujus occaſione Vir Illuſtris adnectit. *Vbi præ dolorum*

f) *Pharmaceut. Rat. ſect. VII. c. I. p. 184.*
g) *p. 231.*
h) *Cent. III. epiſt. 46.*
i) *Obſerv. lib. I. p. 136.*
k) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 390.*

*lorum atrocia, & a morbo præcedente, vel ex mœrore jam attritæ vires ſunt, in ætate præſertim ſenili, ipſa ſana ratio, quam omnibus Medicis Practicis apprecamur, dictitat, ejusmodi remedia ſumme exitialia eſſe.*

Quæ hactenus de Uſu Opii apud Senes expoſui, Mares & Fœminas concernunt. Has vero ingraveſcente ætate maxime eodem opus habere, & eo non carere poſſe exiſtimavit HECQVETVS, [l]) quia ipſis ſenſibilitas nervorum a Nativitate propria eſt, unde irritationi & ſpaſmis hyſtericis ſubjiciantur, atque multas doloroſas ſenſationes creſcentibus annis experiantur. Imo vero ſuſpicatur bonus Vir, tot incurabiles earum morbos, forte inde pendere, quod interdum incidant in manus Medicorum, qui Opium non norunt, aut hominibus ad ſenectutem deductis exhibere reformidant. Expoſui vero ego in ſuperioribus, quanta cautione Opium exhiberi debeat fœmellis, quæ ſpaſmis hyſtericis vexantur, ſine reſpectu habito ad ſenium, quare ſi hoc concurrat, duplicata cautione opus eſſe, ſponte credo, & vel me penitus tacente, apparet.

l) *p.* 326. 327. 328.

## C A P. VII.

## *Uſus Opii topicus.*

### §. I.

*Opium variis locis externi Corporis admotum.*

Poſt ſatis prolixam Tractationem, Claſſes omnes Ægritudinum complexam, quibus Opium ore aſſumtum conferre reputatur, per auctoritatem & Experientiam practicam, non ſicco pede præterire poſſum Uſum Opii topicum, in Morbis, non minus ſatis familiarem, & deprædicatum, Medicinam facientibus. Scilicet ut intus datum hoc pharmacum Magnum & Generoſum præſidium habetur miſeris

mortalibus Ægris, & haberi debet merito, ita quoque viſum eſt externa applicatione, Robur & Æs triplex, Murumque aheneum elargiri, contra diras ægritudines, ipſamque mortis aculeum. Antiquiſſimo Ævo jam externo uſu Opium fuiſſe adhibitum, conſtare poteſt ex cataplaſmate illo, magnam ſatis doſin Opii habente, cujus deſcriptionem ſuppeditat GALENUS,[a]) quam ab ASCLEPIADE accepit, ut DIOSCORIDEM & alios taceam. Atque hæc Praxis externa per omnia Secula deinde dimanavit ad Poſteros. Recentiori tempore JONES[b]) Opium externo etiam uſu, & anodynum eſſe, & alterans, ſomnumque provocare, ac dolores ſedare, edixit. Sane fere perinde eſſe, ſive intus, ſive foris adhibeatur, exiſtimavit Simon PAULI,[c]) Namque *doloribus*, inquit, *vigiliis*, *deliriis*, *fluxionibus*, *hæmorrhagiis*, *at temperate adhibitum inſigniter conducit*, *tam ſi temporibus & aliis partibus externis illinas*, *& applices*, *quam ſi per os devorandum*, *aut per clyſterem Ventri injiciendum ægris cures.* Conſentit huic aſſerto recentiſſimus adeo Scriptor Cl. ALSTON,[d]) *Si externe applicetur Opium*, inquiens, *diſcutit*, *dolorem inhibet*, *ſomnum infert*. *Imo vero fere eosdem effectus edit*, *ac interne aſſumtum.* (quamvis in ſequentibus ſibi contradicere videatur, ut alio loco videbimus.)

a) *lib. X. de Compoſ. Med. c. 3.*

b) *in myſt. Opii revelatis.*

c) *Quadrip. botan. p. 423.*

d) *Act. edinburg. Tom. V. Part. I. No. IX. Sect. III. §. 8.*

Magnum laborem, ſed qui nullius frugi futurus erat, mihi imponerem, ſi eundo per monumenta Practicorum, & per diſpenſatoria omnia, & Pharmacopoeias exſtantes, innumera conſilia conquirerem, quæ immenſam farraginem Cataplaſmatum, balſamorum, emplaſtrorum, linimentorum Opium habentium foris languenti corpori admoveri jubent. Nonnullorum tamen ejusmodi remediorum mentio omnino facienda eſt. Vix locus aliquis habetur in univerſa corporis humani externi ſuperficie, cui non illini & agglutinari rebus exigentibus voluerint aliquod Opiatum, a longo tempore Medicinam facientes, modo hanc modo aliam ægritudinem in ipſa ſua ſede oppugnare molientes.

Pro

Pro ſolis doloribus capitis ſopiendis, & vigiliis coër- *Capiti*
cendis frequenter unguenta, linimenta, epithemata, balſama, aliaque externa opiata innumeris vicibus a Practicis laudari notat WEDELIVS. [e]) Opium cum roſaceo oleo perfuſum ad dolores capitis efficax eſſe jam aſſeruit DIOSCORIDES. [f]) Ad FERNELIVM ſolum Opium extrinſecus moderate appoſitum, pro leniendis doloribus acerbis Capitis, omnium efficaciſſimum pronunciantem, provocans laudatus WEDELIVS, ſe in vigiliis, doloribusque capitis unicum extractum Opii, theriacam emplaſtratam, itemque Opium cum oleo Nuc. moſch. expreſſo mixtum, hoc fine in quotidiano uſu habuiſſe refert. In Mania quoque & Phrenitide, Opium in Unguento temporibus inungendis præſcribi notat, id quod multis Practicis ſolemne eſt. Commemorare mihi porro liceat Balſamum Anodynum, & Unguentum Cephalalgicum BATEI, utraque Opio prægnantia, pro temporibus & fronte inungendis; Unguentum ſomniferum diſpenſ. brand. & Viennenſis; Emplaſtrum Opiatum pro temporibus diſp. Brand.; Emplaſtrum hypnoticum Viennenſe ſemen hyoſciami & opium habens, quod in doloribus capitis & Vigiliis temporibus applicatum, prodeſſe dicitur; Emplaſtrum pro temporibus contra Vigilias & capitis dolorem FVLLERI, in medio Carannæ ſuper alutam extenſæ, opium continens. Quin & haud obliviſcar pro ſomno conciliando Summum BOERHAAVIVM [g]) conſuluiſſe Ꝛam Opii cum ſpiritu aceti paratam, miſtam aquæ fl. ſambuci & roſarum, temporibus utrinque cum pannis applicandam.

*Temporibus*

e) *Opiol. p. 132.*
f) *lib. IV. c. 55.*
g) *aph. 202. & mat. med.*

Verum etiam Naribus præciſe talia deſtinantur. WEDELIVS [h]) quippe iterum FERNELIVM [i]) adducens naribus illitum Opium ſolo odore conferre ad cephalalgiam, & Vigilias dicit, ut & in Mania & phrenitide; pilamque odoriferam GEIGERI Opio & hyoſciami ſemine imprægnatam citat. Non minus Naribus applicari volunt Balſamum ſuum

*Naribus*

h) *Opiol. p. 132.*
i) *Meth. med. p. 124.*

 hypno-

k) *p. 134.* hypnoticum *Viennenſes*,[k]) illisque inditum Opium ſoporiferum eſſe ſcripſerat WILLISIVS.[l])

l) *Pharmacevt. Ration. ſect. VII. c. 1. p. 179.*

*Fronti*

GALENVS[m]) trochiſcos ſuos de opio ſpeciatim applicabat fronti. Linimentumque ex Opio fronti applicatum ſomniferum eſſe, agnoſcit modo laudatus WILLIS.[n]) Ejusmodi linimentum Opium recipiens quoque exſtat apud HILDANVM[o]) fronti inungendum. Atque ſimilis farinæ eſt Linimentum frontale, & Epithema frontale FVLLERI. Huc & ſpectant ejus lintea ſomnifera fronti alliganda Opii ſolutioni & aliis intincta.

m) *de Comp. Med lib. II. c. 2.*

n) *l. c.*

o) *lib de Gangræna, c. 25.*

*Arteriis temporum*

Fuerunt quoque qui in Arterias temporales, carotidum propagines quammaxime primum effectum Opii topici influere voluerunt. Illis id applicari LANGIVS[p]) juſſit, Medicum peritum præcipue hunc locum ſoporifero ſeligere aſſerens. Iisdem Arteriis etiam FAUCHARD[q]) emplaſtrum ſuum opiatum, contra odontalgiam, utrinque admovendum injungit. Non minus ad eundem ſæpe adeo moleſtum affectum mitigandum, Opii granum unum vel alterum temporum arteriis non absque levamine applicari ſcripſit GEOFFROY.[r])

p) *lib. I. Epiſt. 10.*

q) *Chirurg. dentiſte edit. germ. p. 152.*

r) *Mat. med. Tom. II. p. 713.*

*Pone Aures*

Alii pro ſomno proliciendo, pone Aures theriacam, & alia Opiata applicare maluerunt.[s]) Eo fine LANGIVS[t]) Medicum quendam celebrem aliquando ſanguiſugas poſt Aures appoſuiſſe, & remotis iis, granum unum Opii vulneribus, cum felici ſucceſſu appoſuiſſe ſcribit. Emplaſtrum ex Gummi Carannæ cum Opio, pone vel ſub Aures poſitum dentium cruciatum tollere aſſeruit FVLLERVS,[u]) Ætiologiam a ſurculis duobus carotidis externæ, ſub Aure Maxillam inferiorem ingredientibus, & ſecundum ejus longitudinem in omnium dentium radices diſſeminatis deducens, & ad HIGHMORVM provocans.

s) *Wedel. Opiol. p. 132.*

t) *lib. III. Epiſt. p. 911.*

u) *Pharmac. extemp. p. 102. 103.*

*Auribus ipſis*

Placuit deinde nonnullis Opium indere Auribus. DIOSCORIDES[x]) in Aurium dolore cum oleo amygd. myrrha & croco, Opium inſtillari notat. GALENVS vero *lib. II.*

x) *Mat. med. lib. IV. c. 55.*

*de*

*de Comp. Med.* Auditus Gravitatem inducere dicit, quæcunque ad vehementem aurium dolorem ex papaveris ſucco adhibentur, & ſtupefacere ſenſum, atque ob id iis haud utendum, niſi ubi alia non juverint. TRALLIANVS [y]) de inflammatione meatus auditorii agens, *Glaucium*, inquit, *æquali pondere cum Opio miſtum & lacti muliebri infuſum fervidas inflammationes maximosque dolores lenire conſuevit, ut & caſtoreum opio miſtum, lævigatum ex Sapa & auri tepide injectum.* Addit interim ſequentem cautionem: *Deligendum autem Opium Vetus, ut magna ejus vitetur virtus in torpore inducendo. Ego enim novi quendam ſolo Opio uſum & vocem & ſenſum ægro ademiſſe, ut nec Opobalſamo reſtitui potuerit. Igitur ſemel vel iterum offerendum, poſtea caſtoreum cum oleo tepido injiciendum, & extrinſecus lana cum oleo calido admovenda, ut torpor ex frigidis contractus curetur.* Eadem omnia ex Veteribus collecta habet PISO *de cogn. & curand. Morbis lib. I. c. 40.* Non aliter MERCVRIALIS: [z]) Magna prudentia opus eſſe dicit, quia omnia, quæ impenſe refrigerant, valde inimica ſint auribus, hinc veteres uſos eſſe Opio torrefacto, quia ſic frangeretur nimia ejus frigiditas. Provocat dein ad GALENVM, qui admiſtionem Caſtorei torrefactioni prætulit, quia hac minuatur ipſa facultas, frigiditate licet fracta, cum caſtoreum facultatem non minuat. Recentiori ævo RIVERIVS [a]) uſum Opii adeo in Surditate, ſi a calida intemperie vel exquiſitiore ſenſu proficiſceretur, ſi ſat cautus eſſet, concedere non dubitavit. Verum ZACVTVS LVSITANVS *Med. Pr. H. lib. I. hiſt. 60.* auri dolenti inditum Opium ſenſum & vocem abſtuliſſe notat, & in Otalgia caute mercandum vult cum Opiatis WEDELIVS. [b]) Nil enim magis auditum difficilem reddere dicit, quam narcotica, quæ & auribus noxia habuit JONES. Cranii ſuturæ coronali olim quoque applicabatur Opium, & nuchæ, ſed ab utroque modo jam dehortatus eſt GALENVS [c]) nervis & ſpinali medullæ multa mala inde metuens,

y) *lib. III. c. 2.*

z) *lib. I. c. 42. Med. Pract.*

a) *Operum p. 219.*

b) *Opiol. lib. II. ſect. III. c. 3. p. 148.*

c) *de Comp. Med. lib. II. c. 2.*

metuens, quæ tamen vana eſſe recentiſſimus Scriptor HAMBERG[d]) declaravit, aut non majora fore aſſeruit, quam ſi Opium intus eſſet ſumtum.

d) *diſſ. de Opio §. 68.*

*Oculis*

Tranſeo ad Oculos, quorum Morbis ab antiquiſſimo tempore hoc remedium fuit deſtinatum. Inflammationibus Oculorum Opium cum torrefacto ovi luteo conducere DIOSCORIDES[e]) memoriæ prodidit. Inter Veteres MARCELLVS *de Medicamentis c. 8.* ad dolores oculorum laudat Collyrium ex aqua pluviali, croco, ſarcocolla, glaucio, tragacantha & Opio, & aliud in Epiphora ex ære uſto, cadmia, ſtibio, acacia, croco, aloe, opio &c. & varia alia ut Aſclepiadis, & aliquod, quo Auguſtus uſus eſt, omnia Opium habentia, pro variis oculorum affectubus. Vetuſtiſſima Compoſitio eſt *Collyrium album, Sief album cum Opio* dictum, Ophthalmiæ doloroſæ opponi ſolitum, in qua ut & in ulceribus oculi AVICENNA[f]) urgente malo Opium muliebri lacte dilutum conceſſit, quamvis DIAGORAS Eraſiſtrato Autore, cum aliis Veterum Viſus aciem inde hebetatum iri, & ANDREAS repentinam coecitatem metuerit.[g]) Sief album cum & ſine Opio hodie adhuc habent omnia diſpenſatoria. Unguentum aliquod ex Butyro majali, tutia, vitriolo, ſarcocolla, camphora, & laudano opiato habet PITCARNIVS[h]) *capite de Epiphora*, quod affirmat eſſe præſtantiſſimum. In fortiſſima Ophthalmia Collyrium ex aqua fl. ſamb. & roſarum, ſpiritu Vini camph. & Eſſ. Opii ſuaſit HEISTERVS,[i]) aliisque in ſimilibus caſibus ſincerum Opium addidit. Atque ipſe Ill. BOERHAAVIVS[k]) in ſtatu inflammationis laudat Collyrium ex ſem. cydon. gr. ij Opii puri gr. jv & ſach. ♄i gr. iij cum aqua Roſarum paratum, ac in diuturnis Ophthalmiis remedium ex butyro non ſalito, cera, mercurio præcipitato rubro & Opio commendat.

e) *lib. IV. c. 55.*

f) *lib. II. Tract. II. c. 526.*

g) *Vide Dioſcoridem l. c. & Schultzii diſſ. de Opiatis §. 27.*

h) *El. Med. lib. II. c. 10. p. 139.*

i) Mediciniſche Wahrnehmungen *No. 226. & 492. 580.*

k) *de morbis Oculorum edit. II. p. 55.*

*Dentibus*

Dentibus vero etiam, eorumque dolori potiſſimum, communi conſenſu, præſtans pharmacum cenſetur topico uſu Opium. Neque enim ab eo deterreri ſe patiuntur Medentes,

dentes, fato *Jacobi Juſtiniani*, Patricii Veneti, qui ob dentis dolorem impoſito oleo opiato, referente ALEXANDRO BENEDICTO [l]) ſopore perpetuo, & febre exſtinctus eſt. A longo tempore ad hunc diem laudatur, & in diſpenſatorio Viennenſi atrociſſimos cruciatus auferre dicitur, ſi cavernoſis dentibus indatur *Sotirella parva,* Electuarium nempe ex oleo nucis moſch. Opio, camphora, oleo caryophyll. croco, & ſpeciebus diambræ compoſitum. Hanc Sotirellam parvam MINDERERI, Fratri Germano, Epiſtola, de cruce domeſtica, Odontalgia ſuæ Uxoris conqueſto, inter theologica ſolamina, quæ addit, commendavit TIMÆUS [m]) in ſe ipſo effectum expertus, una cum trochiſcis odontalgicis Mynſ. & ſua Tinctura, ex pulvere caryopyll. Opio, & Tinctura Gvajaci parata. Trochiſci hi laudati, MYNSICHTO Autori vocantur Trochiſci de Alumine, cumque rad. pyrethri, pipere, zingibere, caryophyllis, & aliis etiam Opium habent, & ab eo in doloribus dentium æque laudantur ac Tinctura ejus odontalgica ex ſimilibus, & Opio concinnata. WEDELIVS [n]) Pilulam ex laudano opiato magni facit denti immittendam, Balſamumque odontalgicum habet, ex laudano opiato, oleo camph., & caryophyll. cum bombace indendum, ſimulque commendat Tincturam ſuam odontalgicam, cum Eſſ. anodyna ore detinendam, [o]) quamvis pro leniendis dentium doloribus internum uſum Opii externo præferat. [p]) Legitur quoque *balſamum odontalgicum* in diſp. Viennenſi ex oleo ligni buxi, caryophyll. Opio, camphora & oleo Nuciſtæ conflatum, & in diſp. Brand. *Aqua odontalgica* Opio prægnans habetur. Placuerunt certe talia præſtantiſſimis Medicis. HOFFMANNVS [q]) Mixturam ex ſpiritu Vini camphorato, cum croco, caſtoreo & Opio Gingivis & dentibus excavatis admovendam communicat, atque BOERHAAVIVS [r]) celebri remedio *Paracelſi* ex aceto acerrimo, rad. pyrethri, fol. hyoſcyami, tormentilla, camphora, & Opio compoſito multos a ſeveriſſima Odontalgia ſe

l) *de Cur. morb. lib. VI. c. 13.*

m) *Operum p. 455. 456.*

n) *Opiol. p. 137.*

o) *p. 138.*

p) *p. 138. & 148.*

q) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 476.*

r) *Comment. ad aph. 229.*

ſe liberaſſe recenſet, quod contorqueat & ad ſenſum ineptos nervos reddat. Ex ſolo laudano pilulam excavato denti, ſi evelli nequeat, indi jubet de GORTER. [s])

s) *Chirurg. repurg.* §. 914.

*regioni Ventriculi*

Miror ego, cur Pectori & ejus morbis non frequentius ut topicum deſtinatum fuerit Opium, tanto vero crebrius Ventriculi regioni ad cardialgias, & Vomitiones ſedandas ſolet applicari. In dyſenteria commode ſe adhibuiſſe theriacam cum oleis ſtomachicis remixtam ſtomacho applicitam narrat WEDELIVS. [t]) In Vomitu non raro externe Theriacam in forma emplaſtri, poſt multos alios ordinarunt, conſilium D. LVDOVICI ſequentes Medici Vratislavienſes; [u]) eamque in hoc morbo ſuper alutam extenſam & Epigaſtrio applicatam ratione optimorum Aromatum, quibus conſtat, & Opii cujus bonam copiam habet, pulcherrime prodeſſe ſolere teſtatur Ill. van SWIETEN. [x]) Aquam vitæ ſtomachicam externam, Opium continentem, pro hoc fine habet diſpenſatorium brandenburgicum.

t) *Opiol. p.* 137.

u) *Hiſt. morb. Vrat.* 1702. *p.* 117.

x) *Comment. ad* §. 658.

*Umbilico*

Umbilico theriacam & emplaſtra opiata in Colicæ, diarrhœæ, & dyſenteriæ medela ad levandos dolores, & ventrem cohibendum admovere, in vulgus nota methodus eſt. Inter illa referri debet *Emplaſtrum carminativum Sylvii*, [y]) de cujus bonitate & uſu adeo mula pollicetur Auctor, ut SCHVLTZIVS nil addere vel objicere audeat, allegatam Experientiam ſe ſacro ſanctam habere profeſſus. [z])

y) *Prax. lib.* I. *c.* 14. §. 58.

z) *diſſ. de medicamentis Opiatis.*

*Lumbis*

Ne vero & lumbari regioni ſuus deeſſet honos, cautum eſt a Medicis Opiophilis. Alia ſilentio præteriens ſolum refero *Emplaſtrum nephriticum Fulleri* ex Opio, Sapone, & oleo Juniperi concinnatum atque *Unguentum Comitiſſæ*, & abdomini & lumbis applicandum, a JVNCKENIO equidem ſine Opio deſcriptum, quod vero adjiciendum cenſuit diſpenſatorium brandenburgicum.

*Genitalibus*

Qui Genitales partes, & pubem, & regionem renalem Opio in Aqua ſoluto cum HILDESHEIMIO, [a]) & Unguento refrigerante GALENI & populeo opio remixto, cum

a) *Spicil. II. de Mania p.* 151.

HART-

HARTMANNO[b]) inungere volunt, ad pruritum venereum, & ignes amoris extinguendos, næ illi non bene intelligunt vim Opii aphrodiſiacam, & voto ſuo neceſſario excidere debent. Hanc qui noverit, longe aberit, ut cum Cl. GEOFFROY[c]) ſtatuat, Opium perinæo applicatum venerem interdum proritare, nonnunquam extinguere, harum partium ſenſum ſtupefaciendo. Si ipſi in rem veneream externo ambitui Corporis applicato, etiam aliquod imperium eſt, ſine ulla reſtrictione, ut aſſeruit JONES, perinæo adaptatum Venerem exſtimulabit.

b) *Pr. chymiatr. p. 275.*

c) *Mat. med. Tom. II. p. 694.*

*Articulis*

Articulis dolentibus, leniendisque podagræ cruciatibus inſervire poſſe Opium, multi Clari Viri reputarunt. Ad podagram id cum lacte muliebri & croco laudavit DIOSCORIDES[d]) & SCRIBONIVS LARGVS.[e]) Varia Opiata topica pro hac ægritudine leguntur apud PISONEM[f]) & MERCVRIALEM.[g]) Emplaſtrum podagricum Opiatum habet BATEVS. Linimentum nervinum in Arthritide proficuum, cum liquore opiato vel ſpiritu Opii ſuppeditat WEDEL,[h]) quamvis opiata incaute adhibita articulis nocere ſimul moneat. Cataplasma anodynum cum Opio valde convenire Podagræ aſſerit HECQUET,[i]) ad LOTICHIVM, FREITAGIVM, MYNSICHTVM & alios provocans. Atque PETRVS DESAULT[k]) ſummum & promptiſſimum remedium quod invenit, ad ſopiendum dolorem, & podagræ, & quemvis alium, cujusvis partis externæ, dicit eſſe applicatum linteum multiplex laudano liquido Sydenhami imbutum, conſtantique experientia hoc ſibi conſtitiſſe dicit.

d) *lib. IV. c. 55.*

e) *Comp. 158. p. 87.*

f) *lib. III. p. 387.*

g) *Operum p. 467.*

h) *Opiol. p. 126. 127.*

i) *p. 193.*

k) *diſſ. ſur la Goute p. 233.*

*Hæmorrhoidalibus vaſis*

Venio ad tumentes & dolentes hæmorrhoides, ad quas mitigandas Opium multi clari Viri unanimi conſenſu contendunt. SYDENHAMVS[l]) aquam ſpermatis ranarum, in qua lithargyrium & Opium ſolutum, linteo applicandum ſuadet. Linimentum hæmorrhoidale FVLLERI ex ungv. popul. ſacharo ♄i, & Opio aliisque componitur. Diſpenſa-

l) *Operum p. 777.*

torium Viennenſe proponit Unguentum ad hæmorrhoides, & mariſcas, ex ſaturninis mucilaginoſis, & oleoſis, cum camphora & Opio paratum. BATEVS ſuo hæmorrhoidali Unguento id quoque adjicit, ſimileque largiſſime opiatum habetur inter Arcana Goddardiana Pharmacopœiæ Bateanæ ſubjuncta. De GORTER [m]) pro levando dolore inflammatorio cœcarum hæmorrhoidum, Unguento nutrito admiſcuit Opium. Eodem modo ſeſe geſſit HEISTERVS. [n]) Illud quoque Unguentum dolori hæmorrhoidali deſtinatum, cujus magnam partem Ægra infauſto errore interne Cl. ALSTONO [o]) referente aſſumſit, conſtabat ex oleo Roſaceo, Myrrha, & Opio. Tandem recentiſſimus Scriptor Celeb. STÖRCK [p]) teneſmo & dolori dilaceranti ab hæmorrhoidibus, Opium Unguento nutrito & populeo exceptum conferre cenſuit.

*Inteſtino recto per ſuppoſitoria*

Non vero ſaltem extus ano admoventur Opiata his in caſibus, ſed &, quod etiam ſi intus turgida eſſent vaſa hæmorrhoidalia, cum ſua Mixtura faciendum ſuaſerat SYDENHAMVS, profundius ano induntur, a Practicis. Suppoſitoria quippe opiata antiquiſſimo tempore jam fuere cognita, verum & ſuſpecta valde exſtiterunt. Namque GALENVS ipſe, RAZES, AVICENNA, ALEXANDER BENEDICTVS & alii, quos ex MARCELLO DONATO adducit SENNERTVS [q]) teſtati ſunt, ſe vidiſſe exempla mortuorum a ſuppoſitorio ejusmodi ano immiſſo, quare TRALLIANVS [r]) non diu relinquendum eſſe, ſi applicetur, notavit. His hiſtoriis, ſine dubio perterrefactus WEDELIVS [s]) caute mercandum eſſe cum Opio, neque id temere per guttur inferius intrudendum eſſe, monuit. Aut vero hæc omnia ignoravit fideliter, aut audax non curavit JOEL, [t]) namque is ſolum ſincerum Opium, in formam ſuppoſitorii ſciſſum, & effictum, totum intruſit ano apud dyſentericos, ea arte ut pro lubitu iterum retrahere, denuoque immittere poſſet. Laudat hanc Praxin HECQVETVS, [u]) eamque mon-

m) *Chirurg. repurg.* §. 705. *form.* 181.

n) Wahrnehmungen *No.* 329.

o) *Acta med. Edinb. Tom. V. part. I. No. XII. ſect.* 3. §. 10.

p) *Ann. Med. II. p.* 154.

q) *lib. VI. Med. Pr. p.* 291.

r) *lib. VIII. c.* 6.

s) *Opiol. p.* 140.

t) *lib. IV. Praxeos Sect. III. p.* 337.

u) *p.* 175.

monſtrare dicit inſtinctum naturalem magnorum Medicorum adhibendi Opium. Neque ſibi temperare poteſt WEDELIVS, quin non obſtantibus dehortationibus antecedente pagina ſuppeditatis, in doloribus & exulcerationibus inteſtinorum ſuppoſitum Opium probet, modo glans ex Opio non ultra quadrantem horæ relinquatur, ſed appenſo filo iterum extrahatur, ſecundum monita JOELIS. Neque quanquam olim mortifera ſuppoſitoria opiata declaraviſſet HOFFMANNVS[x]) ob ſphacelum quem opium cohibendo motum ſanguinis iſtis partibus inducat, deinceps hæc methodus ipſi in totum diſplicuit. Nimirum adeo in diarrhœis Infantum ſpecifice prodeſſe ſuppoſitoria edixit ex Vitello ovi aſſato, cum croco, thure, & uno grano Opii confecta. [y]) Largior multo erat doſis opii ad ſcrupulum ſcilicet unum extenſa cum æqua doſi thuris, myrrhæ, & croci, in ſuppoſitorio, quod *Ephem. Nat. Cur.* [z]) puero dyſenterico 6. annorum applicatum memorant. Omnia mala cito pacabantur, ſed ſomnus profundus ad horas 18. durans ſequebatur, ita, ut æger ſpirituoſis excitari debuerit. Hoc diſcuſſo tumor abdominis clyſmate abigebatur, eoque diſparente plena aderat ſalus.

x) *diſſ. de opiatorum operandi ratione pag. 11.*

y) *Med. Syſt. Suppl. p. 99.*

z) *Dec. II. Ao. X. obſ. 48.*

*ut & colo, per clyſteres*

Altius autem quam ſuppoſitoriorum ope, in inteſtina penetrat, cum ſua Virtute Opium, & ut topicum agit, quando clyſmatibus admiſcetur, id quod antiquo & recentiori tempore Medicis ita jubentibus, fieri in Praxi conſuevit. PISO[a]) placitorum præceptorumque Veterum & recentiorum in Praxi Collector, ſi dolor in Dyſenteria urget, ad ſtupefacientia veniendum eſſe, eaque magis per ſedem, quam per os, convenire aſſerit SENNERTVS,[b]) ſi in craſſis inteſtinis dolor, clyſteribus ex lactuca, nymphæa, & capitibus papaveris coctis addi jubet Opii gr. v. vel vj. Dolore admodum urgente, narcotica interdum clyſteribus ex lacte cum rad. alth. cocto admiſceri debere, ut Philonium, pilulas de cynogloſſa, laudanum opiatum, RIVERIVS[c]) præcipit.

a) *de cognoſc. & curand. morbis lib. III. p. 103.*

b) *Med. Pr. capite de dyſenteria p. 356.*

c) *capite de dyſenteria Operum p. 303.*

d) *Opiol. p. 139.*
e) *p. 87. & 229.*
f) *vide Obſ. 7. & 19.*
g) *Pharm. ex-temp. p. 132.*
h) *c. III. §. 59.*
i) *Monit. med. p. 71.*
k) *Obſ. de Aëre aph. 5. 58.*
l) *lect. de Opio p. 143.*

pit. WEDELIUS [d]) bene parari tales clyſteres ex paregoricis, & emollientibus in lacte vaccino coctis dicit, addendo Colaturæ Opium juſta doſi, drachmam nempe unam Theriacæ recentis, vel Philonii, vel de requie Nicolai drachmas ij vel laudani Opiati gr. v-viij, citatque REGNERUM de GRAFF *de clyſteribus p. 88.* ipſe vero internum uſum Opii clyſteribus opiatis præfert. SYDENHAMUS [e]) in diarrhœa clyſma ex Cort. Granat. & roſ. rubr. in lacte coctis, addita uncia dimidia diaſcordii, & in dyſenteria enema ex lacte vaccino ad libram dimidiam, & Theriacæ Andromachi uncia una & dimidia proponit; quod in quibuscunque alvi dejectionibus mire conferre dicit. RIDLEY [f]) etiam in fluxibus alvinis amavit clyſmata cum diaſcordio, & theriaca. FULLERUS [g]) pro puerulis adeo, dejectionibus viridibus torminoſis, & dentitione difficili laborantibus, enema habet ad tormina, ex creta alba, & aliis, cui diaſcordium & ſyr. de meconio adjecit. Porro eximius de dyſenteria Scriptor DEGNERUS [h]) ſummo emolumento fuiſſe teſtatur clyſteres, ex oleo lini, & lacte, addita theriaca. Non inutiles eſſe Infuſiones in Alvum ex juſculis pinguibus addita Theriaca vel diaſcordio, vel ex decocto albo adjecto Amylo, & adjunctis ubi opus fuerit extracti thebaici granis ij vel iij teſtatur MEAD. [i]) Tandem & HUXHAM [k]) ad levandum dolorem & teneſmum, diaſcordium aut theriacam cum lacte injici jubet. Miror vero NEUMANNUM ſane non adeo magnum Opii Fautorem tamen ſcripſiſſe: *Expertus ſum pauculum de extracto meo Opii fermentato enematibus additum in certis morbis & inter alios etiam in Colica nephritica ſingularem effectum præſtitiſſe.* [l])

Ita ſane præſtantiſſimos Viros duces ſequuntur, qui ubi opus eſſe videtur, Clyſteribus Opiatis pugnant, quos fere ſine limitibus juſtis poſitis quidam illorum commendant. At qui internum uſum Opii tutiorem longe habet WEDELIUS caute enemata adhibenda monet, beneque ſolvendum & diluen-

luendum eſſe Opium dicit, ne tenacitate ſua ſe plicis inteſtinorum inſinuet, inibique moras nectat. [m]) Citat dein ex SALMVTHO [n]) caſum uxoris Pharmacopœi, quæ in Coli. doloribus accepit clyſma cum drachma una Opii, inque coma incidit, quod clyſmate alio ex Vino malvatico curatum fuit. Infelicius autem fatum fuit illius Viri a clyſmo opiato mortui, cujus mentionem facit BORELLVS, [o]) quare adhortationem addit, Opii grana decem in enemate optima eſſe ad colicum dolorem, ſed cavendum eſſe ne nimiam doſin ponas. Forte autem & grana decem quandoque nimiam doſin conſtituent. Sed de hac re alibi.

m) *Opiol. p. 139. 140.*
n) *Cent. II. obſ. 97.*
o) *Cent. IV. obſ. 92.*

Ita potiora loca indigitavi, quibus immediate applicari Opium voluerunt Medici in arte periti; plantas etenim pedum, quibus Unguentum ſuum ad dolorem capitis, minus apte ut opinor, admoveri vult VALENTINVS POLIDAMVS [p]) a WEDELIO [q]) citatus, facile ſilentio præterire poſſum.

p) *libro de doloribus capitis p. 78.*
q) *Opiol. p. 132.*

*Vulneribus & Ulceribus*

Reſtat ut Chirurgiæ haud obliviſcar, atque Vulnera & Ulcera memorem, quibus applicitum hoc remedium mederi poſſe reputatum eſt. Igni ſacro, & Vulneribus cum aceto prodeſſe Opium jam ſcripſit DIOSCORIDES [r]) ejusque ad ſimiles uſus commendatione referta ſunt externam Medicinam docentium monumenta. FERNELIVS [s]) Inflammationibus in medendi apparatu externo Opium neceſſarium, & utile reputavit. FABRICIVS HILDANVS [t]) ad dolorem, qui vulneratis articulis ſupervenit, cauſam ichoris & meliceriæ, acris, Unguenta, Olea, Cataplaſmata, ex papavere, ſolano, Mandragora, Hyoſcyamo, Opio commendat. Idem laudatus Vir in combuſtionibus ad dolorem ſedandum, cataplaſma ex mica panis cum lacte, vel herbis cicutæ, ſolani, hyoſcyami, papaverisque foliis, cum lacte coctis addito Opio commendat. [u]) Alibi poſt amputationem ad ſedandum dolorem & inflammationem, loco vulnerato emplaſtrum ex hyoſcyamo, fl. nenupharis, ſem. pap. alb. Opio,

r) *lib. IV. c. 55.*
s) *Meth. med. lib. V. c. 27.*
t) *de ichore & meliceria cap. XI.*
u) *lib. de combuſtionibus c. XII.*

& ſimilibus admovendum præcipit. [x]) Non opus eſt, ut plura ſimilia præcepta conquiram; nominaſſe ſufficiet Ill. BOERHAAVIUM, [y]) qui narcotica pro ſomno Vulneratis conciliando laudans, ſuppeditato in materia medica epithemate opiato, temporibus applicando, vulneri ipſi deſtinat fomentum ex emollientibus, addito ad drachmam dimidiam Opio. In Ulceribus vero, & adeo in internis, ipſiusque Uteri, Hieronymus MERCURIALIS, [z]) qui ut ex ejus operibus practicis patet, topicorum Opiatorum quamvis ſemper cum cautione commedatorum eſt Amator, non dubitavit Opium aliis addere, ubi dolor fuerit conjunctus, neque mortem ab eo timendam eſſe aſſeveravit, quanquam ſterilitatem frigore ſuo queat inducere. Cel. HECQUETUS [a]) laudat VIGONEM, [b]) quod narcotica miſcuerit cum cauſticis, ut Natura his adſueſcat, eaque lubentius acceptet & ANGELUM SALAM [c]) quod magni faciendum illum Chirurgum eſſe dixerit, qui laudani uſum rite noverit. Ipſe autem multis elogiis Opii uſum externum cum narcoticis, tabaco, hyoſcyamo, & cynogloſſa ad præcavendam & ſanandam Gangrænam valere dixit, [d]) maxime vero quod dolorem inhibeat, qui tandem gangrænam creet. Interim tamen toties Antiquitas Medica timuit Gangrænam mortemque partis, cui applicaretur Opium, & inter recentiores ETTMÜLLERUS paſſim & in *Collegio caſuali, caſu XIII. de hæmorrhoidibus cæcis dolentibus* in fine, ubi de topicis agit, addit cautionem, *Opium cum ad Gangrænam diſponat caute applicandum eſſe*, & HOFFMANNUS [e]) hiſtorias illas omnes apud SENNERTUM, TILLINGIUM, DONATUM de morte ſuppoſitoriis, vel clyſteribus opiatis hominibus inducta, non aliter explicandas cenſet, quam quod Opium cohibendo ſanguinis motum, ſphacelum illis partibus induxerit. Fere ſicco pede præteriiſſem Cancrum, vehementes dolores ſecum habentem, ad quos mulcendos ut interno uſu, de quo egi, ita & externo, Opium in uſum vocandum eſſe Medici & Chi-

x) *de Gangræna & ſphacelo c. 24.*
y) *ad §. 202. p. 58.*
z) *lib. IV. de morb. Mulierum c. 7.*
a) *p. 194.*
b) *lib. VIII. c. 13.*
c) *p. 195.*
d) *a pag. 195-203.*
e) *diſſ. de operatione Opiatorum §. 9.*

*Cancro.*

Chirurgi arbitrantur. Inter præſidia ad cancrum externa, cum mercurialibus, & ſaturninis, Opium quoque refert, hisque & illis, in Unguentis, & linimentis admiſcet, Cel. HEISTERUS. f) Ejusmodi linimentum etiam ſuppeditat Ill. BOERHAAVIUS, g) poſtquam locum defendendum voluerat, ab omni externo, per plumbata & narcotica. Mentem ejus accuratius explicat Ill. ejus Commentator van SWIETEN, h) plumbatis admiſcenda eſſe narcotica injungens, quæ ſua efficacia nimis facile irritabiles nervos, per cancrum ejusque integumenta diſperſos, parum ſopiant, ſicque metuendum hic pruritum compeſcant, & moleſtos dolores lancinantes ſedent. Conſentit penitus Cel. de GORTER, i) qui dolorem a cancro exigere ſæpe anodyna, ſtupefacientia, ut interna, ita & externa, monet, atque ejusmodi unguenta, emplaſtra, & fomenta, ſaturnina, & opiata, præſcribit.

f) *Chirurg. Part. I. lib. IV. c. 16. §. 14. vide & ejus obſervationes No. 495. 496. 548.*

g) *Mat. med. ad aph. 490. No. 4. & aph. 507.*

h) *ad aph. 507.*

i) *Chirurg. repurg. §. 1497. & formula 181. 215. 219.*

§. II.

*Opium contra receptas opiniones externo uſu, partis ſenſum haud minuit, eamque relaxat.*

Quis autem nunc Lectorum meorum, qui hæc, quæ de Opii, Opiatorumque ad varia corporis loca externa, applicatione elocutus ſum hactenus, & multo plura, quæ adferri poterant ex Practicorum libris, ſedulo contuetur, non aſſenſum facilem præbebit tot Viris auctoritate celebribus, longiſſime patentem eſſe Uſum Opii topicum, in Praxi medica, & chirurgica? Verum enim vero ego nihilominus, ſi omnia quam rigidiſſime examinentur, eum aut nullum eſſe, aut valde parvum, aut non tantum ut putatur, gravibus rationibus ductus, exiſtimo; neque enim moveor tot formulis, totque conſiliis, quæ in Scriptorum monumentis invenio. Antiquorum omnium intentiones ſi ſpectem accuratiſſime, quæ ipſis fuere, quoties Opiatum externum adhibuerunt, vel commendarunt, unice niti animadverto, frigidæ hypotheſi, Opium ex natura ſua frigida, partibus quibus imponatur, frigus & ſtuporem inducere, ſicque doloroſas afflictiones illarum tollere. Inde etiam eſt, quod tum tale

reme-

remedium proponunt, tamen ſuſpenſa quaſi manu, & non ſine timore applicationem ipſam ſuadeant, & toties ſimul inculcent, ſemper diligenter attendendum eſſe, ne frigore & ſtupore nimio inductis noceat, & plane mortem inferat. Dimanavit hæc meticuloſitas ad remotiſſimos Poſteros triſtibus interdum narratiunculis confirmata. Refert CARDANVS [k]) Nelphum quendam, cum in certamine equeſtri Patavii Victor extitiſſet, depoſita ad tempus Galea, ut ſudans & æſtuans liberiori aeris acceſſu vires inſtauraret, ab invidis quod plebejus eſſet, illito clam galeæ copioſo Opio extinctum eſſe. Quid ergo mirum, talibus motum ZACVTVM LVSITANVM [l]) eo confidentius aſſeveraviſſe, quod Opium externe admotum interficiat, atque REJES [m]) externum uſum valde noxium declaraviſſe. Hinc certe fluunt omnes variorum Autorum adjectæ cautelæ, quoties de ejusmodi topicis loquuntur. Ita MERCVRIALIS [n]) *Omnia narcotica,* inquit, *venenata ſunt; quapropter ubi illis utimur, vel intrinſecus vel extrinſecus, fieri nunquam poteſt, quin aliquod detrimentum accedat calori nativo. Nunquam ergo hæc medicamenta narcotica extrinſece ſunt applicanda frigida, niſi ubi partes dolentes ſunt maxime accenſæ & fervidæ tunc enim licet uti medicamentis narcoticis actu frigidis.* Fere ſimilia leguntur apud HILDANVM [o]) & alios. Et de quo valde miror, Cel. adeo GEOFFROY [p]) vetuſto abreptus præjudicio aſſerere non dubitat, quod Opium capitis ſuturis applicatum nonnunquam interimat, nervos relaxet, ſtuporemque & paralyſin inducat. Quin quod nunquam cogitaſſem, Illuſtr. BOERHAAVIVS *de Morb. Nerv. p. 701.* Emplaſtra, in quibus Opium abundat vix applicata calido corpori dolores quidem ſtatim tollere, ſed partem ſenſim labefactare dicit. ALSTONVS etiam *ſect. III. §. 8. in fine*, extus admota narcotica interdum ſaltem reſolutionem nervorum in parte ciere dicit. Verum enim vero optime jam notavit WEDELIVS, [q]) Proſcribendam eſſe hypotheſin illam, qua aſſertum per aliquot

k) *de Subtil. c. 18.*

l) *Med. Pr. Hiſt. lib. IV. hiſt. 27.*

m) *Quæſt. 63. p. 821.*

n) *de Vitiis Articulorum & lue lib. IV. c. 1. p. 453.*

o) *libro de Ichore & Meliceria C. XI.*

p) *Mat. med. Tom. II. p. 695.*

q) *Opiol. p. 83. 84. & Amoen. mat. med. lib. II. Sect. II. c. 14. §. 8.*

quot Secula fuit, Opium eſſe narcoticum, eo ſenſu, ut partibus externe applicatum, eas quaſi indolentes reddat, quatenus calorem nativum reprimat, extimamque corporis veſtem attonitam & imperceptibilem efficiat, non ſecus ac frigida actu talia torporem & ſtuporem ejusmodi conciliant. Nullam etiam vim narcoticorum fibras, quibus admoventur, relaxantem, agnoſcit BOHNIVS. r)

Hac igitur Ætiologia Actionis Opii externe admoti, quod hodie omnes Medici eruditi calidum agnoſcere debent, in corpus humanum prorſus cadente, videndum eſt, an hæc alia ratione ſuccedat, & ſuccedere poſſit, neque conſulenda commenta cerebrina, ſed rerum uſus & Experientia Magiſtra audiri debent. Docet inſtituta Opii Analyſis (Sect. I. c. III.) id fovere in ſe partes ſumme volatiles, in quibus tota vis unice reſidet. Jam vero novimus venulas bibulas & abſorbentes, quæ in omni puncto Corticis corporis hiant, vere ingredi minutiſſima ſpicula ſalina pulveris Cantharidum, ex emplaſtro Veſicatorio Cuti admoto, penetralibus Corporis profundius immergi, ac ad renes & veſicam pergere, mictum cruentum ibi excluſura. Novimus porro, Unguenti neapolitani foris affricti atomos mercuriales, humorum Oceanum ingredi, liquida omnia fundere, & ex ſalivalibus glandulis copioſiſſimum laticem excutere. Nonne ergo etiam eadem facilitate, ſubtiliſſimi, & ſumme penetrabiles, de Opio halitus ſubibunt vaſcula venoſa cutanea, interque ea etiam nervoſa, & vel ibidem ſtatim, vel poſtquam Corpori ipſi, totique Generi Nervoſo & ejus Origini illati ſunt, tales effectus edent, quales ab eorum nativa indole poſſunt proficiſci, qualesque profecti eſſent, ſi idem remedium intus eſſet ſumtum, quemadmodum mercurii & cantharidum intus aſſumtorum effectus coincidunt, cum utrorumque externa applicatione. Sane hoc ipſum videri debet valde probabile, & pene certum perpendentibus, Opium etiam non diſſolutum ſolo contactu cum nervis Ventriculi,

r) *de officio Med. dupl. Part. I. c. XIX. p. 363.*

agere in omne Nervoſum Syſtema, moleque ejus vix imminuta, nec cum humoribus permiſta, ab ejus ſubtiliſſimis ſaltem vaporibus vere evenire phœnomena omnia, quæ evenire obſervamus. Ita certe Operationem ſibi concipit WILLIS [s]) nempe quod pharmacum hoc uſu topico, ubicunque ad ſpiritus animales admitti poteſt, eorum proximos quosque mero ſuo contactu profliget, quanquam ſimul veroſimile ſit, Opii particulas e locis illis, ſanguinis commeatu ad Cerebri corticem deferri. Neque aliter WEDELIVS, [t]) qui nunquam ſtuporem partis ab impoſitione Opiatorum obſervare potuit, topica Opiata agere dicit, quam quatenus per poros ſubtilior pars ſulphurea & mercurialis ſanguini communicatur, & hinc vires ſuas ordinarias cerebri & nervorum vi ſimul obtuſa exerit. Verum enim vero hoc ipſo loco ſimul Vir clariſſimus candide fatetur, hac ratione Opiata ſuas Vires remiſſiore longe gradu & refracto ſaltem exerere, quam interne ſumta. Atque ita etiam BOHNIVS [u]) Vim extrinſecus applicatorum Narcoticorum exilem eſſe agnoſcit, quamvis in Praxi vulgari quotidiani uſus ſint, niſi quatenus eorum quædam minima ſubtiliora fibras partis affectæ ſenſiles profundius penetrent, & ſecundum harum tractus ad ſpirituum Syſtema abſorbeantur. Sed prorſus dubitat FVLLERVS, [x]) utrum Opium externe applicatum ſit vere Anodynum, nec ne, quamvis interne ſumtum eousque poſſit ſpirituum actionem ſufflaminare, ut doloris ſenſum ſuſpendat. Non minus effectus Opii externe admoti, inducendi ſoporis, & dolorum ſedandorum admodum dubios, & incertos eſſe monet Cel. GEOFFROY. [y]) De emplaſtro pro temporibus diſp. brand. quod decima ſua parte merum Opium eſt, pronunciat SCHVLTZIVS, [z]) parum ejus cutis poros poſſe ſubire, cum tenacibus reſinis, quæ maximam emplaſtri partem conſtituunt, immiſceatur, & quaſi irretitum ſit. Nonne vero idem Judicium ferendum erit de omnibus emplaſtris opiatis? & de illis maxime quæ

s) *Pharm. rat. p. 179.*

t) *Opiol. p. 135.*

u) *de Officio Medici duplici p. 363.*

x) *Pharmac. extemp. p. 91.*

y) *Mat. med. Tom. II. p. 694. 695. 713.*

z) *diſſ. de Opiatis §. 43.*

multo minorem Opii portionem continent. Sed & Opium ipſum inſtar emplaſtri circa digitum minimum, quin & circa totum brachium ſub condylo interno per integram noctem applicavit ipſe Cl. ALSTONUS. [a]) Emollitum arcte partibus his adhæſit, neque tamen eas inſenſibiles reddidit, neque ullum alium edidit effectum. Tanto magis igitur fidem meretur adſertum Cel. LOUIS, [b]) quod Opium Cuti impoſitum dolorem partis non minuat.

Forte autem ſi hæc omnia demere multum videantur Opio topico, differentia ſtatuenda erit, ſive parti magis minusve ſenſibili, ſive cute vel tectæ vel minus tectæ, ſive ſolum ſive aliis miſtum admoveatur. Sane ſi parti valde ſenſibili cujus fibræ ſint patentiores, & teneriores, ut denti carioſo, auribus, inteſtino recto applicetur, his relaxationem, & ſtuporem etiam difficilioris medelæ ad narcoſin totius poſſe induci, BOHNIUS [c]) largitur, quamvis antea, ut jam retuli, ſaltem exilem Opii extrinſecus admoti Vim anodynam declaraſſet. In his partibus certe nervi æque, aut non multo minus nudi, ac in ſtomacho, videntur poſſe recipere quam proxime vires agentis Opii. Saltem Ill. BOERHAAVIUS *Si Opium*, inquit, *applicetur nervis nudatis, ſenſum tollit, ſi ingeratur in Ventriculum primo ſenſum lætitiæ, deinde ſtertorem.* [d]) Sed forte etiam in partibus cute tectis, ſi e. g. cum cataplasmate calido applicetur Opium, id citius reſolvetur in ſubtiliſſimos Vapores, citiusque & facilius ingredietur per calorem patentiores redditos porulos. Merentur certe hæc talia curatius expendi. Ac primo quidem effectus anodynus Cataplasmatis emollientis tepide admoti, quod aliquam portionem Opii admiſtam gerit, perperam huic ſoli, aut & perperam maximam partem tribueretur. Aqua quippe tepida ſola, maxime cum emollientibus cocta, eſt ſummum anodynum, totiesque ſummos effectus præſtat, quando de Opio applicando non fuit cogitatum. Egregie notavit BOHNIUS *p. 363.* fallaciam non cauſæ ut cauſæ hic ſubeſſe, dum

a) *Obſervat. Edinb. Tom. V. Part. I. No. XII. Sect. III. §. 8.*

b) *Recueil de pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Academie Royale de Chirurgie. Pariſiis 1757. diſquiſitione de remediis Anodynis.*

c) *p. 364.*

d) *de Morbis Nervorum p. 448.*

dum Opio cum cataplaſmate applicato tribuitur, quod cœteris ingredientibus majori jure in acceptis erat referendum, quandoquidem narcotica non ita fibras laxant, ut mucilaginoſa, ſimiliaque actu humida. Cum Opio igitur ſolo experimenta facienda ſunt, ſi certi quippiam de ejus virtute anodyna externa invenire volumus. Interne non agit niſi vaporibus de eo exſolutis, & exhalantibus, perque omnia vaſa, & per totum nerveum ſyſtema divagantibus. In externa applicatione vapores, qui ingredi corpus & ſe inſinuare altius nerveæ ſyntaxi debebant, bonam partem abeunt in liberum aërem. His poſitis nemo negaverit facile, quod valde difficulter pro varietate morbi ejusque gradus, tum & pro varietate loci, ſive cute induti ſive minus, determinari queat Quantitas Opii topice uſurpandi, pro ratione incertæ quantitatis elementi volatilis, quod ex maſſa Opii ſe proripiens ſeſe corpori erit inſinuaturum. Doſes vero internas jam accuratius ſcimus, cumque externe non agat, niſi quatenus ejus particulæ corpus ingreſſæ communicantur nervis, & ipſi Senſorio communi (hoc quippe non affecto, nullus Opii effectus emergere poteſt) uſui externo ſemper præſtare videtur internus, quia Opium interne ſumtum in partem valde nervoſam, Ventriculum, arctum commercium cum cerebro alentem ſatisque amplam ejus ſuperficiem calore viſceris adjutum, tota ſua Vi agit in inſtanti. Deinde etiam ſi inſinuatio partium ſumme volatilium Opii, atque eatenus ſaltem, quatenus hæ ipſum ſenſorium commune afficiunt ejusque conditiones mutant, omnia præſtat, & ſtupor illi parti, cui Opium immediate applicatur, haud inducitur, non opus erit, ut partium externarum illi applicetur, quæ affecta eſt ægritudine, ſed perinde erit, cui applicetur, imo vero proderit præcipue applicaſſe prope caput, quo eo citius ad Originem nervorum omnium actio queat penetrare. Jam niſi vehementer fallor, omnia hæc docent, nil peculiaris habere Uſum Opii topicum, præ interna ejus adhibitione,

ne, ſed hanc potius multa prærogativa gaudere, præ illo, adeoque ſi interne rite adhibeatur, Praxin omnibus externis opiatis facile carere poſſe. Effecerunt hæc cogitata diu, ut ego raro vel nunquam Opium ut topicum in facienda Medicina adhibuerim.

§. III.

*ſed potius irritat, & ſenſum auget; hinc nocet.*

Verum ſupereſt alia adhuc eademque magni momenti conſideratio, quæ multum detrahit Opii topici Virtuti anodynæ. Id dum applicatur parti corporis externæ, habendum omnino erit pharmacum volatili elemento ſui generis dolores, ſi ad nervoſum ſyſtema admittatur, mitigare apto, dives, de qua re ſuis limitibus circumſcripta hactenus diſputavi; ſed non minus credendum erit, id etiam pro ſua nativa indole acturum, ut pharmacum acre, irritans, & calefaciens, tantoque magis, quo majore copia applicatur, quo diutius parti adhæreſcit, quoque pars hæc eſt tenerior ſenſibilior, ac nervos pene nudos actioni exponit. Atque ad hoc momentum frigore Opii putatitio decepti Veteres omnes non attenderunt, ut decebat, neque poterant attendere. Poſtquam vero hodie convicti ſumus acri & calido ingenio Opium inſtructum eſſe, ab hoc etiam omnino ejus vires in agendo deducere cogimur. Notavit WEDELIUS [e]) Opium externe applicatum, diſcutere & emollire tophos & nodos. Forinſecus Opium parti cuidam Corporis accommodatum, vi gaudere inſigni diſcutiendi, ſcripſit BERGER [f]) tantumque abeſſe, ut quod falſo quibusdam perſuaſum eſt, ſtupidam eam reddat, ſenſuque privet. JONES externe Opium reſolvere & ſuppurare dixit. De Concretionibus a Podagra factis loquens FREINDIUS [g]) per mercurium obtinendis *Neque effectum,* inquit, *minus felicem ſperare poſſemus, ſi Opium & Camphora, quæ ſunt omnium fortaſſe Medicamentorum attenuantium validiſſima, compoſitionibus diſcutientibus liberaliter admiſceantur.* Et alibi [h]) occaſione Emplaſtri de Galbano a ſe præſcripti, cui Opium, & camphoram ad-

e) *Opiol. p. 28. & 135.*

f) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente §. 4.*

g) *Hiſt. med. Aetius p. 152.*

h) *Emmenol. Cap. XI. hiſt. V.*

admiſceri fecerat, *Adjeci hæc*, inquit, *ſequens Bateum, qui Opium & Camphoram Emplaſtro camphorato & podagrico addidit, iisque uſus eſt, cum humores vellet diſcutere. Utraque nempe particulis ſuis tenuibus ſe vaſorum poris inſinuant, ibique lentis humoribus, quorum vitio dolores & tubercula oriuntur, commixta eos ita incidunt, & exagitant, ut ſanguinis globuli in minima dividantur.* Opium foris admotum quod calidis proprium eſt, tumores emollire & reſolvere teſtatus quoque eſt HOFFMANNUS.[i]) Porro & HECQUETUS[k]) Opium ſpecificum remedium & potens eſſe aſſeruit, pro reſolutione & diſcuſſione nodorum, ſcirrhorum & ſcrophularum, hujus ſuæ ſententiæ fautores adducens BARBETTUM, DECKERUM, TILLINGIUM, HORSTIUM, PLATERUM, RIVERIUM. Tandem GEOFFROY[l]) *Opium*, ait, *externe admotum tumores incidit, reſolvit & diſcutit, maturat & ſuppurationem promovet.* Nunc autem, quando Opium calidum & acre, ut Camphora, Galbanum, & ut omnia calida & acria alia, reſolvit & diſcutit, quando ſuppurationem promovet, non præſtabit hoc aliter, quam fibras ſuo ſtimulo incitando, irritando, contractilitatem earum augendo, qua potentius atterentur & promovebuntur fluida inertia, in vaſculis hærentia. An vero hoc idem eſt ac fibras relaxare, torpidas reddere, inſenſibiles præſtare, quod intendimus, quando dolorem tollere volumus, & quod præſtare omnino debet remedium vere anodynum?

i) *diſſ. de Operatione Opiatorum §. 14.*
k) *p. 192.*
l) *Mat. med. p. 694.*

Tantum vero abeſt, ut Opium parti impoſitum, hos effectus veri anodyni præſtet, ut potius ſæpe eam & dermate carentem, & cute tectam inflammando, urendo, exulcerando, epidermide privando, denudando, dolores graviſſimos inferat. Opium ad tempus ore detentum ulcuſcula in lingua & faucibus excitare jam notavit MATTHIOLUS. De vi aliquamdiu ore detenti exulcerandi linguam, & palatum, etiam mentionem facit WEDELIUS.[m]) Tam acre eſt, ut maſticatum os urat, linguamque & guttur inflammet,

m) *Opiol. p. 26.*

flammet, notante LINDESTOLPIO. n) JONES in tenerioribus Subjectis cutem exulcerare dicit, pilos inſtar pſilotherici exſtirpare, & pruritum excitare. BOERHAAVIVS o) adeo acre eſſe affirmat, ut linguæ impoſitum fere intolerabilem caloris ſenſum inſtar piperis excitet, *) cuti autem ad emplaſtri modum applicatum, veſicas elevet. Alibi p) idem Vir Illuſtris, Opium ſi corpori imponatur, locum exulcerare, & in cataplasmatibus receptum vim calefacientem habere edixit. Atque alio iterum loco q) *Opium*, inquit, *ſi ductum in emplaſtrum applicetur cuti, facit in parte, cui applicatur calorem ingentem, dolorificum, excitat veſicam, eroſionem, gangrænam incipientem.* Tandem præter Viros laudatos, GEOFFROY, r) diu cuti admotum Opium illam pilis nudare dicit, pruritum in ea excitare, eandem nonnunquam exulcerare, & in veſicas attollere, ſi recens ſit, & tenerioris texturæ caro, quod ipſum bene notari volo, licet ALSTONVS, cui forte minor fuit cutis ſenſibilitas, & virilis denſitas, ab emplaſtro ex Opio, digito ſuo minimo & brachio impoſito, ut nullum effectum, ita etiam nil inflammatorii obſervaverit. s) Quodſi vero conſentientibus tot Gravibus Auctoribus, hæc omnia patret Opium, ſi adeo dolorificum fiat partibus, cui paulo diutius agglutinatum fuit, quis niſi talium prorſus ignarus, id amplius jure habere poterit pro externo anodyno? Quis prudens cauterium potentiale unquam anodynum dixerit? tale vero per hactenus dicta eſt Opium, licet mitius haberi debet. Meminit ſcilicet WEDELIVS t) Cauterii potentialis Vigonis, & Welandi, quod utrumque Opium recipit. Ridiculum autem pené eſt FRANCISCVM HILDESHEIMIVM u) in ea verſari ſententia, ſi calce viva vel alia acri & corrodente materia utamur, ad facienda cauteria, & eidem Opii modicum addamus, hæc opus ſuum ſine dolore perficere. Idem fere aſſerit HECQUET x) quando ut in antecedentibus jam retuli, Opium cauſticis additum efficere ſcribit, ut natura doloroſa remedia liben-

n) *de Venenis p. 591.*

o) *Prælect. Vol. IV. p. 519. 520.*

*) *idem Alſton Obſ. Edinburg. Tom. V. P. I. No. XII. Sect. III.*

p) *in Catalogo Plantarum p. 302.*

q) *de morbis Nervorum p. 448.*

r) *Mat. med. Tom. II. p. 694.*

s) *Obſerv. Edinb. Tom. V. Part. I. p. 191.*

t) *Opiol. p. 136.*

u) *Spicil. I. de affect. Cap. p. 14.*

x) *p. 194.*

libenter accipiat, & in ſui familiaritatem admittat. Sed prorſus abſonum eſt ſtatuere, remedium, quod per ſe urit, effecturum, ut aliud potentius urens ipſi junctum urere non ſentiatur. Quaſi vero Vinum Hungariæ ſuperioris ſua dote calefaciens & inebrians, non calefaceret, & inebriaret, ſi potaretur cum affuſo Vino Hungariæ inferioris, mitius calefaciente & inebriante. Ad Herpetem pertinaciorem com-
y) *Med. Ind. p. 93.* mendat BONTIUS [y]) calcem vivam, ad ℈ij, cum Opii ʒj remixtam ſuccoque pomorum amoris ſubactam. Ad nævos maternos tollendos calcem vivam cum æqua parte ſaponis veneti ſubactam infallibile remedium deprædicat Cl. VO-
z) Merkwürdige Krankengeſchichte. GEL. [z]) Non impedit Sapo, quo minus eidem admixta calx viva nævo inurat eſcharam, quomodo ſapone alcali acre oleo involutum geſtante, acrius opium calcem vivam impediet, ut partem tota ſua virtute haud adurat. Nonne unum urens potius alterum juvabit? Ipſe certe HILDESHEIMIUS paulo ante, quam Opium dolores a cauſtico ita mitigaturum edixerat, ut non ſentirentur, ſimul confeſſus eſt, licet dolori a cauterio excitato Opiatum huic permiſcendo occurrere poſſimus, tamen non ſemper tutum eſſe Opio uti, vidiſſe enim ſe, quod talia potentialia cauteria cum Opio adminiſtrata tandem Gangrænam induxerint; quo ipſo cum Opium frigore ſuo certe necroſin haud excludat, id ſuo acri calore cauſticum juvare, ut tanto facilius parti mortificationem inducat, liquido perſpicitur. Atque ex his omnibus manifeſtum redditur, vim Opii topici anodynam non eam eſſe, quæ putatur, ſed adeo Opium cuſtodire virtutem anodynæ e diametro contrariam, id eſt ſumme irritantem.

Gratulor mihi in hac hæreſi, Orthodoxos ſe habentium Practicorum ſententiis adeo adverſæ, verſari quoque Cel.
a) *Pharm. extemp. p. 91. 92.* FULLERUM. [a]) En Confeſſionem ſuæ fidei, quam ſuppeditat. *Dubito*, inquit, *utrum externe applicatum Opium ſit vere anodynum*, nec ne, *namque ſale abundat volatili igneo*, & *ſulphure graviter fœtido. Inflammabile eſt*, *amarum*, *acre*

&

*& eousque calidum, ut vel in prima diſcutientium claſſe merito ponatur, & ferme cauſticum eſſe exiſtimetur. Atque propterea male mihi comparatum videtur, ad conſtituendum anodynum, cujus eſt prout mea fert ætiologia mitigare fervorem, quem dolor in parte concitavit, ſuggerere benignum rorem ad diluendam, & dulcificandam acrimoniam ſalium pungentium, atque ad leniendas & eo modo relaxandas tenſas, obtortas & divulſas fibrillas, ut partes ſolidæ ad ſtatum naturalem redeuntes fluidis tranſitum, ut oportet liberum concedant & promoveant.* Miror plures, & omnes Medentum, qui calidum & acre & irritans ingenium Opii vere introſpexerunt, ejus Vim Anodynam topicam eapropter non prorſus repudiaviſſe. At dicet forte aliquis, ſi irritat, irritabit etiam interne, & tunc etiam non erit anodynum; verum univerſalis Experientia hoc ipſum, non obſtante irritante virtute, tamen evincit. Poterit ergo & externe ſub ipſa irritatione eſſe Anodynum. Reſpondeo auctam & intenſiorem ſenſationem in parte, ſi eam Opium inducat, excludere omnino ſenſum hebetatum, quem ſupponit actio anodyni. Deinde ſi interne ſumitur, doſis eſt exigua, ratione doſeos externæ, ergo minus irritabit; porro, maxime ſi ſolutum deglutiatur, fluctuat in Ventriculo humido, unique loco non firmiter adhæret, ergo non poteſt irritare, ſed ſaltem vaporibus ſuis, quos quaquaverſum dimittit nervos afficere. Dantur tamen etiam individuales Ventriculi, qui ſolidam formam ſub qua facile plicis adhæreſcit, & ſtimulat, acremque amarorem non ferunt, ſed ad nauſeam & Vomitum diſponuntur, ut ab aliis irritantibus. Si experimentorum capiendorum gratia animalibus brutis largior paulo doſis intruditur, monſtrant omnino ſectiones, Opium in ventriculi inteſtinorumque internam ſuperficiem, ſatis manifeſte irritando egiſſe.

### §. IV.

*id quod in omnibus corporis locis ita ſe habere probatur, ut adeo ſi forte juvet, irritando juvet.*

Sed objiciunt, audio, nihilominus, qui de Opii etiam extrinſecus applicati virtute anodyna perſuaſi ſunt, docere tamen Experientiam, non obſtante ejus acrimonia, illam non eſſe imaginariam, ſed re ipſa ſeſe ſæpe ſæpius exerere. Quibus quidem ego regero, ſine dubio Opium externum ſi dolores mitiget, eos aliter, quam ſenſum inhibendo, & quandoque ipſa ſua acrimonia mitigare, ſed hac ipſa tamen illos etiam non raro mirifice exacerbare. Atque ut hoc paradoxon clarius eluceſcat, juvabit ire per omnia loca, quibus ordinarie admovetur, & conſiderare morbos ipſos, quorum reſpectu ipſis applicatur.

*in fronte, temporibus, naribus,*

Frontem, Tempora, Nares quod attinet, quibus locis ad deliniendos Capitis dolores, & arcendas vigilias Opiata topica admoveri ſolent, primo quidem largior, effluvia horum ad cerebrum breviore hic exiſtente via, commode penetrare poſſe, ſopientemque ſuam Virtutem præſtare. Verum in Cephalalgia & Agrypnia, maxime ſi a cauſa calida pendeant, & in morbis Capitis ad unum omnibus, Opium interne ſumtum loco ſperati boni effectus damna gravia inducere, & prægreſſis ac præſentibus adhuc magis ſonticas ægritudines accerſere, demonſtravi in ſuperioribus luculenter, quare etiamſi extrinſecus æque magnum & efficax foret anodynum, non minus damnoſum futurum eſſe eluceſcit ac intus uſurpatum. In Phrenitide vero ſpeciatim, & Mania, nil boni unquam, mali multum patrare Opium interno uſu, etiam ſuo loco aperte, ni fallor, commonſtravi, quare & extrinſecus præſtabit abſtinuiſſe, cum nec ut ſopiens, nec ut irritans prodeſſe queat.

Fœmina cœteroquin ſana, quandoque Colica habituali laborans, ſat ſæpe aſſumere adſueta erat laudanum liquidum Sydenhami, ſine alio effectu, quam ut quietior redderetur & dolores ceſſarent. Laborans Odontalgia graviore, alterutri temporum emplaſtrum applicabat, quod habebat grana ij Opii. Vix id applicaverat, cum corriperetur furioſo delirio,

ſpaſmo

ſpaſmo oris ſtipato. Abripiebat & abjiciebat emplaſtrum, delirium & convulſiones ceſſabant, ſaltem relinquebatur Cephalalgia levior, quæ ceſſabat recurrente dolore dentium. Conſignavit hanc hiſtoriam, quam alibi jam meam feci, Cel. LORRY. b) Fuit ſine dubio Fœmina, ex hyſtericarum familia, ſummeque mobilibus & ſenſibilibus nervis prædita, ut in parte cerebro adeo vicina intrans forte & per nares & per vaſa temporum Opii graveolens Vapor, ſubito illas mutationes potuerit inducere. Ferrent forte ſine his, multi hominum grana duo & plura Opii, Temporibus applicata, ut impune ſine damno, ita & ſine fructu. Nil refert, Emplaſtra, Unguenta, linimenta opiata in Variis Ventris ſupremi ægritudinibus commendari ab Autoribus & uſurpari, ex hypotheſi; quæritur ſaltem, an profuerint, & ſi prodeſſe viſa ſint, an profuiſſent, ſi alia remedia interna ſimul uſurpata, aut damna ex Opio nata non correxiſſent, & laudabili ſua ac indicationibus formandis conveniente operatione ea non ſuperaſſent, aut inertiam topici non ſuppleviſſent.

b) *Journal Encyclopedique Tom. I. Part. II. p. 72. 73.*

*auribus* Venio ad Aures, quibus in gravi dolore ad eum levandum Opium a Practicis indi ſolet. Patet vero ex omnibus Autoribus, quos §. I. allegavi, omnes ad recentiora tempora usque timuiſſe, ne frigore ejus, & Virtute ſtupefaciente tolleretur integer ſenſus auditus. Inde enim vel torrefactionem, vel caſtorei additionem, ut nempe noxia vis opii cicuraretur, ratam habuerunt. Hunc metum equidem inanem eſſe, optime animadvertit FULLER, c) quando dicit, *aliqui prohibent Opium in aures intrudi, ne ſcilicet Organi tonum laxet, obauditionemque inducat, quod mihi licet non experto, non videtur veroſimile.* Sed nullam mentionem facit FULLERUS alicujus noxæ, quæ Otalgiæ præſenti inde evenire poteſt. Scilicet licet non noceat Opio medens, intuitu ſenſus auditus, cui nil mali imminet a putatitio illius frigore, loco imminutionis doloris, quam intendebat, quod paradoxum videri poterat, eum potius mea ſententia graviorem

c) *p. 12.*

reddit. Nempe ut egregie docet HAMBERGERVS, [d] Auribus dolentibus, id eſt irritatis, applicatum Opium facile quatenus viſcidum & acre eſt, irritationem noxio gradu augere poterit. En ergo Opium non ſaltem non anodynum, ſed vere dolorificum! Turpiter ergo fallitur RIVERIVS, [e] quando ex hypotheſi de frigido ingenio Opii, in ſurditate a calida intemperie & exquiſitiore ſenſu, id permittit, cum per modo dicta ſub his conditionibus, maxime ab eo cavendum ſit. Memini me olim optimæ, eidemque agnatæ Fœminæ, poſt catarrhum ſurditate plenaria adfectæ, varia commendaviſſe, ſine fructu, tandemque acceſſiſſe ad maſſam illam otalgicam, quam ex caſtoreo, & ⊖e volatili cornu cervi compoſitam, cum goſſypio ciceris magnitudine auri immittendam commendat JVNCKERVS. [f] Sed illa quamvis irritationem & caloris ſenſum naſci animadverteret, diutius ibi relicta hac maſſa, graviſſimo dolore inflammatorio, per totum meatum auditorium, omne caput in conſenſum trahente corripiebatur, ita ut injectiones ex lacte cum ſpeciebus emollientibus cocto, ex oleo amygd, ex mucil. ſem. cydon., extus ſimul cataplaſmata emollientiſſima una cum purgante antiphlogiſtico ſuadere deberem, quibus uſurpatis & dolor tandem ceſſabat, & ſurditas. Si ergo caſtoreum & ſal volatile in meatu auditorio nondum dolente producere poteſt gravem Otalgiam, an eam præſentem Opium acrimonia ſalibus volatilibus par aut ſuperius, cum vel ſine caſtoreo inditum minuet? An piper unquam habitum eſt conveniens Otalgiæ remedium? An ergo ei quadrabit Opium urens inſtar piperis? Sique Otalgia ob doloris atrocitatem demere Vitam poteſt, annotante HOFFMANNO, [g] nonne tum Opium inditum dolorem & ardorem inflammatorium intendens eo citius efficere poteſt, ut Otalgia reddatur mortifera? Certe quando per alias obſervationes Scriptorum, & per eas, quos habet ZACVTVS LVSITANVS, [h] ab opio auribus dolore vehementiſſimo inflammatorio laborantibus

d) *diſſ. de Opio* §. 68.

e) *Operum p.* 219.

f) *in Conſp. p.* 226.

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p.* 491.

h) *Prax. adm. lib. I. obſ.* 61. 62. 66. 67.

tibus

tibus indito, tremor, amentia, mors ſubſecuta eſt, hæc mala non Opio ſenſum ſopienti & ſtupefacienti, ſed inflammationem & dolores exacerbanti tribuenda eſſe, clariſſime conſpicitur.

Miſſis vero auribus, accedamus ad Oculos! Veteres licet opium in horum dolore & inflammatione commendarent, ſat cauti tamen & timidi in ipſa applicatione fuerunt, ne frigiditate ſenſus Viſus læderetur, quemadmodum in auribus, ne perderetur auditus. GALENVS [i]) Collyria ex Opio multis detrimentoſa fuiſſe memorat, ita ut debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem induxerint. Poſtquam ſecundum Veterum & recentiorum placita de variis topicis in ophthalmia admovendis locutus erat PISO, deinde ita pergit: [k]) *Ab illis vero anodynis, quæ ſenſum auferendo dolorem ſedant, & narcotica vocantur, ſummopere cavendum eſt, cum ipſa vehementes fluxiones non reprimant, ſed excerni prohibeant, atque adeo ſi humores fluentes acres exſtiterint, corneam erodi contingit, ſi vero multi, ea magis irritatur, ac vehementer extenditur, ac ſi rumperetur. Niſi ergo Medicamentum fuerit ſummopere ſtupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si vero fuerit adeo vehementer ſtupefaciens, ut ex eo maximam inflammationem non ſentiant, neceſſarium eſt, ſimul vim viſoriam offendi, adeo, ut ceſſante inflammatione, vel debiliter vel nihil omnino videant. Hac de re ſuſpecta habenda ſunt talia medicamenta, neque liberalius admovenda etiamſi ingens dolor urgeat.* Similia habet fere, cujus Medicina Practica poſt editos PISONIS libros de cognoſcendis & curandis morbis demum lucem vidit HIERONYMVS MERCVRIALIS. [l]) *In ophthalmia,* inquit, *Medicamenta opiata fugiatis, id eſt illa, quæ maximopere refrigerent, quia, ut dicit Galenus, ſi opiata adhibeantur, aut ſunt vehementia, aut non. Si non ſunt ita vehementia, primo quidem appulſu leniunt dolorem, ſed paulo poſt cruciatum geminant, ſi vero vehementiora ſint, tollunt quidem dolorem,*

*oculis*

i) *lib. II. de Comp. Med.*

k) *lib. I. p. 199. 200.*

l) *lib. I. c. 38. p. 178.*

*ſed tollunt etiam viſum. Dices, cur igitur medicamenta Veterum a Galeno relata fere omnia Opium habent, dico ea eſſe prudenter excogitata, quia Opium illud adeo refractum eſt, ut ſi non juvet, etiam non lædat. Coguntur tamen Medici ob Sævitiam doloris interdum uti hujusmodi, ſed adhæreſcendum eſt Galeni conſilio, ut ſi utamur Opio, dolore ſedato illico foveantur Oculi calidis, ut mala qualitas ab Opio relicta auferatur.* Apparet ex his, quam miſera res ſit jurare in Verba Magiſtri, atque a præjudiciorum tyrannide dextrorſum ſiniſtrorſum trahi. Sequentibus temporibus, & recentiſſimis, Medici, & ii maxime, qui Opium frigidum falſo haberi introſpiciebant, & a frigore nullum ſenſui malum metuebant, in oculorum morbis id paulo audacius & confidenter adhibuerant, ut præſtans anodynum, quorum Catalogum §. I. exhibui. Inter eos autem Ill. BOERHAAVIUS & alium finem addidit. *In inflammatione oculorum,* inquiens, *Opium additur, Collyriis non ſaltem, quia ſopit, ſed & quia ob amarorem mirifice diſſolvit & aperit.* [m]) Magna ſane mihi ſummi Viri auctoritas eſt, ſalva tamen ea, vi omnium eorum, quæ in antecedentibus ediſſerui, primo aſſerere contra eum, & alios ita ſentientes audeo, ſopientem vim oculo applicati opii, vere nullam eſſe. Quod ne gratis & ſolus dixiſſe videar, cum non expertus ſecundum mea principia, in ophthalmia ab Opio, ob calorem ejus cognitum, æque caverim, quam ſuperiorum temporum Medici ob frigus cavendum voluerunt, loquatur pro me Celebris Ophthalmiater ANTOINE. [n]) *Quando dolor ſummus eſt,* inquit, *noſtri ſcriptores ſuadent, ut confugiamus ad Opium magna interim cautione, quia ex mente eorum ſpiritus & humores nimis inſpiſſat, atque ita viſum minuit. Non inquiram, an hic timor vero fundamento nitatur, quia animus mihi non eſt Opium uſurpandi. Scio tamen illud, licet interne aſſumtum ſomnum cieat, & dolorem ſedet, illam operationem non exerere, ſi externe loco dolenti applicetur. Sæpe enim expertus ſum Opium*

m) *de morbis Oculorum p.* 55.

n) *de morb. Oculor. edit. Germ. p.* 545.

*aliis*

*aliis remediis admiſtum, partibusque impoſitum dolores haud mitigaſſe.* Verum enim vero ſi ſenſum non ſopiat, poterit tamen, quod BOERHAAVIUS aſſerit, diſſolvere humores ſtagnantes, & aperire obſtructa vaſcula, quod præcipuum eſt in Ophthalmia, atque ita cauſam doloris tollere. Sed alibi [o]) dixerat idem laudatiſſimus Vir, in cataplaſmatibus receptum vim calefacientem habere, eam ergo & habebit in collyriis. Poſtulat vero omnis inflammatio non diſcutientia calida, ſed diſcutientia antiphlogiſtica, & refrigerare apta, hinc adeo magni uſus habentur ſal ammoniacus & ſacharum ſaturni, ſi in aquis ſic dictis refrigerantibus ſolvantur. Neque tamen & hæc, vere refrigerantia, quia tamen irritant, aliter prodeſſe ſolent oculo inflammato, niſi magna copia aquarum ſoluta fuerint. Memini cum Vratislaviæ per aliquot dies commoraretur Cel. Ophthalmiater TAYLORUS, atque me bis per horulam inviſeret, inter varia colloquia ipſum mihi ingenue confeſſum eſſe, inſtar arcani ſeſe habere collyrium ad ophthalmiam, ex unciis 8. aquæ roſarum, & ſachari ſaturni granis 4., atque tantundem ſalis ammoniaci. Quodſi vero tanta cautione oculo phlogoſi affecto immitti debeant diſcutientia & reſolventia antiphlogiſtica, quomodo acre & phlogiſticum Opium ipſi conveniet, licet etiam lacte muliebri dilutum inſtillaretur, quod AVICENNAE [p]) conſilium fuit. Quomodo cum refrigerantibus prudenter miſcebitur calefaciens, cum mollientibus & lenientibus, ut mucilagine ſem. cydon. albumine ovor. &c. acre hoc pharmacum? Nemo quantum recordor in vera inflammatione oculorum commendavit fel tauri, aloën, & alia amara acria, licet aliis morbis oculorum inflammationis expertium, ubi reſolutione ſtagnantium liquidorum opus eſt, eleganter inſerviant. Nemo ergo etiam ſat attentus ad omnia, facile ſuaſerit Opium. Igitur clariſſime conſpicitur, nec ſopiendi nec diſcutiendi reſpectu ophthalmiæ Opium poſſe convenire, atque morbum non ſaltem non levare, ſed ut omnia alia acria

o) *Catal. Plant. p. 362.*

p) *lib. II. Tr. II. c. 526.*

acria & calida, a quibus Medentes in therapia & diæta adeo ſevere dehortantur, intendere & deteriorem reddere. Id ipſum quidam clari Viri non potuerunt prætervidere. *Si vehementiores acrioresque dolores oculos comprehendant, quam ut æger ferre queat, ne collyriis ad torporem inducendum efficacibus, ut plerique ſolent, confidas*, monet TRALLIANUS.[q]) Addit ſimul, *Multi namque Opium quoque inſtillare auſi, præterquam quod nihil prorſus dolorem mitigarint, etiam valde adhuc offenderunt.* Rectiſſime quoque ſcripſit LUDOVICUS SEPTALIUS.[r]) *In ophthalmia Opii uſus neque frequens eſſe debet, neque multus, quia ob amarorem mordet, & dolorem auget.* Non aliter WEDELIUS[s]) ſentit, *Oculis dolentibus*, inquiens, *Opiata minus proſunt extus applicita, quatenus amaritie iſta ardor potius conciliatur, quam lenitur.* Atque quod de auribus dolentibus dixerat, id & de oculis dicit HAMBERGERUS,[t]) nimirum his dolentibus, id eſt irritatis, applicatum Opium facile quatenus viſcidum & acre eſt, irritationem noxio gradu augere. Sane quæ oculis admoventur, ut mea faciam verba PISONIS,[u]) oportet lævia eſſe, molliaque ſine morſu; ad hæc acre & mordens Opium non pertinet. Genio inflammationis cujuscunque repugnat ingenium Opii, atque ut interne in Ophthalmia non convenit, ita etiam non conducit externo uſu.

q) *lib. II. c. 1.*
r) *lib. VI. §. 93.*
s) *Amœn. Mat med. lib. II. ſect. II. c. 14. §. 9.*
t) *diſſ. §. 68.*
u) *lib. I. p. 199.*

*dentibus*

Ordo poſcit, ut jam ad Dentes accedam, videamque quomodo ad eos, & eorum dolores ſeſe habeant topica opiata ant-odontalgia, quorum omnium effectum negare velle inconſultum videri poterat, cum tot teſtimoniis id adſtruatur. Ut intelligamus accuratiſſime, quomodo hæc externa præſidia dijudicanda ſint, cogitemus omnem in genere dolorem tolli, ſi cauſa auferatur; ſi ſenſorium commune obtundatur, ut eam agentem non ſentiat; ſi continuitas nervi in loco affecto, cum ſenſorio communi tollatur. Non multum abſum, ut credam, Opium, quod interne acceptum, toties cauſam intactam relinquit, eam in Odontalgia, externa

actione quandoque removere, & remotionem ejus juvare poſſe, cum aliis, quibus additur. Errhina naribus, attrahentia, rubefacientia veſicatoria nuchæ & temporibus admota, ſæpius odontalgiam ſæviſſimam levant, & nulla quidem alia ratione quam ſerum catarrhoſum & rhevmaticum membranulas & nervulos dentis laceſſens, ad alia loca revellendo. De emplaſtro catarrhali brandenburgico, quod in ſcrupulo uno circiter grana duo Opii, complectitur, meminit alicujus caſus Cl. SCHVLTZIVS, x) ubi ab eodem impoſito, acerrima materia cutem, ſuper quam defluxerant guttæ erodens, evocata, omnem dolorem dentium hemicranoden feliciter abſtulit, cum multa alia præſidia in vanum fuiſſent adhibita. Nonne vero hoc emplaſtrum egit, ut lene veſicans, nil hic ſopienti virtuti tribui poteſt, id potius dum ſolum partem, cui imponitur, exulcerat, & epidermidem ejus elevat, emplaſtri totius veſicantem effectum juvit. Perinde vero fuiſſet, ſive Opium infuiſſet emplaſtro, ſive minus, modo alia ejus ingredientia eundem præſtitiſſent veſicantem effectum. Simile ſine dubio levamen fuiſſet inſecutum, ſi illud emplaſtrum in uſum vocatum eſſet, quod multis laudat RIDLINVS, y) ex anatica portione farinæ hordei & pulveriſati piperis, quodque temporibus & poſt aures applicandum ſuadet. Poſt emplaſtrum opiatum, a catarrhali brandenburgico non multum abludens, arteriis temporalibus in odontalgia admovendum, maſſam ſuppeditat Cl. FAUCHARD z) ex radice pyrethri, pipere, zingibere, ſemine ſtaphis, agriæ, macere, cariophyll. & cinam. cum aceto parandam. Hanc magnitudine fabæ in eo latere, ubi dolor ſævit, inter genam & gingivam poni jubet, quo facto ſalivationem ſubſecuturam & dolorem ceſſaturum dicit. Caret hæc maſſa Opio, ſed dives eſt acribus ſtimulantibus humorum affluxum allicientibus, idemque præſtat ac ſi haberet Opium. Poteſt tamen & Opium idem præſtare, ac alia acria attrahentia, rubefacientia, veſicantia, atque quandoque cauſam doloris tollere.

x) *diſſ. de Opiatis §. 43.*

y) *Cur. med. No. 823.*

z) *Chirurg. dentiſte edit. germ. p. 152.*

Vix mihi perſuadeo, id quando denti cavo applicatur, & nervorum ramulos immediate attingit, his narcoſin inferre, & hac ratione dolorem tollere, id enim ut ſtatuam, vetant rationes in antecedentibus ſuppeditatæ. Male illi, qui ab Opio denti indito mortui referuntur, id quod Paduæ Viro Veneto accidiſſe, narrat BENEDICTVS, ab Opio aliquoties denti molari immiſſo, periiſſe crederentur ab ejusmodi narcoſi topica, ad ſenſorium commune propagata. Etenim ſi perierunt, id factum eſt ſine dubio, quod aliquoties denti inditum Opium, maximam partem deglutiverunt. Si vero idonea ejus portio ea intentione applicaretur dolentibus nervulis carioſi dentis, ut vis ejus per hos nervulos communicaretur cerebro, quod ipſum ad ceſſationem doloris requiritur, præſtitiſſet remedium interne datum fuiſſe, ita enim multo certius eo penetrat. Rectiſſime mea ſententia RIVERIVS [a]) narcoticorum denti dolenti admotorum effectus, non minus quam cœterorum topicorum, admodum incertos eſſe, interne autem aſſumta certius dolorem conſopire teſtatus eſt.

a) *Operum p. 237.*

Nunc vero diſpiciamus, an Opium denti inditum poſſit efficere, ut continuitas nervulorum dentis cum ſenſorio communi tollatur, quo ipſo tertius modus involvitur, per quem dolor ceſſat. Fieri autem hoc poteſt compreſſu, diſſectione & exuſtione affectorum nervulorum, quibus omnibus ii inepti ad ſenſum redduntur. Monet Illuſtr. BOERHAAVIVS, [b]) Si comprimatur nervus, qui egreditur per canalem oſſeum, aquæductum Fallopii dictum, & vadit inter proceſſum Maſtoideum, ad dentes, dolorem ſiſti, & huic obſervationi forte nituntur omnes illæ artes, quando pone aures emplaſtra & unguenta opiata pro ſedanda Odontalgia applicari jubentur. Diſſciſſioni nervulorum in dente nullus locus, tanto magis autem exuſtioni. De hac egregie agit Ill. van SWIETEN, [c]) poſtquam artem comprimendi, quæ Empirico cuidam in uſu fuerat, enarravit. *Sæviſſimam odon-*

b) *in Comment. ſuo ad aph. 229.*

c) *Comment. Tom. I. p. 369.*

*odontalgiam*, inquit, *compeſcunt omnia illa, quæ dolentem nervulum in dente deſtruunt, hinc ſi in eroſo dente pateat via ſtylo ferreo candefacto illum comburunt, cum doloris præſentiſſimo levamine, modo ad nervulum dolentem calor igniti ferri pervenire poſſit. Hanc methodum jam commendavit Hippocrates. Alii eodem effectu acerrima olea ſtillatitia caryophyllorum, Origani denti cavo imponunt, quæ ſtatim nervum quem tangunt, ignea vi deſtruunt.* Perinde igitur eſt, ſi nervus deſtruatur, & ita continuitas ejus cum cerebro diſſolvatur, ſive cauſticum ſit actuale, vel potentiale, opium autem vere cauſticum eſt potentiale, oleo caryophyllorum, cinamomi, ligno guajaco, camphoræ, radici pyrethri, piperi, zingiberi, ſpiritui vini fortiſſimo, aceto fortiſſimo, quæ omnia dolentibus carioſis dentibus indi jubentur a Practicis, acria & ignea vi neutiquam cedens.

Ex talibus opio ſociatis conſtat remedium illud PARACELSI, quod ut infallibile commendavit BOERHAAVIUS. [d]) Ex talibus conſtat *Tinctura odontalgica Mynſichti & Wedelii*, quas laudatiſſima in permoleſto hoc affectu remedia, cum aliis laudatis haud conferenda, diu jam ſalutarunt *Medici Vratislavienſes*. [e]) Sed in his omnibus acria omnia æque juvant, ac Opium additum, ſique juvare poſſunt, juvarent ſine Opio, & Opium non aliter juvat, ac illa. Suadet de GORTER, [f]) ſi dens dolens non evelli poſſit, ut ad compeſcendum dolorem indatur narcoticum, vel uſtione membrana interna privetur ſenſu. Non vero hæc duplex, ut videri poſſet, ſed eadem prorſus medendi methodus eſt, cum narcoticum non aliter hic niſi urendo narcoſin inferat. Sane ſi actio Opii topica in dente abluderet ab actione acrium urentium, caryophyllorum, piperis, guagaci, radicis pyrethri etc. valde abſonum foret Opio ſopienti habito doloroſamque irritationem obtundere debenti, ſumme irritantia in uno eodemque medicamento jungere. Dum vero Opium hic agit ut acre, acribus aliis admiſceri poteſt, aut

d) *in Comment. ſuo ad aph.* 229.

e) *Hiſt. morb. Vrat. Anno* 1699. *p.* 21.

f) *Chirurg. repurg.* §. 914.

& omitti pro lubitu. Ut vero Opium & alia acria non tollunt dolorem, niſi adurant, & deſtruant nervulum, ita & hæc & illud, ubi deſtructio non abſolvitur, dolorem exacerbant, & quandoque intenſiſſimum reddunt, irritationem doloroſam irritatione medicamentoſa juvando. *Hegeſippo* apud HIPPOCRATEM [g]) *ſoporiferum inditum non obtinuit, ſed magis & violentius inſuper provocavit.* Atque hujus occaſione WEDELIVS [h]) topica narcotica ſæpe dolorem non tollere, ſed violentum magis reddere afferens, tutius eſſe & melius dicit, ut interne propinentur. Sed ſæpe & uſus internus omnia pejora reddit, ut Sect. II. c. 3. §. 38. docui, quamvis cum aliis HORSTIVS [i]) multus ſit, in eodem extollendo. Rectius Cl. YOUNG, [k]) qui de Uſu externo prorſus tacet, quem ſine dubio parvi facit, quamvis ſæpe interne ſumtum Opium Odontalgiam una nocte ſanet, ſæpe ſæpius tamen illud eſſe irritum & noxium monet, & ne quidem certo conſtare dicit, quando profuturum ſit. Ante paucas hebdomadas ipſe, poſt juventutis annos nunquam eo hucusque vexatus, horribilem dentium dolorem perpeſſus ſum. Carioſus erat & prorſus excavatus unus dentium Sapientiæ, & alius ex molaribus, carie incipiente adfectus. Unum & alterum, cum ſummis tormentis miſere mulctarer, eximi cupiebam. Sed huic ut parcerem, ſuadebat Chirurgus, illum ſine maxillæ læſione vix evulſionem admiſſurum ajebat. Sumſi una nocte bis laudanum, ob doloris atrociam, ſed manifeſte eadem inde ingraveſcebat. Confugiebam ad remedium *Paracelſi* omiſſo opio, ob rationes expoſitas, indebam denti oleum caryophyllorum, ſpiritum vitrioli, ſpiritum Vini rectificatiſſimum, tandem decoctum ſaturatiſſimum guajaci eidem admovebam, ſemper increſcente ad rabiem dolore. Cogitabam cariei complicari rhevmatiſmum, igitur faciebam ſecari venam, capiebam frequentius Rob. Sambuci cum nitro, genæ applicabam ſimplex cataplaſma emolliens, & pededentim tolerabilis reddebatur dira

g) *Popul. VI. ſect. 6.*

h) *Opiol. p. 138.*

i) *Epiſt. lib. II. Sect. 16.*

k) *de Opio c. 28.*

ægritudo, tandemque ceſſabat prorſus, neque per Dei gratiam, dum ſub Jove frigido & humido iterum curſito, recidivam paſſus ſum, id quod domo exiens valde metuebam.

Sed miſſo, qui me hactenus detinuit, Ventre ſupremo & ejus partibus, venio ad regionem Ventriculi. Ad cardialgias & vomitiones levandas ipſi inconſultis adeo Medicis Opiatam Theriacam applicant ſemi-doctæ Matres Familias, neque tamen hæc domeſticis ſaltem curis relinquitur, ſed diu ipſam applicari juſſerunt antiquiores & recentiores Medici, ut §. I. docui. Vidi ipſe ſat ſæpe extra caſum inflammationis, quo præſente perperam & cum damno in uſum vocatur, inde pulchros ſucceſſus. Neſcio vero, an Theriaca foris applicata non eſſet æque iners, ſi aromata non haberet, ac intus ſumta in variis affectubus iners obſervaretur, ſi deſtitueretur Opio. Toties juvant Ægros cardialgicos & vomentes fomenta ſpirituoſa, & calida aromatica ſine Opio, & ſine dubio toties ſemper & ubique juvarent, quoties juvat Opio imbuta Theriaca. Nolim negare, aliquid ſopientis elementi de Opio ex Theriaca penetrare poſſe per integumenta ad illud Viſcus, in quo ſuam operationem incipit, & magnam partem ob ſummum ejus commercium cum ſenſorio communi perficit, quando interne capitur. Crederem tamen citiorem & certiorem effectum futurum, ſi ubi indicantur, aromaticis externis, jungeretur uſus internus Opii, cujus tum doſis, Ventriculi ſubverſioni tollendæ par judicata, immediate in illum agens, felicius ſuam operationem exeret, quam quæ per integumenta ſeſe proripere, & ad ejus tunicas penetrare cogitur, antequam agat, a Medico non exacte in emplaſtro theriacali determinanda. Idem judicium eſto de ejusdem applicatione ſuper abdomen, in inteſtinorum morbis, in quorum medela non minus lubentius, ſi Opium permittitur, id vel ſolum, vel in diaſcordio, & theriaca, interne adhibitum, quam extus in uſum vocatum mallem. Lumbis & Uteri regioni admotum Unguentum

*regione Ventriculi*

Comitiſſæ, ut roborandi fine irritum eſt, ita & ſpasmos abortivos vix avertet & coercebit, cum in libris forte quatuor vel quinque duos ſcrupulos Opii complectatur, quod in trochiscis de Carabe continetur, unde, ut bene notat Cl. SCHVLTZIVS, [l]) parum vel ſperandum ab illo vel metuendum erit.

l) *diſſ. de medicamentis Opiatis.*

*Articulis*

Pergo ad Articulos, & ægritudinem eorum, Arthritidem, ſpeciatimque Podagram. Vix equidem audeo contradicere aſſertis Clariſſimorum Virorum, quos antecedente §o. I. adduxi, puto tamen, me clariſſime monſtraſſe §o. II. Opium ſenſum haud minuere ut topicum. Dubium eſt, an Opium fuerit, an aliud remedium, quo *Servius Clodius*, Eques Romanus, magnitudine doloris in podagra coactus crura perunxit, quem poſtea ſenſu omni, æque ac dolore in ea parte corporis caruiſſe, refert PLINIVS. [m]) Olet hæc hiſtoria manifeſte vetus præjudicium. Majorem mihi fidem mereri videtur extra omnem exceptionem locatum PLATERI teſtimonium. [n]) Is nempe, licet alioquin plenus fiducia erga Opium, fidelis enarrat, ſe nunquam deprehendere potuiſſe, quod ab externo narcotico cuti applicato ea ſtupida aut indolens reddi queat, ſe interim ut certi aliquid cognoſceret, Maſſam Opii emollitam parti podagricæ dolenti applicaſſe, ſed ſine fructu. Velim hic in memoriam revocent Lectores mei, quæ de topicis in genere notavit Expertiſſimus Podagricus SYDENHAMVS. [o]) Nulla ipſi innotuerunt alia, licet plurima tum in ſe ipſo, tum in aliis adhibuerit, præter refrigerantia, quæ tamen omnino valde inſecura eſſe pronunciat. An vero Opium topicum aut refrigerat aut repellit? quis ejus ingenium cognitum habens non largietur, id & calefacere, & acrimonia ſua irritante attrahere, ergo hoc reſpectu dolorem lenire minime poſſe. An vero, ſi vere teſte experientia, cui tamen PLATERI Experientia refragatur, podagræ mulcendæ inſerviret, partem non refrigerans, nec conſtringens, nec ſtupefaciens, at ignem potentialem con-

m) *lib. XXV. c. 5.*

n) *Prax. lib. I. c. 5. p. 156.*

o) *p. 600. 601.*

continens, & externe eo potius, quam halitu narcotico agens Opium, forte ejus actio aliquid Analogi haberet, cum præſtantiſſima cauteriorum materia, ut KÆMPFFERO [p]) vocatur, Sinenſium & Japonenſium Moxa, quæ igni aptiſſima, moderate gliſcens ſcintilla minus conſpicua temperate ardet, & urit, anne eadem ratione dolorem leniret, ac antiquis uſitata verberatio cum urticis, vel inunctio balſami ſulphuris terrebinthinati. Verum quomodocunque conſiderare aliquis voluerit Actionem Opii topici in Podagra, probe perpendere debet verba laudati SYDENHAMI. *Si quis*, inquit, *remediorum externorum, quæ pro anodynis indubitatis habentur, virtutem probare velit, non fucum ſibi faciat eadem ſub declinatione paroxyſmi particularis applicando, quo tempore dolor jam ſponte ſua ceſſaturus eſt, quin potius ſub initium Paroxyſmi iſta uſurpet, & ſtatim edocebitur, quam ficulneum ſit illud auxilium, quam vana ſpes, qua de cauſa egomet jam a multis annis nulla remedia externa adhibui.* Addo ego his omnibus hactenus expoſitis, ſi SYDENHAMO [q]) Judice, laudani uſum internum omittere præſtat, niſi dolor patientiam multum vincat, præſtare etiam deberet omittere uſum externum, ſi etiam ſenſus obtuſionem inde expectare licet, quod tamen vanum & fruſtraneum eſt.

p) *Amœnit. exotic. Faſciculo III. obſ. 12. §. 3.*

q) *p. 601.*

Hæmorrhoidibus cum ſummo ardore dolentibus, perperam & male Opium applicari, non obſtante ipſius SYDENHAMI & aliorum Clariſſimorum Virorum conſilio, ſum convictiſſimus. Nocere potius manifeſte debet, niſi forte pauculam ejus quantitatem ſuperet, aliorum magis convenientium ſimul applicatorum copia & energia. Neque ſopit hic, ſed irritat, ut aloë & myrrha, olea adeo, ut verbaſci ac hyoſcyami, & unguenta omnia, niſi recentia fuerint, rancida acrimonia nocent, camphoram quoque non bene ferunt dolentes cœcæ hæmorrhoides, quomodo ferrent Opium æque calidum. Minus certe aptum his eſt diſcutiens, calida diſcutientia omnia nequaquam conveniunt, ſola curatio

*hæmorrhoidibus*

tio antiphlogiſtica prodeſt, ad quam epithemata mollia, refrigerantia, moderate adſtringentia, maxime ſaturnina ſpectant, a quibus abeſſe debet phlogiſticum Opium. Caute hoc applicandum vult ETTMÜLLERVS, [r]) cum ad Gangrænam diſponat. Si eam invitet aliis contranitentibus ſibi ſociatis haud impeditum, hoc non patrat virtute ſua infrigidante, & ſtupefaciente, ſed acrimonia ignea, inflammationem auget.

r) *in Colleg. Caſuali Caſ. 13.*

*inteſtinis*

Suppoſitoriis autem dum utimur, aut ſtimulandi aut mulcendi nobis eſt intentio. Prioris reſpectu poſſet equidem locum habere Opium, nemo autem Practicorum id facile huic fini unquam deſtinavit. Sed turpe eſt, ad demulcendum & mitigandum, in morbis illis confugere ad irritans calefaciens & mordens Opium, in quibus muco ſuo blando privatum, excoriatum, eroſum, inflammatum, exulceratum eſt inteſtinum rectum, quod ita ſeſe habens, non niſi mollia mucilaginoſa, oleoſa & leniſſima balſamica poſcit, irritationem, inflammationem, dolorem, teneſmum, unice mitigare apta. Quam inepte talibus e diametro contrarium in ſuppoſitoriis adjicitur Opium! Nihil mihi in mea Praxi fuit cum perverſa adeo, & inter ſe pugnante medicatione. Sphacelum inditum ano Opium omnino excludere poteſt, quod eveniſſe paſſim Auctores memorant, non vero ſtupefaciendo ſenſum, ſed inflammatæ parti ignem addendo nondumque inflammatam ad inflammationem diſponendo, & tragicos eventus inflammationis citius accerſendo.

A Suppoſitoriis tranſeo ad clyſteres opiatos, quos licet interdum & ab his, ut ab illis mortem ſecutam ſcribant Obſervatores Medici, [s]) tamen varii Practici ſecuriores habuere, quam Opium per os exhibitum, quod interdum circumſtantiæ obveniant, ubi tuto id ventriculo committi nequeat, ut ex eorum ſententia in acutis, phreneſi humorumque æſtu, & inde pendentibus Vigiliis. Ita ſtatuunt poſt SAVANAROLAM, & ERASTVM, SENNERTVS & MERCATVS,

s) *Vide Tillingium de Opio p. 46. & Sennertum lib. VI. Prax. Part. VII. c. 1. qui varia exempla collegerunt.*

quos

quos citat WEDELIUS, [t]) ipſe utroque modo vel ſuperiore vel inferiore gutture exceptum Opium officium ſuum facere, affirmans, melius vero praeſentius et tutius *ἄνω* aſſumptum, quam *κάτω*. Pro Vſu tamen hoc poſteriore, cum multis, ex quibus ſua hauſit, militat PISO, [u]) atque praeter citatos a WEDELIO, RIVERIUS [x]) contendit, quod laudanum opiatum in clyſteribus uſurpatum ſatis potenter et tutius ſomnum conciliet, quam per os exhibitum. Videamus jam accuratiſſime, quid veri his vel illis ſententiis inſit. Id extra controuerſiam locatum eſt, atque evictiſſimum, Opium Ore aſſumtum primam et praecipuam Operationem, quae deinde per omnem neruorum ſyntaxin diffunditur, exerere in Ventriculum, et eidem appenſa inteſtina, omnemque periſtalſin debilitare, et inhibere. Pariter vero etiam, quod egregie notavit BOERHAAVIUS, [y]) certiſſimum eſt, ſi theriaca, mithridatium, diaſcordium, Philonium et ipſum Opium admiſceantur clyſteribus, intra horam ſubſiſtere motum periſtalticum, ita ut homines 24. horarum ſpatio, ne ſemel quidem alvum deponant. Ita igitur prorſus perinde eſſe videtur, ſive quis Opium ore deglutiat, ſive id clyſmate in inteſtina ſua faciat injici. Vix interim dubium eſſe videtur, citius commune ſenſorium affici debere, ſi illud ore capiatur, quam ſi per alvum infundatur. Quodſi autem penſitetur tripla, quadrupla, et adhuc majore quantitate ordinarie admiſceri clyſmatibus Opium pro una applicatione, quam ore ſumendum pro uno praebio praeſcribitur, conſequitur facile, tardiorem etiam ex craſſis inteſtinis cum cerebro et omni nervea ſyntaxi communicationem, tamen majori quantitate ſuppleri, adeoque eosdem effectus per totum corpus, et in omnibus ejus partibus inque omnibus functionibus ab opio mutandis expectandos eſſe, ſive minor ejus portio ore, ſive major inteſtino recto excipiatur. Obſervavit Cl. STUBS [z]) Jamaicae incolis familiarem eſſe curationem colicæ per enema ex libra una ſpiritus Vini communis,

t) *Opiol. p. 138.*

u) *lib. III. p. 103.*

x) *cap. de Phrenitide.*

y) *de morb. Nerv. p. 701.*

z) *Philoſ. Trans. No. 37. p. 271.*

munis, ſed inde mirum quantum eos inebriari, et furioſe debachari. Inebriationem a Clyſtere ex vino in muliere abſtemia habet etiam BORELLUS,[a]) qui ab ejusmodi clyſteribus vinoſis quandoque falſam phrenitidem inſequi ſcribit; atque vere delirium ab enemate ex vino & aromatibus eveniſſe, notat RHODIUS.[b]) Nonne igitur & Opium ſpiritui Vini & Vino analogum, clyſmate applicatum, æque turbare poterit cerebrum? quamvis majori doſi opus ſit, quam quæ pro turbatione cerebri ore aſſumenda fuiſſet. Id ſane multae obſervationes docent. In Cane, cui opium aqua ſolutum, ut clyſma injici fecerat LORRY, prorſus eadem phoenomena obſervavit, ut in aliis, quos id deglutire coëgerat, ſpumam ante os, tremorem per totum corpus, nutans caput, pedes poſteriores paralyticos ſomnolentiam cum pavoribus. Non vero opus provocare ad animalia bruta. Uxorem alicujus pharmacopoei, ex applicatione clyſmatis opiati, ob atrociſſimos dolores coli, incidiſſe in Coma annotavit SALMUTHUS.[c]) Seni nephritico, cui ad ſedandum dolorem opium in clyſtere miniſtraſſet, id linguae titubationem ad tempus induxiſſe, retulit PLATERUS.[d]) Virum quendam extinctum ab imperito Medico, qui renuente docto Pharmacopoeo ipſe doſin nimiam a ſe præſcriptam, propria manu clyſteri immiſcuit, BORELLUS[e]) narravit. Non igitur immerito ſcripſit GEOFFROY,[f]) *Opium cum clyſteribus in inteſtina injectum eosdem producit effectus, ac per os ſumtum, imo ſæpe majores, & graviora nonnunquam inducit ſymptomata.* Vix ergo probari poterit ſecurius eſſe Opium in inteſtino recto, & colo, quam in Ventriculo, facile nempe æquare poteſt vis a largiore doſi in inteſtinis craſſis hærente ad cerebrum longiore via pergens, illam vim, quæ a parciore in Ventriculo hærente breviore via ad id defertur. Omnibus rite expenſis potius conſtare debet, multo ſecuriorem eſſe Uſum per os. Merito HECQUETUS[g]) Praxin illam, qua Opium ſolutum clyſtere infundi-

tur

a) *Cent. I. obſ. 56.*
b) *Cent. I. obſ. 38.*
c) *Cent. II. vel III. obſ. 97.*
d) *Obſ. lib. I. p. 136.*
e) *Cent. IV. obſ. 92.*
f) *Mat. med. Tom. II. p. 713.*
g) *p. 284.*

tur taxat, quia doſis nimis incerta eſt, et facile damna inducere poſſit. Sane non relictum eſt Medici arbitrio, determinare pro lubitu, quantum energiæ de doſi largiore infuſa cum clyſmate nervis communicare debeat, cujus mora in corpore mox per brevius, mox per longius temporis intervallum durat. Determinatio vero illius doſeos, quam ore capiendam ſuppeditat Medicus, prorſus illius libertati ſubjacet. Præferendus ergo omnino Uſus Opii, qui ore obtinet, clyſmatibus Opiatis, niſi aliquid aſſumtioni in Ventriculum et retentioni in eodem adverſetur, ut enormis Vomitus, ingeſta pharmaca ſine permiſſa ipſis ulla actione extemplo rejiciens; praeferendus ille uſus per os tanto magis, quo magis certum eſt omnem morbum inteſtinalem ſi opio indigeat, æque certo ab Opio in Ventriculo hoſpitante hujus virtutem expectandam habere, quam ſi immediatus contactus Opio cum inteſtinis intercedat. Obſervavit quippe Cl. ALSTON,[h]) ſæpe vehementiſſimum teneſmum uno momento aliquibus guttulis laudani liquidi expugnatum fuiſſe. Congrua doſi Opii exhibita eundem effectum vidit YOUNG,[i]) qui dyſentericum adeo teneſmum opio per os exhibito, & demulcentiſſimo enemate ſine addito opio ſanandum eſſe docet. Sique forte non in recto inteſtino & colo, morbi ſedes eſt, ſed in inteſtinis tenuibus, & a ventriculo, & a recto inteſtino, æque longum iter erit ad locum affectum, vi medicatrici Opii decurrendum. Non diffiteor, me plus ſimplici vice & ut Collegis meis haud reluctarer pertinax, & ut effectum penitius addiſcerem, clyſmata Opiata infundi ægris feciſſe; verum ſemper anceps hæſi, anne prorſus idem emolumentum, quoties illa juvamen attulerunt, a deglutito Opii præbio, ejusque repetitione expectandum fuiſſet. Fœmina ſexagenario major, cœteroquin utcunque ſana, inclinante autumno ſub veſperam frigori ſemet expoſuerat, largiterque comederat horæos fructus. Altera die immoderata corripiebatur diarrhœa, ita ut fere ſine ulla intermiſſione

h) *Obſerv. Edinburg. No. XII. ſect. III. §. 12.*

i) *Sect. VIII.*



per

per multas horas, ad leuiſſima tormina & murmura in inteſtinis, alvus flueret, fæcibusque omnibus expulſis, tandem liquamen tenue ſaltem magna copia egereretur. Data erat laudani liquidi doſis ſine fructu, ſumebatur potio ex aquis aromaticis, abſorbentibus, & theriaca ſingulis horis. Cum nil efficeretur, clyſma bis applicabatur ex decocto Cort. Granatorum, cum Therebinthina vitello Ovi ſubacta & theriaca. Sic remiſſio fluxus obtinebatur, murmuraque inteſtinorum aliquoties ferebantur, ſine excretione ſtatim ſubſequente. Tandem in uſum vocabantur pilulæ ex theriaca adjecto ſucco catechu iteratis vicibus. Ita prorſus ſilebat fluxus & ægra reſtituebatur. Nonne vero decoctum adſtringens cum terebinthina æque profuiſſet, ſi theriacæ idonea quantitas vim morbi tandem ſuperans per vices ore fuiſſet aſſumta? Vidi vero alio tempore evidentius perinde eſſe, in ejusmodi caſu, ſive Opium ore, ſive inferiore gutture ingeratur. Fœmina 48. annorum laxa fibra, ſucci plena, vitæ ſedentariæ deditiſſima, adeo copioſa diarrhœa laborabat, ut Medicus cohibitione opus eſſe cenſeret. Præſcripſerat pulveres ex abſorbente ſucco catechu, & laudani grano dimidio ſingulis 4. horis capiendos. Sumſit 8. tales pulveres ſine fructu. Dedit igitur Conditum theriacam habens per idem temporis intervallum repetendum. Advocabar tum ego, cumque ægra nauſeoſum remedium quereretur, proponebam clyſma ex decocto Granatorum, terebinthina cum vitello ovi ſubacta et theriaca. Applicabatur, videbanturque deinde dejectiones remittere. Sed denuo ingraveſcebant. Conſulebat ille diaſcordium ad drachmam unam ſingulis 4. horis capiendum. Ob generoſas has & iterandas doſes putabam abeſſe poſſe clyſma, ſed ille conjungendum putabat, quin & minorem a me præſcriptam doſin theriacæ ad dimidiam unciam usque augebat pro una vice, veſperique & dein altero mane injici volebat. Sed & una & altera vice brevi rejiciebatur, dejectionibusque perdurantibus iterum 8. vicibus

ſingulis

ſingulis 4. horis drachma una diaſcordii ſumebatur, malo mitius tum affligente. Hinc eadem doſis adhuc ſingulis 8. horis 6. vicibus dabatur. Sicque morbus tandem ad tempus vincebatur. Mirabuntur, ut obiter notem, Lectores mei, tanta vi opiatorum opus fuiſſe, ad ſimplicem diarrhœam ſuperandam. Forte vero ſi mea conſilia fuiſſent admiſſa, fluor alvi ſine ullo dolore, ſine ulla febre, in laxo corpore, & laxis inteſtinis, quæ ingeſta immutata emittebant, roborantibus unice datis citius auſcultaſſet, qui lacte, lacticiniis tenuibusque juſculis ſaltem aſſumtis aliquoties exacerbabatur, ſicque inertiæ & languori fibrarum ſuos natales ſe debere luculenter, ni fallor, commonſtrabat. Sed de his ſatis.

Quodſi vero clyſmata Opiata flagitari videantur, aut Practico ad omnia, quæ hactenus diſputavi, non attento magis arrideant, quam Opium ore ſumendum, non tamen unum idemque eſſe putaverim, ſive Opium, laudanumque ſolum, aut Opium in theriaca & diaſcordio recipiatur, quamvis doſis ſimplicis Opii cum ea quam compoſitum habet ſit prorſus eadem. In theriaca & diaſcordio, Opium ipſum acre, largo ſtipatur comitatu aromatum, radicum, herbarum, ſeminum, gummi reſinarum, balſamorum acrium, quæ omnia in omnibus morbis inteſtinorum, ſi eorum indoles rite æſtimetur, ſalubria aut adiaphora nemo bonus Medicus habuerit. Ubi ingenium ægritudinis cum opio acria calefacientia aut permittit, aut & poſtulat, ut in diarrhœis ſimplicibus, colicisque & vomitubus a cauſa frigida ſine febre, non ſaltem nil nocet, ſed præſtat Theriacam, mithridatium & diaſcordium præ Opio exhibere. Aliter vero cenſendum eſt, quando acre ſtimulans inteſtinis inhæret, quando ea diatheſi inflammatoria, aut vera inflammatione laborant inſuperque eroſa, excoriata, exulcerata ſunt. Viſciditate ſua, ut gummata, ſagapenum & ammoniacum, ita & opium plicis inteſtinorum ſe inſinuare poſſe, & moras nectere, igitur caute agendum eſſe, & ſi cum clyſteribus infundi debet, antea ſolvi

& bene dilui debere monet WEDELIVS. [k]) Pariter de Opio cautionem tenendam inculcavit HERRMANNVS: [l]) *Additur*, inquit, *etiam clyſteribus, ſed decoquitur in nodulo incluſum, ne ſe applicans inteſtinis tormina excitet.* Si hoc tenendum eſt de uno ſoloque Opio, non ſane ſatis mirari poſſum, tot illuſtres Practicos in dyſenteriis, in quibus inteſtinorum irritatorum, nudatorum, inflammatorum, exeſorum, exulceratorum ſumma ſenſibilitas eſt, non tantum non reformidare, ſed liberaliter & unanimi conſenſu commendare in enematibus largas doſes theriacæ. Quotquot exiſtunt Medici, qui de hoc morbo laudabiliter ſcripſerunt, omnes quam ſeveriſſime in Curatione cavendum jubent, ab omnibus qualibuscunque acribus, quæ ulla ratione nimis jam irritatos nervoſos inteſtinorum villos magis adhuc irritarent, hinc tantopere laudant mollia mucilaginoſa, oleoſa pharmaca, lac, tragacantham, gummi arabicum, radicem altheæ, ſal ab, oleum amygd. cremorem hordei etc. Attamen nihilominus, ex tot acribus & calefacientibus compoſitam theriacam, in qua ſolum Opium ad medelam facere poteſt, omnibus reliquis ingredientibus ne hilum proficientibus, applicant, collaudant, & præter omnem neceſſitatem ignem corpori ægrotantis inferunt, qui ſi moriatur, unice nata ex igne inflammatorio gangræna perit. Quis mediocriter attentus non capit, quando ut SYDENHAMVS convenienter loquitur, omnis morbi dyſenterici vis ad unum inteſtinum rectum tendit, quando id eapropter nudum, excoriatum, eroſum, inflammatum, exulceratum fuit redditum, non niſi emollientiſſima & demulcentiſſima clyſmata locum habere. Hac tamen rerum facie non obſtante peritiſſimi Viri jubent, ut ita comparato inteſtino recto, immediate applicetur in theriaca, cum Opio, piper, dictamnus, zingiber, cardamomum, ſcilla, agaricus, calamus aromaticus, galbanum, ſagapenum & quæ ſunt reliqua, quibus omnibus ſolis, in inteſtino recto ſaniſſimo, facili opera te-

neſmus

k) *Opiol. lib. II. ſect. III. c. 2. p. 139. 140.*

l) *Cynoſ. mat. med. Part. I. c. VIII. p. 625.*

neſmus creari poſſet. Nonne ſatius foret, in torminibus, & teneſmo dyſenteriæ, indicatum Opium, quod ſolum ne quidem niſi valde ſolutum & dilutum, ob proprium ingenium acre inteſtinis ſenſibiliſſimis applicare vellem, in magna copia lactis, aut oleo aut decocti emollientiſſimi, in qua ceſſat eſſe acre, non interim ceſſans eſſe Opium, diſſolvere, & miſſis omnibus aliis acribus additamentis, inde clyſma conficere? Diſſolvitur equidem ex præſcripto eorum, qui Theriacam in clyſteribus adhibere amant, & hæc in lacte, in decoctis ſem. lini, rad. alth. etc. additis blandiſſimis oleis, ſed pugnat hæc miſcela inter ſe invicem, acrisque & calidus apparatus unciæ unius vel & unius cum dimidia theriacæ, ex conſilio adeo SYDENHAMI in liquoris mulcentis libra dimidia non obtunditur & enervatur, ſed enervat potius omnem vim mulcentem liquoris, quam tamen cupimus, & inteſtinis morbo laborantibus deſtinamus. Longe facilius gr. ij, iij, vel iv acris Opii ita occultantur in libra dimidia lactis, & addito eidem oleo, ut plane non aut leviter ſaltem irritent, ſalva manente eorum virtute anodyna, quæ ſi opium haud ineſſet theriacæ, in hac prorſus nulla foret. At vero clyſma ex mero oleo, aut ex ſpeciebus mucilaginoſis, dato ſimul eodem tempore ore aſſumendo Opio, æque forte certo ſopit, & lenit, quam ſi ultra unciam Theriaca in clyſtere inteſtinis injicitur. Si judice YOUNGIO, niſi irritatio tollatur, opium non niſi ad tempus teneſmum mitiget, hicque exſpirante vi Opii iterum redeat, quid expectandum erit, ſi una cum ſopiente Opio, irritantia eodem tempore loco affecto applicentur. Attendi velim curatius ea, quæ habentur apud præſtantiſſimum de dyſenteria Scriptorem DEGNERVM, ſi SYDENHAMVM excipias, omnes forte reliquos poſt ſe relinquentem. Laudat ille [m]) clyſteres ex oleo lini, & lacte vaccino addita theriaca, vel ex ſolo puro puto & ſolummodo tepefacto oleo lini. Utrumque genus clyſterum ſummo fuiſſe emolumento dicit,

m) *Cap. III. §. 59.*

cit, dolores & tormina mirum quantum compeſcendo. Sed addit, ſe imprimis obſervaſſe purum oleum lini in ſedandis doloribus præ cœteris laudabili effectu pollere. Adeoque niſi omnia me fallunt, hoc priori, quod Theriacam habet, ipſe præfert. Sane ſi unquam, quod Autores memorant, Opium ut in ſuppoſitorio, ita & in clyſmate admotum, mortem excluſit, non facilius eam excludere poteſt, quam in inteſtino recto dyſenterici. Non vero ſi id hoc patrat, eam inducit cohibendo ſanguinis motum, verum eum incitando, copioſius irritatione alliciendo, inflammationem augendo, & eam ad necroſin diſponendo, tantoque certius, ſi acribus pluribus juvetur. Uſurpavi olim ipſe, Sydenhamianam medendi methodum præcipue meam faciens, in dyſenteria ſananda, Clyſmata theriacalia, verum cum inde aliquoties ardorem & dolorem exacerbatum, & teneſmum, loco ſperati leniminis, multo graviorem redditum obſervarem, deſtiti ab hac medela lubens, ſolaque demulcentia clyſteribus conficiendis deſtinavi, atque Opium non niſi ore aſſumendum ægris meis porrexi. Falli ſæpe mirum quantum credo Medicos, quando hi, ubi clyſma theriacale dyſenteriam non ſanat, ſed pejorem fieri ſinit, inſuperabilem vim morbi accuſant, dum minus bene quadrans remedium accuſare debebant.

§. V.

*Omnia hæc & valent circa uſum chirurgicum.*

Supereſt Uſus Opii chirurgicus, quem ſi æqua inquiſitione expendo, talem deprehendere in inflammationibus, vulneribus, ulceribus, quicquid agam, non poſſum, qualis Viris clariſſimis videtur. Non levatur vulneris dolor, niſi heterogeneum, & id omne, quod irritare valet, eximatur, niſi tumor ejus inflammatorius tollatur, niſi nervorum læſioni conſulatur. Id ni fiat, aut fieri queat, nil juverit applicaviſſe emplaſtra & cataplaſmata opiata, a quibus & ſenſus, manente, nondumque remota cauſa, obtundi nequit, per ſæpius dicta. Imo vero potius ſua ardente acrimonia am-

ambuſtis, & inflammatis partibus admotum, ſenſum ardoris debet augere, & omnes ejus ſequelas intendere. Tantum certe abeſt, ut quod inter alios eloquitur FABRICIVS ab AQVAPENDENTE, [n]) Opium cum aliis narcoticis membris inflammatis, ubi calor ſummus eſt, admotum, ſua vi infrigidante magnum emolumentum adferat, ut potius prorſus contrarium patret. Recte Felix WÜRTZIVS ſcribit: [o]) *Sunt alii, qui Opium addunt Unguentis ad ambuſta, ſed quantum ego intelligo, exiguo cum fructu. Gummi hoc etiam in nullis Vulneribus eſt utile, nam externe admotum non lenit, & refrigerii ſenſum ciet, ſed experientia teſte ardet in vulneribus & ulceribus.* Conſentit ex recentioribus ALSTON, [p]) qui ſolutum in aqua Opium quoties excoriatis partibus & vulneribus applicavit, ſe ſemper id urens & mordens, ut ſpirituoſa quævis inveniſſe notat, dolore per aliquot minuta durante. Facile intelligo, detergentia vulnerum & ulcerum bonumque pus motura omnia eſſe acriuſcula, vel & acria, hisque aliquando ad impuritates abſumendas opus eſſe. Atque huc traho ea, quæ lego apud BERGERVM. [q]) *Sæpe*, inquit, *ſolutionem Opii ſpiritu vini factam vulneribus & ulceribus ſero tenui manantibus cum turunda inditam novimus, nec inde aliud eveniſſe obſervavimus, quam exſiccata loca manantia, & bonum pus genitum fuiſſe.* Dandum hic aliquid ſpiritui Vini, cœterum vero Eſſentia Opii nil aliud præſtitit, quam præſtitiſſet Eſſentia ſuccini, Aloës, myrrhæ, etc. vel alia calida & acria. Uſum topicum opiatæ Theriacæ in vulneribus venenatis, de quo inter alios agit FABRICIVS ab AQVAPENDENTE, [r]) antiquitati communis error introduxit, Theriacam eſſe univerſale Antitoxicum, quo præjudicio ruente, corruit omnis vis remedii. De Gangræna Opio cohibenda miror tanta fiducia ſcribere HECQVETVM. Ut falſum eſt, Opium inſito ſuo frigore et ſtupefaciente vi partibus, quibus imponitur gangrænam inducere, ita et falſiſſimum eſt, id im-

n) *Chirurg. Part. I. lib. I. c. 7. in fine.*

o) *Part. II. de Curat. Vuln. c. XVI. p. 294.*

p) *Obſerv. Edinb. Tom. V. Part. I. No. XII. ſect. III.* §. 8.

q) *diſſ. de Vi Opii rarefaciente* §. 2.

r) *Part. II. c. 113.*

pugnare Gangrænam. Certius eſt, quamvis hoc judice BOHNIO [s]) inter traditiones vulgi referatur, id membris inflammatis admotum, gangrænam ad mortificationem usque inducere poſſe. Novit eximius TISSOT, [t]) Fautor & Amicus meus æſtumatiſſimus, hominem, digitis unius pedis carentem, quos perdere debuit ex horrenda Gangræna, cito excipiente applicatam Tincturam Opii, ſcopo phlegmonoïdeum dolorem fugandi. Quamvis vero opiata ſua narcoſi inflammatæ parti putredinoſam corruptionem haud inferant, præſtare tamen hoc poſſunt ſua acrimonia irritante, rarum quippe non eſt inflammationem, quæ vero antiphlogiſtico remediorum apparatu reſolvi aut in benignum abſceſſum converti potuiſſet, acribus calidis quibuscunque, Opio analogis, reſolvendi fine imprudenter admotis in Gangrænam abiiſſe, id eheu! plus ſimplici vice vidi.

s) *de officio Medici dupl. Part. I. Cap. 19. p. 363.*

t) *Tract. de Variolis etc. ad Hallerum p. 14.*

Nolo dum in inquirendo uſu topico Opii in Chirurgia occupor, ſilentio prætermittere Cancrum. Poſt alios bene multos, qui eidem favent in hoc diro ægritudinis genere, unus inſtar omnium allegatus ſufficit Illuſtr. van SWIETEN. [u]) Emplaſtris admiſceri dicit Vir ſummus narcotica, quæ ſua efficacia nimis irritabiles nervos per cancrum & ejus integumenta diſperſos, ſopiant parum, ſicque metuendum hic pruritum compeſcant & moleſtos dolores lancinantes ſedent. Ita ſtatuit ob receptam ubique hanc ſententiam; pagina vero antecedente notaverat irritationem externam ſummopere nocere, & hoc ipſum probaverat §o. 495. Ego ubi hæc, ut omnia ejus ſapientiſſima effata expendo, & vim agentem opii, ingeniumque Cancri inter ſe confero, facile eo deducor, ut credam, haud magis externum uſum Opii eidem competere, quam internum, de quo ſuffultus Auctoritate YOUNGII [x]) in ſuperioribus clariſſime commonſtravi, quod non conveniat, ſed obſit potius. Prorſus caret Opium extus in uſum vocatum vi ſopiente; multoties hoc ex hactenus dictis innotuit; irritat vero cer-

u) *in Comment. ad §. 507. no. 1.*

x) *ſect. 29. quam totam hic legi velim.*

tiſſime

tiſſime, & interne adeo ſumtum totam cutem prurire facit, non ergo pruritui cancri leniendo ulla ratione inſervire poteſt. Habent & ſaturnina & omnia emollientia, ſi applicentur, ſua vitia, ut eleganter docuit laudatus YOUNG. Si verum eloqui voluerimus, nondum innotuerat Orbi medico vere utile remedium vel internum vel externum ad cancrum, niſi ſimpliciter palliativum, antequam Celeb. STÖRCKIVS in publicum produceret ſuam Cicutam; neque enim lignum Guajacum, Cortex peruvianus, & Mercurius, paſſim laudata remedia, neque alia innumera, ſuſtinere potuerunt ſpecifici Elogium. Nondum hactenus hic loci in Pharmacopoliis obtinere potuimus Succum expreſſum ex Hba. Cicutæ recenti, ad extracti conſiſtentiam deinde inſpiſſatum. Scio tamen, & ex herba ſiccata paratum non mediocrem fructum præſtitiſſe. Neque dubito tot Obſervationibus a Cel. STÖRCKIO ſub auſpiciis Illuſtriſſimi van SWIETEN collectis, & a peregrinis Medicis ſuppeditatis convictus, veriſſima fore, quæ ſcripſit utiliſſimi Generi humano remedii Inventor: [y]) *Si fœminæ ſtatim in principio mala ſua detegant, & ſi Medici debito tempore cicutam applicent, certus ſum, nos intra aliquot annos raro viſuros mammarum cancrum.* O quam felices tunc carebimus omnibus inſufficientibus ad eum remediis, & internis, et topicis! Atque hactenus dicta de Uſu Opii topico ſufficiant, quem in Praxi medica eſſe egregie inutilem, hactenus evidenter evici. Optimus de Opio ſcriptor practicus YOUNGIVS de illo, quod bene notari volo, penitus tacet, tacensque, ni fallor, monſtrat, quam parum illi tribuendum eſſe ſtatuat.

y) *de Cicuta libello II. p. 291.*

# CAPVT VIII.

## *Opium Venenorum Antidotum,*
## *et*
## *Opio Veneno paranda medela.*

### §. I.

*Limites Opii ut antidoti*

Non plenarie ſatisfacerem omni Argumento, quod de Opio mihi pertractandum ſumſi, niſi quædam adhuc adderem, de ejus energia ad coërcendos deleterios & mortiferos effectus, qui ab aſſumtis Venenis Corpori humano eveniunt. Memoratu dignum eſt Antiquitatem medicam, quæ tamen communi conſenſu Opium ceu Venenum horrebat, illud nihilominus tot antidotis famam adeptis, & ſub variis denominationibus inclareſcentibus, per multa Secula admiſcuiſſe, quæ omnia demto opio evanida & futilia futura erant. Merentur omnino, ut hic legantur verba AETII: [a]) *De Mithridate magno illo belli duce referunt, quod Theriacam quidem non biberit, neque enim adhuc in uſu erat, verum ex alterius antidoti, quæ poſtea Mithridatica ab eo appellata eſt, uſu ita corpus apparaverit, ut nulla veneni vi lædi poſſet, & cum etiam lethale pharmacum accepiſſet, mori non poſſet, ita ut cum ab hoſtibus vinceretur, & ſemetipſum interficere vellet, plurimo veneno hauſto, vocato quopiam ex Amicis, jugulum præbere debuerit. Quare vides, multæ mixturæ pharmaca multam etiam vim habere, ut corpora vel non, vel difficulter veneno obnoxia reddantur. Atque hac facultate imprimis theriacam præditam eſſe conſtat.* Sane hæc ab inventionis principio, fere ad Sydenhami tempora, ad abuſum usque, pro ſummo alexiterio habita eſt, adeo ut perperam, & in innumerabilium hominum exitium, malignis morbis a miaſmate venenoſo, opinione per manus tradita

a) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 90.*

dita deduci ſolitis, febribus varioloſis, purpuraceis, petechialibus, peſtilentialibus opponeretur, pluſque mali, quam ipſa decantata malignitas patraret. Dari hi errores debent ignorantiæ purioris phyſices, chemiæ, & pathologiæ, dum autem his ſcientiis perfectioribus redditis adjuti, noſtra ætate ingenium venenorum, eorumque actionem in corpus, accuratius novimus, ipſiusque opii indolem penitius intelligimus, atque Anatomes beneficio modum, quo id necat, indagare poſſumus, longius omnino abeſſe debemus, ut eidem, & omnibus illis compoſitionibus, quorum hoc princeps eſt ingrediens, elogium Antitoxicorum univerſalium tribuamus. Equidem Illuſtris BOERHAAVIUS licet diſertis verbis Opium Venenis annumeret, b) tamen & ad primaria, & fere communia contra omnia ferme venena antidota, ſi ſingularis eorum natura ignoretur, idem Opium refert, c) at nihilominus etiam opiatis, diaſcordio, mithridatio, theriacæ, minus tuto fidem haberi, ut Univerſalibus therapevticis andidotis profitetur. d) Igitur ex his primo intuitu ſibi contrariis viſis adſertionibus patet, Virum ſummum eo ſaltem intellectu Opium fere commune antidotum ſalutare, quod multis in veneficiis, nequaquam autem in omnibus, datum proſit. Quomodocunque vero comparatum ſit venenum cognitum, quod infecit ægrum, eo reſpicere debet Medicus, 1. ut id quantocyus antequam totum corpus affecerit, & deſtruxerit, expellat, & quidem tali via quæ ejus indoli, & loco ubi hæret, conveniat; 2. ut illud immutet, & invertat, ac iners reddat, quo lædere nequeat; 3. ut effectus ejus, per quos necem adfert, omni arte impugnet. Quod primam intentionem attinet, dum nullam aliam evacuationem Opium movet, quam cutaneam, reliquasque omnes inhibet, facile clarum eſt, tum ſaltem id locum habiturum, quando venenum ita comparatum eſt, ut diaphoreſi eliminari queat, id eſt, quando eſt volatilis indolis, quando in humorum oceano vagatur, aut quando

b) *inſtit. §. 1138.*

c) *§. 1129.*

d) *§. 1132.*

externæ corporis parti inſinuatum eſt, & illi adhuc inhæret. In his caſibus omnibus, modo febris valida haud urgeat, quæ calida diaphoretica prohibet, Opium, Theriaca, Mithridatium pulchre prodeſt; ergo tum maxime, quando ſubtiliſſimum miaſma venenatum ex aere humores infecit, ſine inducto ipſis æſtu; porro quando morſu animalis venenum per partem cutaneam corpori illatum eſt, ita enim illud mature humoribus a centro ad peripheriam motis diſſipatur, & eliminatur. Theriaca vel ἀπὸ τῶν θηρίων a feris beſtiis, vel a viperis, quæ in ſuam compoſitionem recipit, ita appellata (cum *Bruno* in lexico medico, τῷ θηρίῳ adſignet, quod ſpeciatim viperam denotet) olim maxime adhibebatur demorſis ab animalibus venenatis & rabidis. Ad baſiliſci morſum jam papaveris ſuccum laudaverat DIOSCORIDES. [e]) Theriacam in viperarum, ceraſtæ, aſpidum, natricum terreſtrium plagis, parvarum beſtiarum ut veſparum puncturis, draconis, ut & ſcorpionum ictubus extollit AETIVS, [f]) & recentiore ævo tanquam infallibile remedium ad morſum canis rabidi cum nonnullis aliis adjectis BARTHOLINVS [g]) commendavit, quo toto Reſpublica medica ſimile vix habeat. Atque in hiſce caſibus vere poteſt uſui eſſe, expellendo venenum ex corpore, per perſpirationem & ſudorem, maxime ſi ſat diu inflictum vulnus apertum ſervetur. Ita quoque Mithridatium a Mithridate Ponti Rege nomen ſortitum, ſi id tale fuit, quale a *Damocrate* habemus, illum potuit forte tutum a Venenis præſtare, quæ ab animalibus metuere debebat, namque non habebat, cur ab arſenico, mercurialibus, & ſalibus rodentibus aliisque chemico labore paratis timeret, dum hæc omnia ejus ætas prorſus ignorabat, diuque poſt ejus tempora his nondum notis, Mithridatium generalius habere poterat antitoxicum. Nil tamen peculiare habet Opium, & theriaca præ alio quocunque diaphoretico. Belle de morſu Viperæ tractans MEAD, [h]) *nec tamen expedit,* inquit, *hoc ipſo in caſu ægrum farragine theria-*

e) *lib. VI. c. 20.*

f) *Tetr. IV. ſerm. I. c. 111.*

g) *Act. med. Haſſn. II. obſ. 110.*

h) *de Venenis pag. mihi 29. edit. lugd.*

*theriacarum antitoxicῶν defatigare. Sal enim Viperarum ſolum huic operæ ſufficit, juſta quantitate & debito tempore datum, repetitumque hoc ſolo adminiculo, quod æger lecto commiſſus levem ſudorem promoveat.* Ego autem ſal CC. & alia volatilia, facile idem præſtare ac ſal volatile viperarum crediderim. Verum enim vero, ut talia omnia apposite exhibentur, quando humorum fluxus ad cutis cribrum dirigendus eſt, & perſpiratio movenda, ita abſurdo auſu theriaca & mithridatium porrigerentur, quando ore acceptum deglutitumque venenum acre, minerale, in Ventriculo continetur, ſymptomatibusque enatis docet, quod ibi ſedem ſuam habeat, tali enim remedio, maxime regimine ad diaphoreſin compoſito accedente, altius id in corpus adigeretur. Ad Venena itaque mineralia fixa notante BOERHAAVIO, [i]) ineptiſſime omnia Opiata adhiberentur, cum fixum Venenum mobilius & ferocius redderent. Potius rebus ita conſtitutis omnis opera ita dirigenda eſt, ut quantocyus illud Vomitu moto, breviſſima via ex corpore proſcribatur, taliaque emetica adhibeantur, quæ acrimoniæ rodenti ſunt contraria, ſimulque eam obtundunt, & involvunt, ut aqua tepida, mellita & oleoſa.

i) *Præl. Hall. ad §. 1132.*

Secundum momentum quod concernit, immutationem & inverſionem veneni reſpiciens, ſi omnes claſſes, ad quas venena reduci poſſunt, quam ſolertiſſime adſpiciantur, ſtatim patet nullum dari ex iis, cujus indoli ſpecifice contrarietur Opium. Neque enim acidis alcalino, neque alcalinis acido ingenio adverſum eſt, neque corroſivæ neque cauſticæ venenorum energiæ eſt oppoſitum, neque conſtringentem, inviſcantem, coagulantem venenorum vim, ſua vi impedire poteſt, multo minus narcoticam efficaciam ſua narcotica efficacia delere; verbo dicam, nullius veneni characterem ſpecificum directe Opium poteſt immutare, & inertem reddere. Scripſit BOERHAAVIUS [k]) Theriacam, & omnia alexipharmaca hactenus cognita, contra acria & roden-

k) *in Commentario in aph. ad 1136.*

rodentia venena meras nugas eſſe, verum merito hoc aſſertum ad venena ſine exceptione omnia, trahi poteſt, & debet. Bene & ſolide docuit Cl. JUSSIEU [l]) Theriacam non valere adverſus venena acria. Prorſus autem ridiculum, niſi potius fiendum eſt inſtitutum, Opio nimio copia aſſumto & ut Venenum agenti, opponere opiatam Theriacam, ut docet FORESTVS [m]) ex Veteribus quibusdam & BERTRVTIO. Imprudenter etiam apud SALMVTHVM [n]) ſemine hyoſcyami narcotico aſſumto, poſt Vomitum data eſt cum lacte narcotica theriaca, miſere pro univerſali alexiterio habita.

l) *Traité de la Theriaque.*

m) *lib. XXX. obſervationum c. 10. de Venenis agente.*

n) *Cent. II. obſ. 88.*

Reſtant adhuc veneni effectus, qui vel in humores vel in ſolidas partes redundant. Mutationes humorum acrimonia infectorum, diſſolutorum, coagulatorum vix corrigit opium, nam illæ requirunt ipſam veneni activitatem infractam, & alia præſidia prorſus. At vero in motus a Veneno mutatos tanto plura Opium poteſt. Effectus venenorum acutorum & citam opem flagitantium reducuntur ad ſpaſmos, dolores, convulſiones, inflammationes, & Gangrænam, his enim excitatis hominem necant. Non debellat quidem Opium BOERHAAVIO [o]) aſſerente, id quod & in antecedentibus jam probavi, ullum venenum, ſed ſpaſmodicos motus a veneno excitatos ſopit. Hinc ab ipſo DIOSCORIDE laudatum legitur. Nempe nullum venenum ex ſe ipſo Venenum eſt, neque noceret, niſi a vi vitæ in actum deduceretur. Ergo Opium antidotum eſſe poterit, dum vires vitæ ſopit, ne venenum actuoſum reddatur. Eadem fere fuſius eloquitur LINDESTOLPE [p]) *Opiata quidem*, inquit, *in venenis, quæ in inteſtinali ductu continentur corrigendis, nullum fere locum inveniunt, niſi in quantum urgente ſummo lancinationis dolore, ad partes læſas ſtupefaciendas, & dolorem ſedandum minuta doſi adhiberi queunt. Et tum præſertim proficua ſunt, quando ſpasmis & torminibus ab acri veneno proritatis vaſa ſpasmodice contracta aliquo modo*

o) *Prælect. in inſtit. ad 1129.*

p) *de Venenis p. 796.*

*modo laxari poſſunt, per vim Opii laxantem, ut ſpicula acria infixa excidant, dum ſpirituum influxus in loco ſpasmo contracto, per actionem in cerebro impeditur.* In eo ſaltem fallitur LINDESTOLPE, quando ſequente pagina Theſ. 30. dari Opiata poſſe prætendit, ad minuendam cordis contractionem, qua minuta vis veneni ſiſtatur, ubicunque illud infixum hæſerit; cum Opio nequaquam vis circulum imminuendi competat, atque vis circuli non æque, quam ſenſibilitas canaliculorum nervoſorum mobiliſſimum liquidum vehentium, acri veneno irritatorum, turbato motu regulari hujus liquidi, omne Syſtema nervoſum in conſenſum rapiat, atque ſic venenum actuoſum reddat, quod in inſenſibilem machinam non ageret. Ad violentos dolores, poſt venenum acceptum minuendos, aliquid theriacæ aliis remediis etiam addi poſſe monet HEISTERVS[q]) atque Cel. LVDWIGIVS[r]) Symptomatibus Venenorum vehementiſſimis, inflammationi, & ſpasmo, mederi VSem, & opium ſcribit, dum hoc tenſiones nervorum relaxat. Quanquam autem quoties a veneno naſcuntur ſpasmi & dolores, hoc pharmacum omnino prodeſſe queat, non prodeſt tamen inconſiderate datum, neque unquam aliquid boni præſtat, niſi ſequentia ſimul obſerventur. Et primo quidem cavendum ſedulo, ne Opium reluctetur eliminationi veneni, motubusque ad eliminationem neceſſariis. Ita ſi aut Naturæ cooperantis viribus, aut arte poſt arſenicum vel mercurium ſublimatum deglutitum, motus foret Vomitus, utut dolori & ſpasmo bene opponeretur Opium, tamen tum non conduceret, quia ſalutarem Vomitum diluentibus potius juvandum inhiberet. Deinde penſitandum eſt, cauſæ motuum ut eliminandæ, ita & corrigendæ, quammaxime eſſe invigilandum, quia hæc intacta relicta, ſi motus opio etiam ad tempus ſuſpendatur, & ſenſatio obtundatur, nihilominus agere pergit, licet agere non ſentiatur, ſuaque irritatione & roſione vaſorum inflammationem, & ejus ſequelas certo certius excludit;

q) *Comp. med. edit. germ. p. 549.*

r) *Therap. Gen. §. 1410.*

cludit; quare tum præcipue opus erit Opio, quando motus adeo efferato impetu urgent, ut citius necarent, quam cauſa ſuperari poſſet, dato vero eodem, jungenda ſemper erunt, ejus adhibitioni illa, quæ directe cauſam oppugnant. Certe ille Decurio in *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Anno VIII. obſ. 65.* qui bonam portionem mercurii ſublimati ex inſano amore devoraverat, ut mortem ſibi adſciſceret, non ab interitu, quem cum acutiſſimo Ventriculi dolore nauſea & vomitu horrenda alia ſymptomata minabantur, fuiſſet vindicatus, Syrupo emetico minus appoſite dato, & Electuario quod & Theriacam, & diaſcordium, & Mithridatium habebat, niſi ſimul lac Vaccinum calidum, cum butyro liquefacto bibiſſet, ac juſculis pinguibus, ptiſana hordeacea & pulmentis ex lacte fuiſſet uſus. Tandem memori mente tenendum eſt, optima remedia fore illa, quæ una fidelia duos vel tres parietes dealbant, id eſt, quæ eliminationi & correctioni Veneni, ſpasmorumque relaxationi ſimul proſpiciunt. Omne hoc cum aqua tepida infuſa emollientia, lac tepidum, & oleoſa jugiter epota præſtant, quibus acre irritans involvitur, vomituque moto eliminatur, ac conſtrictiones partium laxantur. Talia ergo toti negotio feliciter proſpectura ſunt, ut ſæpe Opio haud indigeamus, aut ut hoc illis junctum felicius in uſum vocari queat. Ita omnes convivæ apud HOFFMANNVM, [s]) quibus hoſpes appoſuerat Jus, loco ſachari arſenico conditum, ſolo lacte, & oleo largiter epoto, Vomitu frequentiſſimo moto, alvoque clyſmatibus talibus elota, mortem præſentaneam effugerunt, ſine opio in ſubſidium vocato, quod angor & dolor circa ſtomachum flagitare videri potuiſſet. Atque apud BARTHOLINVM deplorata mulier paupercula, quæ muribus necandis deſtinatum arſenicum per errorem deglutierat, lacte calido, cui radix ſambuci incocta erat, adjecto multo butyro, vomitu moto ſine opio evaſit. Ita quoque Vir quidam inſignis, qui ☿ii dulc. male præparati (nam argenteum cochlear nigredine

s) *Med. Syſt. Tom IV. Part. I. p. 382.*

dine tingebat) grana decem aſſumſerat, a cardiogmo, tremoribus, convulſionibus, liberabatur ſolo oleo amygd. amararum, lacte pingui, juribus, butyro liquato delibatis. Nam alium apparatum medicinalem ingens loci ubi degebat diſtantia, a pharmacopolio, denegabat. [t]) Ipſe Lipſiæ ſtudiis operam navans vidi Juvenem, cui famulus pharmacopœi loco lap. 69. quos poſtulabat, arſenicum exhibuerat, horrendis doloribrs adfectum, ſed ſine ullo ſopiente exhibito, a ſolo lacte tepido cum oleo ſtrenue vomentem, & brevi penitus ſanatum. Vidit ALEXANDER THOMSON [u]) fœminam, quæ levi digito ſaltem arſenicum deguſtaverat, & poſt 12 horas nil mali inde ſentiebat. Tamen poſtea vertiginoſa toto corpore convellebatur. Exhibuit Vir laudatus oleum amygdalarum ore aſſumendum, & clyſmata oleoſa infundi fecit. Perdurabant pavores in ſomno, quos porrecto laudano in emulſione tribuit. Altera die maculæ rubræ morbillis ſimiles, in facie & collo erumpebant, ut has erumpentes juvaret, porrigebat diaſcordium, ægra cum ſanitate licet diu valetudinaria maneret, in gratiam redeunte. Forte cum in ventriculo nulla ſeſe ſymptomata manifeſtarent, arſenicum penetralibus corporis receptum motus anomalos ſolum præſtitit, laudano a culpa vacuo, ceſſantes demum, prorumpentibus in cute maculis, nec redeuntes, licet iterum adhiberetur opiatum diaſcordium. Scilicet magis, & cum lacte & oleo ſimul videtur requiri Opium, ubi altius corpori inhæret acre Venenum, atque ſpaſmi & convulſiones non in aliquibus ſaltem viſceribus, ſed in toto jam corpore dominantur, licet tum ſi potentius venenum fuerit, mala excluſa aliquando omni remedio potentiora obſerventur. Vinci tamen ſe patiuntur interdum, ſi non fuerint ſumme deleteria, atque medicamentum par ſit veneno, non nimia doſi dato, aut hoc mediocri licet, in valde ſenſibili corpore inſuperabilia mala haud excluſerit. Rariores fore Practicos cenſeo, qui pertinacioribus morbis debellandis,

t) *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ao. V. append. p. 96.*

u) *Acta Edinb. Tom. IV. No. 10.*

 mer-

mercurium dulcem etiam ut artis leges poſtulant præparatum, frequentius adhibuerunt, & nunquam præter expectationem ſiniſtros effectus, eosque grave periculum ægris minantes, ac nonniſi perita arte avertendos, inde obſervarunt. Mentionem jam feci Juvenis [x]) ab uſu hujus remedii præter omnem expectationem meam convulſi, poſtquam horribilem cardialgiam, & dira in ventre tormina paſſus eſſet, quem per Dei gratiam lacte, oleo, & opio feliciter ſanavi, triſtiſſimo hoc ſpectaculo mirum quantum territus, & afflictus. Atque alio tempore, plus ſimplici vice, quando mercurius dulcis acerba pathemata, mortis amarorem præſagientia excludebat, ſimili medicatione opem attuliſſe, lætus recordor. Forſan ægra illa ab applicatione mercurii ſublimati in emplaſtro, doloribus ſummis, convulſionibus, vomitionibus, faucium tumore, ptyaliſmo miſerrime excruciata, & mortua tandem, cujus hiſtoriam in calce libri de dyſenteria tradit Cl. DEGNERUS, ſervari potuiſſet, ſi loco purgantis ex reſina Jalappæ Mannam, & loco Eſſentiæ pimpinellæ Oleum amygdalarum, & Opium cum juſculis pinguibus, hordeaceis, gelatinis & lacticiniis accepiſſet. Certe Fœmina quædam impetigine manuum affecta, lotione earum aqua calcis vivæ, cum mercurio ſublimato, lipothymiis, faucium & gingivarum tumore, anxietate, cardialgia, nauſea, vomituritione, intolerabilibus inteſtinorum tormentis, teneſmo, dyſenteria laborans, Theriaca, clyſmatibus ex lacte & oleo amygdalarum, gargariſmate emolliente, unguentis ex oleis blandis abdomini admotis, intra breve tempus e cymba charontis erepta eſt. [y]) Quam bene quoque Venenis lentis ſaturninis altius corpori infixis, & non adeo facile ulla via eliminandis, mulcentia oleoſa cum Anodynis conveniant, in ſuperioribus expoſui, cum de Colica ſaturnina tractarem.

x) *Sect. III. c. I. §. 4.*

y) *Miſcell. Nat. Cur. Anno V. & VI. obſ. 204.*

§. II.

§. II.

Hactenus quando & quousque Opium Venenorum ſit antidotum accuratius commonſtravi. Jam videndum, quibus antidotis pugnandum ſit, quando ipſum ut venenum deleterium agit. Non facile latenter, ut bene jam notavit AETIVS [z]) papaveris ſuccus homini exhiberi poteſt, propter ſaporis proprietatem, & amaritudinem, ac graveolentiam odoris, opus ergo eſt, ut quis voluntarie hoc pharmacum biberit. Paſſim occurrunt exempla miſerorum hominum, qui ex vitæ tædio, aut ut deſtinatum ſibi gravius ſupplicii genus morte præmeditato conſilio anteverterent, & eluderent, ad Opium confugerunt. Aliquando tamen Medicorum imperitorum culpa, vel infelici errore, minus juſto tempore, largiorique doſi aſſumtum, præter intentionem teterrimum evadit venenum, ac ſymptomata pericoloſiſſima inducit, quin mortem ipſam poſt ſe trahit. Hæc quomodo averti queat jam ordine inquiramus, ſi nempe peſſimus rerum ſtatus non ſit omnibus remediis ſuperior, & ſapiens conſilium mature ſatis locum habeat. Qui ab Opio trucidantur, ordinarie redduntur temulenti, tumque vel delirant vel ſoporoſi redduntur, tandem & paralytici, & convulſi pereunt. Eadem ſymptomata obſervantur ante mortem, in Animalibus, cum quibus experimenta inſtituerunt, Opii vires ediſcere laborantes Medici. Pruritus intenſus, odorque Opii per totum corpus ab AETIO [a]) commemoratus, nil facit ad lethalitatem, quæ vero deinde addit ſingultus, pallor, livor unguium, reſpiratio parva & frigida, & ad finem convulſio, eam omnino conſummatam loquuntur. Furioſos redditos mortem facilius declinare, quam ſtupidos, & comatoſos obſervat GEOFFROY. [b]) Ejus autem ratio, per actionem Opii, quam in corpus exercet, pendet a ſanguine citatius moto, rarefacto, & ad caput copioſius congeſto, ubi pro differente vaſorum fabrica, & elaſticitate, vel rapide movetur, vel in diductis vaſis hinc inde ſtagnat,

*Antidota Opii, Veneni.*

z) *Tetrab. III. Serm. I. c. 69.*

a) *l. c. idem notat Dioſcorides l. VI. c. 17.*

b) *Mat. med. Tom. II. p. 697.*

& ſubjectam pulpam cerebri comprimit, unde in priore caſu delirium, aut pro differentia partium compreſſarum, ac pro gradu compreſſionis, ſopor apoplecticus, & ob inæqualem tum liquidi nervoſi ad muſculos voluntarios diſtributionem, convulſiones prognaſcuntur. Hanc vero ſanguinis nimii coacervationem in vaſis cerebri, ejusque involucris, a qua omnia mala pendent, ſemper extiſpicia Opio demortuorum hominum & brutorum detexerunt. Ita intelligibili methodo explicatur, cur ab Opio interficiantur homines, nec enim præciſe novimus mutationes, quas illud fluido nervoſo ipſi, & ejus motui adfert, quando necat, nec hac cognitione multum indigemus, ad ſolidam therapiam, quæ ſanguinis in craſi & motu mutationi cognitæ felix poteſt ſuperſtrui. Quando vero ex ſuperioribus in memoriam revocamus, Opium adhuc in Ventriculo conſtitutum, moleque ſua vix minutum, atque etiam non ſolutum, ſed ſaltem radios ſuos vaporoſos in ejus nervos, & per totum nervoſum contextum diſpergendo operari, ſtatim convincimur, quoties id ſymptomata venenoſi & mortiferi quid prodentia ciet, aut ciere poſſe judicatur, omnium primam intentionem fore, ut Ventriculo ejiciatur, ejectionemque ipſam tanto ſalubriorem ægro in periculo verſanti futuram, quo citius eadem in actum deduci poteſt. Non ſane remedium emeticum hic ultimum eſſe debet, ut eſſe videtur WEDELIO,[c]) quippe qui poſt alia præmiſſa, quæ inter quædam potius debebant abeſſe, *nec vomitoria pro re nata omittenda ſunt*, inquit, *ut quaſi vecte quodam extrudant, quicquid in Ventriculo hærens naturam gravat.* Antiquiſſimo jam tempore DIOSCORIDES[d]) oleo Vomitum movendum eſſe injunxit, primoque etiam loco Vomitionem ſuaſit AETIVS.[e]) Tum & SCRIBONIVS LARGVS,[f]) qui Opium biberunt, adjuvandos dicit, aqua cum oleo in vinum admixtis ſæpius datis, & frequenter rejectis. Inter recentiores STENZELIVS[g]) ad vim venenorum opiatorum infringendam, promptiſſimæ

*Vomitoria*

c) *Opiol. p.* 52.
d) *lib. VI. c.* 17.
e) *Tetrab. II. ſerm. I. c.* 69.
f) *de Comp. Med. c.* 48.
g) *Toxicol. lib. I. §.* 47.

ptiſſimæ operationis emeticum præſcribendum dicit; atque HEISTERVS [h]) narcotico veneno infectis, primo loco tale remedium exhiberi juſſit. Neque minus GEOFFROY [i]) cum VSe, de qua in ſequentibus agam, primo emeticum laudat, quo non ſolum Opii reliquiæ in Ventriculo ſuperſtites rejiciantur, ſed etiam vomibundis conatubus nervoſæ membranæ ſuccutiantur, & ita ſpirituum ad partes influxus inhibitus reſtituatur. Non deſtituimur fidis Obſervationibus, ſæpe unico hoc remedio præſentiſſimam opem allatam eſſe hominibus, qui jam in mortis faucibus hærebant. Solius emetici ope Ruſticus cum filia, poſtquam hyoſcyami radicem pro paſtinaca aſſumſerat, a profundo ſopore, & mortis periculo liberatus legitur apud BONETVM. [k]) Famulam memorat TILLINGIVS, [l]) quæ in fictilium Pharmacopolii repurgatione occupata, ex olla laudanum opiatum largiter aſſumſit, credens eſſe theriacam. Statim ſucceſſit ſtupor & ſomnolentia. Datum eſt Vomitorium, quo laudanum rejecit, & mortem evaſit, licet per longum tempus ſtupor adhæſerit, neque unquam ipſa priorem valetudinem recuperaverit. Felicior fuit Hagæ Comitum Vir ætate jam gravis, [m]) qui errore aſſumſit remedium externo uſui deſtinatum, Opium crudum ad drachmam dimidiam habens. Confeſtim errore cognito reddito, Vomitus concitatus eſt, aqua tepida cum butyro, atque ita ab omni periculo fuit liberatus. Vidit BOERHAAVIVS [n]) octo pueros, qui devoraverant cicutam, angebantur, delirabant, vomituriebant omnes. Propinavit vitriolum album, ita omnes qui vomuerant, ſervabantur. Devoraverat quiſpiam, ut refert HOFFMANNVS [o]) ex errore loco pilularum balſamicarum extracti Opii grana 18. & inde anxietates cum ſenſuum torpore, mentisque abalienatione perſentiens, errato opportune animadverſo, confeſtim tartari emetici grana iij aſſumſit, & cum duabus horis elapſis nullus ſequeretur Vomitus, urgente ſymptomatum vehementia eandem doſin

iterato

h) *Comp. med. Pract. Cap. XIX. §. 21.*

i) *Mat. med. Tom. II. p. 296.*

k) *Tom. I. lib. I. ſect. III. obſ. 4. app. p. 172.*

l) *de laudano Opiato p. 103.*

m) *van der Wiel obſ rariorum No. 42.*

n) *Præl Tom. VI. p. 388.*

o) *diſſ. de cauto & præſtantiſſimo Vomitoriorum uſu obſ. 5.*

iterato ingerere coactus fuit, ſed pariter vomitio haud ſubotta eſt. Tandem vero injecto clyſtere acriore evacuatio ſucceſſit, & decies vomens nihil detrimenti virium percepit, ſed optime convaluit. Novi ego fœminam, quæ Miſturam gr. viij opii habentem, cancroſæ mammæ a Chirurgo deſtinatam, per ancillæ ſocordiam pro remedio interno venditatam, uno hauſtu epotarat, dato tempeſtive vomitorio, a gravibus malis protinus liberatam. Verum enim vero ſi cito auxilium adferri poteſt, ſaltem Vomitorio locus eſt, namque quando jam profundo ſopore merſi jacent miſeri, & excitari nequeunt, etiam ad deglutiendum non poſſunt adigi, ſique opii eminens vis nervorum reſolutionem jam induxerit, muſculique deglutitioni famulantes paralyſi laborent, difficulter Vomitus ſuccedit, aut potius plane impoſſibilis eſt, nullum nempe remedium ad ventriculum tum deferri poteſt. Opium bibentibus inferiorem maxillam laxari jam notavit AETIUS, [p]) eandem nonnunquam concidere etiam ſcribit FREIND, [q]) non minus hoc phœnomenon habet GEOFFROY, [r]) quamvis hic inter effectus infrequentes Opii hanc inferioris maxillæ relaxationem referat. Sub triſtibus his circumſtantiis periculum faciendum eſt, an os & fauces quomodocunque irritari queant, ut Vomitus ſequatur. Aſſumſerat ex Ill. HALLERI [s]) Obſervatione incauta Virgo grana 10. Opii. Incidebat in ſomnum 48. horarum, tandem mechanice irritata ad Vomitum fuit, ſicque reſuſcitata eſt, & morti proxima cum eſſet, tamen ſervabatur. Succumbere autem cogebatur robuſta 40. annorum fœmina apud ALSTONUM, [t]) quæ loco boli purgantis tertiam partem Unguenti ad hæmorrhoides cœcas, Opii ℥j habentis, ore acceperat. Cum fatalis error hora una nondum elapſa patefieret, Medicus equidem præſcribebat Vomitorium, ſed muſculi omnes jam erant paralytici, nilque poterat deglutire, atque ita nullum auxilium credebatur ſupereſſe, & miſera poſt 7. quadrantes horæ ab Opio aſſumto morie-

p) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 69.*
q) *Emmenol. cap. XIV. p. 140.*
r) *Mat. med. Tom. II. p. 696.*
s) *in diſſ. Sprœgelii experimenta circa varia venena habente.*
t) *l. c. ſect. III. §. 10.*

moriebatur. Dolendum nullum aliud remedium hic vocatum fuiſſe in uſum, irritationemque faucium fuiſſe neglectam. Forte collo applicatum cataplaſma, quod alibi ALSTONVS [u]) in ſimili caſu laudat, ex foliis tabaci, aliisque irritantibus, vomitum moviſſet. Verum ut ſtatus paralyticus, ita & convulſiones difficultatem & impoſſibilitatem deglutitionis involvunt. Tunc autem ſequi intereſt Conſilium BOERHAAVII. [x]). Quando, inquit, homines a ſumto narcotico ita convulſi ſunt, ut nil deglutiant, debet præſto eſſe canalis metallicus flexilis, qui ſupra linguam in ventriculum detrudatur, per eum medicamenta injicere oportet. Quam primum vomuerunt, ſolent ſenſim ad ſe redire, nam malum in Ventriculo eſt, licet phœnomena videantur capitis morbum indigitare.

u) *ſect. IV. init.*

x) *Prælect. Tom. VI. p. 388.*

*VS.* Quia autem in Ventriculo conſtitutum Opium Venenum, effluviis ſuis non ſaltem nervis communicatur, ſed & delatum ad maſſam ſanguinis, eam valde turgere facit, & pulſum plenum celeremque ciet, commode etiam & ſæpe non ſine fructu adminiſtratur VS. Mirum eſt pleroſque Autores, de eadem his in caſubus in ſubſidium vocanda penitus tacere, puto vero hoc ideo fieri, quod bene multi non attendant ad mutationem circuitus humorum, quam Opium ciet, locoque celeritatis & expanſionis eorum ab eodem excluſæ, circulum depreſſum & tardum reddi falſo ſibi imaginentur, ad quem omnino VS. haud quadraret. Longe autem magis mirum mihi videtur, Cl. ALSTONVM [y]) ex falſa hypotheſi quam amplexus eſt, ſanguinem ab Opio potius condenſari, non vero expandi, ad errores practicos referre, ſi a contrariæ ſententiæ Patronis vena illis ſecaretur, qui Opium nimia copia aſſumſiſſent. Quin Autores quosdam notare aſſerit, VSem etiam altera die a ſumto copioſo Opio inſtitutam, mortem attuliſſe, tragicumque fatum illius fœminæ, cujus mentionem injecerat, & de qua ego paulo ante verba feci, forte VSi largæ die antecedente adminiſtra-

y) *ſect. III. §. 12. p. 207. edit. germ.*

tæ, tribui debere exiſtimat. Fallitur autem vehementer Vir egregius; namque eviĉtiſſimum eſt ab Opio expandi ſanguinem, & Plethoram ad vaſa ingigni, quæ VSem & bene omnino fert, & poſtulat, quamvis illa tamdiu ſaltem locum habeat, quamdiu pulſus eſt plenus & fortis, & celer, non æque quando increſcente encephali preſſione jam languet, debilisque micat, atque frigeſcente corpore mors ante fores eſt. Rectius Cl. THOMSON, [z]) qua ratione nimia Opii Operatio, ſeu prava ab Opio ſymptomata præcaveantur, edocturus, Vomitorii equidem plane oblitus, dum ad primam Operationem Opii in Ventriculum non ſatis attentus fuit, ejus tamen vim ſanguinem rarefacientem probe cognitam habens, quæcunque canales deplere apta ſunt, ut priſtinam recuperent tenſionem, ea eſſe dicit, quæ pravis ab Opio ſymptomatibus obviam eant. Hoc autem inprimis præſtare VSem teſtatur, unde ſanguinis vaſa confeſtim depleta citatiore opera & nervis opem ferant. Nempe ut totam ejus ſententiam adſcribam, a preſſione arteriarum nervi liberiores facti priſtinum recuperant tonum, & liquidum contentum libero motu procedit. Pariter ſi nervorum principia ab expanſione liquidi ſui diſtendantur, & fiant capitis affectus convulſivi, iidem depletis ſanguinis vaſis, per conſequens etiam deplentur, & hoc etiam reſpectu, priſtinam recuperant dimenſionem, & tollitur affectus. Prorſus THOMSONO conſentit GEOFFROY, [a]) *Opio*, inquit, *nimia copia aſſumto, & mortem gravioribus ſymptomatibus minanti, medemur primo VSe, qua vaſa ſanguinea a ſanguine rariore facto ultra modum diſtenta vacuantur, & ad ſolitum diametrum reducuntur, ſed vires adhuc conſtare debent.* Ex gravibus horum Virorum rationibus patet, ut Convulſionibus ab Opio oriundis, ita & ſopori apoplectico inde profecto, mederi VSem, quæ in omni Apoplexia, a ſanguine vaſorum encephalicorum copioſo & rarefacto, ſubjectos nervos gravante enata, ſumme neceſſaria habetur.

z) *diſſ. p. 127.*

a) *Mat. med. Tom. II. p. 702.*

Ejus neceſſitatem ad effectus narcoticorum venenorum infringendos, etiam bene introſpexit HEISTERVS, [b]) apud plethoricos largam VSem inſtituendam eſſe monens. Sed omnibus hominibus plethoram cerebrinam inducit Opium, quare omnibus hominibus, qui Opium ea doſi, ut inſtar veneni agat, devorarunt, VS. conducet. Saltem tanto magis neceſſaria erit iis, qui ante aſſumtionem jam habebant vaſa ſanguine fervido admodum turgida. In his certe valde neceſſarium erit vomitorio indicato VSem præmittere, quia illud ad gravatum jam congeſto cruore cerebrum, eum violenta corporis ſuccuſſione, cum præſentaneo damno magis determinaret, ut alioquin ſemper periti medici faciunt, quando ægris ſanguine plenis emeſin neceſſariam ſecure ciere ſatagunt. Unum & alterum remedium ſæpe opiato veneno infectis neceſſarium eſt, unum alterius juvamine, ut ex ſummo periculo ii eripiantur, indiget. De vomitorii neceſſitate ſatis antecedentibus paginis locutus ſum, VSem quam nunc ediſſero, commendare præter dicta etiam debet Analogia Opii & Vini, ad quam toties provocavi. Sane quos ſtupidos reddidit Opium & ſoporatos, conſiderare debemus ut valde ebrios. Notant *Acta Hafnienſia* [c]) in ebrio a Vino, per VSem ſubitam ſecutam eſſe ſobrietatem, nonne ergo ebriis ab Opio, cum ingente apoplexiæ metu, ad quam ſumma ebrietas ducit, ea æque prodeſſe poterit? Forte miſera illa Fœmina ALSTONI, quam Medicus inviſens quaſi ebriam & temulentam invenit, vomitorio ob muſculorum deglutitioni ſervientium paralyſin vix locum habente, dum pulſum fortem æqualem & valde celerem exhibebat, extemplo adhibita VSe ſervari potuiſſet, maxime ſi alia adhuc adhibita fuiſſent & ad ventriculum deplendum, & ad alios fines remedia, de quibus in ſequentibus agam, quæ forte a medico VSe diutius vitæ tempus lucrato, quam duarum horularum ſpatium, quo nondum elapſo jam moriebatur, in uſum potuiſſent vocari.

b) *Comp. med. Pract. c. XIX. §. 21.*

c) *V. obſ. 72.*

 Neque

*Purgantia* Neque omittenda ſunt, ſi commode adhiberi queant, purgantia antiphlogiſtica. Annotavit GEOFFROY,[d]) eos qui a nimia Opii doſi non pereunt, liberari utplurimum copioſo alvi profluvio. Fortuitum autem hunc eventum dum certo expectare haud licet, tempus haud perdendum eſt, ſed Medicus ſollicite debet operam dare, ut alvus aperiatur. Purgantia noxam Opiatorum debellare, optime monuit HOFFMANNVS,[e]) quoniam his, fibris inteſtinorum ad motum incitatis, ſanguinis ſtagnatio in capite minor fieri debet. Atque non minus ac a VSe, licet non tam celeri opera, alvum moventibus, vaſa capitis depleri aſſerit THOMSON.[f]) Sane hic, ut in omnibus affectubus capitis, pulcherrima revellentia evadunt alvum aperientia. Atque in caſubus quos loquor, majori jure purgantia fiunt venenorum opiatorum corrigentia, quam quando ipſis ut medicamentis corrigendi fine adduntur, ut nonnullis placuit. Obſervandum tamen, ut VSem, ita & in eundem ſcopum directorum purgantium uſum, ſaltem locum habere, quamdiu pulſus adhuc viget, qui fortiſſimus & celerrimus a recenti aſſumptione Opii, tandem ubi hoc hominem ad mortem adducit, tardus & debilis, ac exilis redditur. Niſi enim vires naturæ adhuc conſtent, pejus fore malis remedium, laudatus modo Vir, non ſine ratione aſſeverat.

*Clyſmata.* Verum cum quandoque ob difficultatem deglutitionis, eadem difficultas premat purgantia, quæ vomitoria, illaque aliquod temporis ſpatium requirant, antequam id agant, quod volumus, clyſmata ſtimulantia illorum loco adhibere convenit. Optime hæc juvant, & ad torporem nervorum excutiendum, & ad potentiorem revulſionem a capite præſtandam. Iis, qui opium biberunt, acriora enemata, ad depellenda periculoſa ſymptomata jam commendavit DIOSCORIDES[g]) & AETIVS;[h]) miror autem, non ſatis frequentem eorum mentionem fieri apud Autores recentiores. Laudandus ergo mihi tanto magis eſt Cel. HEISTERVS,[i]) qui Medi-

d) *Mat. med. Tom. II. p. 695.*

e) *diſſ. de Opiatorum Operatione §. 19.*

f) *diſſ. de Opio p. 128.*

g) *lib. VI. c. 17.*

h) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 69.*

i) *p. 553.*

Medicos monet, ne acrium Clyſterum obliviſcantur. Sed cum cura eadem commendet THOMSON.[k]) *Purgantium vice*, inquiens, *ego hactenus uſus ſum clyſteribus acrioribus, quæ non duntaxat alvum liberius ſolvunt, verum ſtimulo univerſos ex continuo corporis villos plus minus concutiunt, unde fluida canalium renixu fortius preſſa, qua data porta ruunt.*

k) *diſſ. de Opio p. 128.*

*Stimulantia externa.* Eadem ſtimulante vi apud ſopitos, convulſos, deliros, ab Opio, ſeſe commendant acria varia, variis corporis partibus externis applicata, quæ affluxum humorum gravato cerebro incumbentium ad locum, cui adhærent, irritatione ſua alliciunt. Ex Conſilio igitur SCRIBONII LARGI[l]) pedes aſſidue fricandi ſunt, manibus ſiccis, aut linteo aſpero; prodeſſe etiam dicit ſinapi ex aceto tritum, pedibus, cruribusque circumdatum. Veſicatoria, Sinapismos, epiſpaſtica medicamenta, cervici impoſita, aut plantis pedum, ſcarificationes, uſtiones, punctiones, frictiones dolorificas, laudat GEOFFROY,[m]) quia hæc omnia nerveos villos ſtimulant & concutiunt. Fortes ſinapiſmos torpidam naturam excitantes cum clyſteribus talibus etiam commendat ALSTON.[n]) Horum vires in deliriis ab Opio abigendis aliquando miratus eſt THOMSON,[o]) cum æger prima epiſpaſtici operatione, inter delirandum conqueſtus de frigido a ſyncipite per cervicem delapſu, confeſtim a delirio ſanus fieret. Judicium conſpicuum hoc ipſum præbere dicit Cl. Autor, ſtimulum ab epiſpaſtico nerveæ cerebri compagi inditum, eandem a nimia liquidi copia depleviſſe, unde delirii ſolutio.

l) *de Comp. Med. c. 48.*

m) *Mat. med. Tom. II. p. 703.*

n) *Sect. IV.*

o) *diſſ. de Opio p. 129.*

*Acida.* Nunc vero accedo ad præſtantiſſima Opiatorum alexiteria, quæ ex acidorum familia petuntur, quibus nil potentius, ſi totum corpus pervagati ſunt narcotici halitus, inveniri in omni medicamentorum ſupellectili poteſt. Quando optimo conſilio, mediocri & conveniente doſi ægris opium præbemus, atque ab eo expectamus, ut tota ſua vi, ut opium agat, voto excidere poſſumus, ſi acida colluvies in Ventriculo ſtabuletur. Virtutem quippe Opii acidum in primis viis in-

 fringere

p) *diſſ. de Vi opii. diaphor. c. II, §. 12.*
q) *lib. VI. c. 17.*
r) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 69.*
s) *de Comp. Med. c. 48.*
t) *Med. Pr. lib. VI. p. 299.*
u) *Opiol. p. 52.*
x) *diſſ. de Opiatorum operatione §. 19.*
y) *Med. Syſt. Tom. II. p. 271.*
z) *Comp. med. Pr. p. 552.*
a) *l. c.*

fringere inter alios notavit ETTMÜLLERVS.[p]) Acida pro putatitia Correctione Opio addita id evidenter caſtrare, vidimus Sect. I. c. VII. ubi de Correctione Opii agebatur. Tanto confidentius igitur ad acida confugere poſſumus, quando venenoſam eius vim cicuratam, et domitam praeoptamus. Neque acidorum potentia his in caſubus Veteres latuit. DIOSCORIDES[q]) acetum mulſum cum ſale potum laudat, aut calidum acetum. Idem prorſus conſilium pro iis, qui Opium biberunt, ſuppeditat AETIVS.[r]) Vinum & acetum pari menſura datum, talibus prodeſſe, ſcripſit SCRIBONIVS LARGVS.[s]) Atque recentiore ævo SENNERTVS[t]) certum eſſe dixit, acida omnia, acetum, ſuccumque citri & limonum, vim narcoticam non tantum Opii, ſed & ſolani maniaci, & hyoſcyami infringere, & ſulphur illud narcoticum quaſi figere. Deinde acida etiam laudat WEDELIVS,[u]) quia ſulphura tum ſalium, tum alia obtundant, praecipitent, invertant, ac exhalationem & reſolutionem remorentur, infinities experimentis chymicis hoc demonſtrantibus. Non minus acida HOFFMANNVS[x]) commendat. *Nihil efficacius*, inquiens, *ab Opiatis inducta ſymptomata aufert, & noxam ab illis illatam corrigit, quam acidorum uſus, jam notante Plinio & Matthiolo, quoniam nempe acida, præſertim volatilia, acutis ſuis ſpiculis motum fibris inferunt, partim etiam nimiam rarefactionem ſanguinis ſiſtunt, & vaporum ſulphureorum euolutionem impediunt.* Et alibi,[y]) Non rectius Opiatorum Virus caſtigari ſcribit, quam acidis ſucco cydoniorum, citri, aceto vini, ſpiritu vitrioli, quae volatile ſulphur valde figunt. Multis etiam eorum efficaciam laudat HEISTER,[z]) et quidem non interne ſaltem, ſed & externe adhibitorum. Namque quod SCRIBONIVS LARGVS[a]) iam conſuluerat, acetum calidum ſine intermiſſione capiti, ſpongiæque ope naribus, pulſibusque, fronti, & temporibus admouendum vult, & pro uſu interno idem acetum calidum, ſuccum citri & limoniorum tanquam præſtantiſſima pharmaca, contra venena ſoporifera

rifera & inebriantia, declarat. Potiones acidas ex ſucco citri, mali aurantii, ribeſiorum, ſpiritu Vitrioli, aut ſulphuris, ſulphurum expanſioni obſtare, illorum vim coërcere, & rariorem factum ſanguinem cogere, aſſeruit GEOFFROY. [b]) Particulas mobiliſſimas & elaſticas Opii, ſalibus acidis citiſſime coërceri & figi notat quoque Cel. CARTHEVSER, [c]) remque chemico proceſſu, cum Opio & oleo vitrioli ſuſcepto, quem HOFFMANNVS *in obſ. phyſ. chym. p. 156.* propoſuit, illuſtrat. Deduxerat Cel. HAMBERGERVS [d]) omnem mutationem, quam Opium proxime in fluidis exhibet, ab imminutione cohæſionis eorundem, cum vero acida fluidorum cohæſionem augeant, patere rationem dicit, ob quam acida ſive ſint fermentata, ut acetum, acidum citri, ſive non fermentata, ut ſpiritus ſalis, vitrioli, mixtura ſimplex vel oleum vitrioli, in copioſa aqua dilutum egregium & optimum ſint Opii antidotum. Porro multiplices acidorum Virtutes exponens de GORTER, [e]) ea & narcoſin ex Opii abuſu cohibere, ſimul memorat, quod ipſum, licet ſine emphatica, quam merentur commendatione, etiam facit MEAD. [f]) Tandem quoque HECQUET [g]) regulæ inter Chymicos ſtabilitæ ſubſcribit, quod acida enervent & caſtrent Opium, vel reddant impotens. Huic eminenti energiæ debebatur, quod homo ille, cuius meminit BOERHAAVIVS, [h]) qui ob vitæ tædium opium majori copia ſumſerat, pœnitentia ſtatim ductus, epoto aceto vim priorem enervaret, & nil mali poſtea ſentiret. Ut egregius acidorum, ut antidotorum Opii, effectus clariſſime eluceſcat, perpendamus per effatum modo laudati BOERHAAVII, [i]) Ebrietati adeo quidem adverſum eſſe acetum, ut cum ſpiritus Vini fermentatitius unicum fere ſit, quod temulentiam concitat, aceti ſpiritus eandem enatam domet, ut ſomno vinoque ſepultus, ex abuſu ſpirituoſorum, ingeſto excitetur aceto. His poſitis revocemus in memoriam Opium analogum eſſe Vino, & ſpiritui Vini, illudque ſummam concitare ebrietatem in ſoporem apoplecticum vergentem, interque ſopitum ab Opio, & a Vino,

b) *Mat. med. Tom. II. p. 703.*

c) *Mat. med. Part. I. Sect. XI. Cap. I. §. 9.*

d) *diſſ. de Opio §. 55.*

e) *Comp. med. Tr. XXXVIII. §. 45.*

f) *de Venenis p. 134.*

g) *p. 155.*

h) *de morb. Nerv. p. 449.*

i) *Chem. Tom. II. p. 185.*

no, ac verum apoplecticum nullum, ſi externa phœnomena ſpectentur, dari diſcrimen, nonne igitur ebrietati opiatæ æque contrariaretur acetum, ac vinoſæ? Certe acetum eadem ratione eſſe antidotum Opii, ac Vini aſſerit ALSTON,[k]) atque noto notius eſſe dicit Cel. CARTHEVSER,[l]) temulentiam & ſoporem ab Opio, & liquoribus vinoſis inductum, per liquida acida, acetum, ſuccum citri, limoniorum, rurſus diſcuti. Annotavit præterea GEOFFROY,[m]) eos qui a nimia Opii doſi non pereunt, interdum liberari ſudoribus copioſis, qui opii odorem referunt, magno cutis pruritu ſtipatis. Hi ſi arte movendi, aut natura præeunte juvandi ſunt, quo remedio moverentur conſultius, quam atomos opiatos non ſaltem feliciter per portarum in cute myriades in fugam acturo, ſed & congrediendo cum iis, eorum vim, antequam expellantur, enervaturo, ſaluberrimo aceto, quo ut BOERHAAVIVS[n]) ait, ſudoriferum certius, efficaciusque ignoramus. Quantum deinde poſſit ſolum acetum naribus admotum, pulveri euphorbii & pyrethri, naribus opiato toxico infectorum, ut vult GEOFFROY,[o]) inflando, valde præferendum, tum & temporibus & fronti applicatum, ſæpius vidi, quando poſt nimis crebro repetita præbia Opii, a Medicis ipſi plus juſto faventibus exhibita, in conſilium vocatus, de temulenta capitis gravitate conqueſtis, adhibitionis aceti & ſeponendi Opii ſuaſor fui. Puerulum illum ab Opio ſopitum, cuius antea dum dentitionem expoſui mentionem injeci, manifeſte ſibi ſenſim reddi, cum gaudio haud mediocri obſeruaui, ab aceto naribus & toti capiti jugiter admoto. Legi deinde in editis lingua vernacula *Obſervationibus Heiſterianis*[p]) cum voluptate, caſum ſimilem infantis 12. dierum, a theriaca ſopore 24. horarum laborantis, nullis concuſſionibus excitandi, poſt aceti vero roſacei & lavendulati, per 2. horas ad naſum, tempora & carpos cum frictione applicationem, ſigna ſenſationis alicujus edentis, & altera die in integrum reſtituti.

k) *ſect. III. §. XI. in fine.*
l) *Mat. med. Part. I. ſect. XI. c. I. §. 9.*
m) *Mat. med. Tom. II. p. 695.*
n) *Chem. Tom. II. p. 186.*
o) *Mat. med. Tom. II. p. 703.*
p) *obſ. 182.*

Atque de quibus hactenus verba feci, praeſtantiſſima ſunt Antidota Opii Veneni, alia quæ apud Autores paſſim commendantur, aut nil juvant, aut manifeſte ſunt noxia. Facile patet, Medicos, qui Vino generoſo exhibito, conſulendum illis putarunt, quibus ab Opii nimia & intempeſtiva doſi, exitium imminebat, prorſus non intellexiſſe, illius ingenium, & vim, quam in corpus humanum exerit, præjudicataque ſua opinione de frigiditate ejus fuiſſe deceptos. Vinum, adeo cum ruta & pipere, iis, qui Opium biberunt, dandum vult DIOSCORIDES. [q]). Vinum vetus, rufum, meracum, cum abſynthio, & caſſia, origanum, piper, & caſtoreum laudat AETIVS. [r]) Cyathum Vini prodeſſe ſcribit SCRIBONIVS LARGVS. [s]) Si boni hi Viri, & qui eos ſequuntur, vel leviter conſideraviſſent, quod ipſos fugere haud poterat, Opii adſumtioni quotidianæ adſuetos, ſi hujus copia deſtituerentur, vinum loco Opii ingurgitaſſe, & defectum Opii Vino ſupplere ſolitos fuiſſe, analogiam & ſimilitudinem Opii, & Vini, in agendo, inde colligere, atque ſeſe ſtatim convincere potuiſſent, Vires Vini Viribus Opii haud contrariari, ſed magnam inter utraque dari convenientiam. Deinde & vis aceti ad infringendos Opii deleterios effectus, quæ Veteribus adeo bene fuit cognita, & hos & recentiores Medicos ſufficienter poterat inſtruere, ipſi in agendo oppoſitum Vinum, illorum noxam minime avertere poſſe. Taxari igitur jure debent CASPAR HOFFMANNVS, RONDELETIVS, & alii, a WEDELIO [t]) citati, qui meraciſſimum Vinum, pro Opii alexipharmaco declarare non erubuerunt. Neque exiſtimandum eſt, Coma illud ex Opio per clyſterem injecto, quod recenſet SALMVTHVS, [u]) alio clyſtere ex vino malvatico, fuiſſe ſublatum, ſed ſine dubio hoc vino elota fuere inteſtina, & Opium iterum excretum fuit per alvum. Valde miror, Cl. MEAD [x]) hunc Veterum morem Vinum generoſum pro antidoto Opii propinandi, non rotunde rejeciſſe, ſed potius dediſſe operam, ut uſus rationem aliquam tolerabilem inveniret. Namque non aliter utile eſſe poſſe, dicit Vinum, quam in quantum reſinoſas & viſcidas Opii particulas, quæ ſtomachi tunicis adhærent, ſolvat, ſicque efficiat, ut ab aliis adminiculis, quæ muſculoſarum

*Quid ſtatuendum de Vino?*

q) *lib. VI. c. 17.*

r) *Tetrab. IV. Serm. I. c. 69.*

s) *de Comp. med. c. 48.*

t) *Opiol. p. 51.*

u) *Cent. II. obſ. 97.*

x) *de Venenis p. 134.*

rum fibrarum contractionem excitant, expulſio promoveatur. Sane ſi a tenacitate Opii talis adhæſio metuatur, magis proderit, aquam cum oxymelle, quod ſaponacea vi pollet, & ſimul illius alexiterium eſt, ſuperingerere poſt aſſumtum Vomitorium, aut purgans expulſioni deſtinatum, quam potare vinum, eodemque ſuppetias ferre ipſi Opio, ignemque adeo igni adjicere. Recte PLATERVM (*Quæſtion. Therap.* 88. & 89.) aſſerere ait ALSTON, [y]) Vinum eſſe verum remedium narcoticum; recte ait SYDENHAMVM Opium pro remedio cardiaco declarare, atque eapropter recte infert, Vinum Opii corrigens minime poſſe exiſtere.

y) *ſect. III. §. XI. in fine.*

*Balneis.* Placuerunt aliquibus Balnea. Hæc Veteres jam contra Venena commendarunt. Ob enatam pruriginem a nimio Opio, eadem commendat DIOSCORIDES. [z]) Pro Venenis in genere, ad corporis externum habitum alliciendis, & per cutis emunctorium proſcribendis, a CELSO laudantur. Neque ſine fructu eſſe poſſunt, in morſu venenato ferarum, relaxato habitu externo corporis, introitum veneni in ipſius penetralia cavendo, ejusque exitum per cutis emunctorium facilitando. Sed & Balnea, ſi ad ſanum ſenſum reducantur, etiam locum habere poſſe aſſerit WEDEL, [a]) in cauſa veneni opiati interne ſumti, *Baccium lib. 7. de Thermis & Grevinum de Venenis lib. II. c. 16.* adducens. Ille ex Opio devorato, gravi ſopore ſubmerſis, & quaſi mortuis commendat uſum balnei aquarum temperatarum, quo & ingentem pruritum ad quem forte nimis reſpexit, mitigatum iri monet. Hic, quia frigidum Opium cutem denſiſſimam, & ſanguinem coagulatum reddere credit, humidum & calidum balneum, ægro profuturum ſperat. Verum his de frigore næniis ſponte cadentibus, ſi conſideretur, balneum etiam tepidum omnes noſtros humores rarefacere, ſtatim liquet, ſopori a rarefactione humorum inducto, balnea minus convenire. Deinde, dum humores ad corticem corporis determinat balneum, Opium, quod breviſſima via per vomitum, ſi fieri poteſt, optime ejicitur, foveri in ventriculo, diſſolvi tanto certius, ejusque vapores per omnem humorum oceanum certius diſtribui, conſpicitur. Minus bene igitur ejusmodi ægris ſuaderetur balneum.

z) *lib. VI. c. 17.*

a) *Opiol. p. 53.*

Ordi-

Ordinarie autem ad volatilia remedia recurrunt Medici, *remediis volatilibus.* opiato veneno obicem poſituri. Laudat in ejusmodi caſibus Eſſentiam caſtorei, Elixir ſuum cephalicum, quod ex meris acribus & aromaticis cum ſpiritu Vitrioli cephalico extractis, conſtat, ſpiritum ſalis ammoniaci, & ſpiritum formicarum volatilem potiſſimum, WEDELIVS.[b]) Provocat STENZELIVS[c]) ad hiſtoriam a RIDLINO[d]) conſignatam, Fœminæ ab uno grano Opii (quod valde mirum) adeo male habentis, ut mors inſtaret, ſed ſale volatili oleoſo ſervatæ, ipſeque ad vim venenorum opiatorum infringendam, poſt emeticum, ad ſalia volatilia oleoſa, caſtoreata, ſuccinata, confugiendum dicit, injuncto ad ſudandum regimine, & ſimul recenſet ſe ægræ cuidam, cui infamis Medicus dederat remedium opiatum, anxietate ſumma & aſthmate correptæ, & morti proximæ, liquorem C. C ſuccin. cum Eſſ. Caſtor. & oleo deſtill. Succini, ſuppetias tuliſſe. Sal C C. optimum Opii corrigens habet etiam PRINGLE,[e]) atque ſalia volatilia interne danda laudat GEOFFROY,[f]) qui tamen alia antidota, & inter ea acida pharmaca adeo bene novit, & Opii vim ſanguinem rarefacientem adeo pulchre intellexit. Fateor mihi Opii ingenium, ejusque affinitatem cum ſalibus volatilibus contuito, non arridere hanc medicationem, mirorque vehementer THOMSONVM adeo, qui volatilem & calefacientem Opii indolem accuratiſſime, & præ multis aliis perſpexit, volatilia tanquam ejus antidota nihilominus commendaſſe. Verum ut alii hæc ob inſignem nervos ſtimulandi virtutem, ſopitis ab Opio porrigenda duxerunt, ac præcipue quando frigus & coagulum in humoribus ſibi imaginabantur, ita & hic egregius Vir, licet ab hoc errore liberrimus, ſaltem excitandi fine, ea danda eſſe exiſtimavit. *Vi ſtimuli*, inquit, *operantur ſalia volatilia; equidem volatilitate medicamentum omnium maxime volatile, Opium puta, haud corrigere poſſunt, verum acredine inſigni prædita compagem nervoſam vellicant & concutiunt, unde liquida canalium motu facilius ſubiguntur, atque quod ſuperfluum eſt per emiſſaria ejicitur.* Nil vero hæc ætiologia movet ſcientem, optime docuiſſe PITCARNIVM,[g]) ſal volatile quodvis, eadem ratione ac Opium rarefaciendo ſanguinem producere ſoporem, ea ſal-

b) *Opiol. p. 52.*
c) *Toxicol. lib. I. p. 49. 50.*
d) *Cur. med. Cent. IX. obſ. 52.*
e) *de morb. militum p. 166. & 107.*
f) *Mat. med. Tom. II. p. 703.*
g) *diſſ. de Circulatione in animalibus*

*genitis & non genitis* §. *14. 18. 19.* tem differentia, quod in minuta doſi Opium hoc patret, ſal volatile autem in majori, nefasque eſſe in morbis ſoporiferis ingerere ſalia volatilia, ſpiritusque e Cornu Cervi ſimilibusque elicitos, ac omnia ſic dicta cephalica. Neutiquam ergo noxas Opii corrigere & auferre poteſt ſal volatile. Rectiſſime potius ſcripſit BERGERVS, [h]) vires Opii liquoribus acidis, nequaquam autem ſalibus volatilibus, vel fixis infringi, & deſtrui, ſpirituque ſalis ammon. vinoſo & aliis liquoribus ſalinis volatilibus Opium corrigi, neminem temere affirmaturum, qui vim illius omnem a ſale ſulphureo ortum ducere, atque a liquoribus ardentibus & volatilibus, qui ſuapte vi ſomnum inferre poſſunt, ſi paulo majori copia adhibeantur, majorem vigorem acquirere noverit. Certe ſi per evictam, & uſu rerum ſtabilitam Experientiam verum eſt, Opii ſummum antidotum conſtituere liquores acidos, impoſſibile eſt, ut ſimul etiam ejus antidotum ſit alcali vel fixum, vel volatile. Si Opium ſanguinem rarefaciendo damnum intulerit, impoſſibile eſt, ut ſal volatile ſanguinem rarefaciendo id tollat, ſi vero hoc vel minimum augmentum addat virtuti Opii, & effectum ejus rarefactionem juvet, ea tanto certius evadere debet lethifera. Tolerari & adhiberi poſſet ⊖is volatilis acrimonia ſtimulans, in ſopitis, ſi abeſſet calefaciens & rarefaciens Virtus. Prorſus autem noxis ab Opio pendentibus, convenit, ſal volatilis oleoſus acidus in aceto, æque ſtimulans, ſed ſimul refrigerans, atque rarefactos ab Opio humores figens. Quis vero ab Opio delirantes ſanandos ducet ſalibus volatilibus? ſane is ſaltem, qui delirii ingenium actionemque & Opii & volatilium prorſus ignorat. Laudandus WEDELIVS, quod ſaltem acida non omiſerit. Notari vero STENZELIVS debet, quod favens ſalibus volatilibus urinoſis, acidorum mentionem fecerit plane nullam. Anne ſi omnia quam rigidiſſime examinentur, Cl. HEISTERVS [i]) in infantulo ſopito per abuſum Opii, aceti beneficio ſenſum & motum reverti videns, carere potuiſſet ſpiritu ſalis ammoniaci? Male SCHELHAMMERVS [k]) ad ſymptomata oppugnanda, quæ a largiore doſi Opii naſcebantur, acerrimo aceto ſtatim propinato junxit ſpiritum ſalis ammoniaci, ſal volatile, & in fine curationis, aquam

h) *diſſ. de vi Opii rarefaciente* §. *5. & 14.*

i) *Obſerv. p. 319. 320.*

k) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ao. V. obſ. 12.*

aquam apoplecticam ſpirituoſam, licet æger eluctaretur. Male HOYERUS [l]) infanti quatuor hebdomadum a largiori doſi theriacæ ſoporoſo, & convulſo, admovit Eſſentiam caſtorei ſuccini, ſpiritum ſalis ammoniaci, & aquam apoplecticam, quæ omnia triſte fatum magis juverunt, quam avertere potuerunt.

l) *Ephem. Nat. Cur. Cent. I. obſ. 54.*

§. III.

*Epilogus.*

Nil ſupereſſe amplius video, quod de Opio eloquerer, quare Dei auxilium & gratiam flexo poplite veneratus, colophonem impono his, quibus rarioribus mihi horis ſubſecivis per annos inſudavi laboribus. Niſi vero omnia me fallunt, ex iisdem clariſſime conſtitiſſe opinor, quamvis Praxis medica carere Opio omnino nulla ratione queat, Uſum tamen ejus multo parciorem eſſe debere, quam ipſi nimium faventibus videtur. Sane, cum hoc remedium, ut dicta hactenus a me fuſius probarunt, æque nocere poſſit ac prodeſſe, ſemperque mutationes quasdam corpori inferat, quas Medicus ſæpe enatas nollet, quæque dum adſunt, finibus ipſius & legitimæ therapiæ non raro valde contrariantur; certum redditur, in nullo morbo illud præſcribendum eſſe, ubi alia pharmaca nil aliud mutantia in corpore, quam quod indicationes volunt mutatum, curationi pleniſſime ſufficiunt. Tum ergo ſaltem dandum erit Opium, quando indicatio quædam therapeutica adeſt, nullo alio pharmaco quam ſolo Opio implenda, aut ſymptoma urgentiſſimum, mala morbo graviora adducturum, ni conſopiatur. Ad hæc omnia, niſi quam ſolertiſſime attendatur, certiſſime evenient, quæ habet GEOFFROY, [m]) *Opium* inquiens, *fugitivum ſæpe ſaltem levamen adfert, ſymptomata tantum ſedando, brevi regreſſura, intacta morbi cauſa; inſuper ſigna ex quibus Medicus & morbum dignoſcere & indicationes ſuas depromere debet, ſpiſſa caligine obnubilat, alia & ratione morbi prorſus aliena ſymptomata ſuſcitat, Naturæ conamina ad criſin perficiendam infirmat, vel potius extinguit, & diuturno uſu morbos periculo vacuos in graviſſimos & ſæpe exitiales convertit.* Cavendum vero maximopere erit perito artifici, a perverſo illo & ſumme damnoſo medicationis genere, quod apud ægros fere ſine exceptione omnes, quotidianum facit, & chronicum pare-

m) *Mat. med. Tom. II. p. 711. 712.*



gorico-

goricorum veſpertinorum uſum, qui tandem non poteſt non mala chronica inducere, quamvis de iis neutiquam cogitetur, eorumque excluſio tandem emergens, Opio porrecto haud tribuatur. Dum apparatum medicamentoſum in compendio ſiſtit, acutisque & chronicis morbis accommodat BOERHAAVIVS, n) inter pauca pro illis præſidia, poſt nitrum, mel, rheum, etiam Opium memorat, catalogo auxiliorum pro morbis chronicis non illatum. Vix ergo videtur faviſſe multum chronico Uſui Opii in morbis. Equidem mihi haud ignoratur Illuſtriſſimum ejus Diſcipulum, alterumque noſtri ævi BOERHAAVIVM, GERARDVM van SWIETEN aſſerere non dubitaviſſe, Prudenter adhibitum Opium, debita doſi, licet etiam per menſes continuetur ejus uſus, omni noxa carere, o) imo vero alibi p) ſcripſiſſe, *Qui ſæpius ſumſerunt, niſi augeatur ſenſim hujus remedii copia, non amplius inde levantur, ſine noxa tamen ſenſim aucta doſi ingentem Opii copiam quotidie ſumſiſſe homines, plurimis illisque certiſſimis obſervatis conſtat.* Verum enim vero ſe non legiſſe immortales Litteratiſſimi Viri commentarios debita attentione monſtraret is, qui verba ejus ita interpretaretur, ac ſi facili & frequenti Opii Uſui faverent, cum non niſi ad ejusmodi ægros trahenda ſint, quorum mala eum abſolute poſtulant, quique eum non valde turbatis in naturali ſuo ordine functionibus corporis, ſine omni noxa metuenda, ferunt. Rariores vero ejusmodi caſus eſſe, ubi nil prorſus mali in ægrum a perdurante uſu Opii redundat, attenta rerum obſervatio docet. Optime jam intellexit GALENVS, q) habitum corporis Opiatis non nihil lædi, eaque propter ſi alia remedia, ut morbus ſanetur, prout optamus, valeant efficere, ab anodynis abſtinendum eſſe voluit. Ad hunc præciſe locum provocans SENNERTVS r) noſter, *Panaceam*, inquit, *ex opiatis remediis, quæ certis ſaltem uſibus deſtinata ſunt, facere velle, & jactare laudanum quocunque etiam modo præparatum unicuique pene morbo convenire, Empirici potius eſt, quam rationalis Medici.* Atque prorſus eadem verba GALENI expendens SIMON PAVLI, s) *Non ego*, ait, *Medicinæ Candidatos Praxin auſpicaturos cum illis Practicis, ſi vel Veterani ſint, facere velim, qui poſthabita morbi ipſius*

*ſive*

n) *diſſert. qua repurgatæ medicinæ facilis aſſeritur ſimplicitas p. 25.*

o) *Comment. Tom. I. p. 271. in fine.*

p) *l. p. 325.*

q) *de meth. med. XII. c. 1.*

r) *Med. Pract. l. VI. p. 297.*

s) *Quadrip. botan. p. 425.*

*ſive cauſa ſive medela, ſaltem ſymptomata mitigant, ferme quotidiano uſu Opii. Quam autem perpauci ſunt, qui hæc perpendunt, quod citra læſionem Corporis Opiata propinari nequeant.* Hanc vero læſionem, ab omni ævo animadvertere debuerunt omnes, qui Opii amore haud prorſus occœcati, ſaltem ſenſuum teſtimonia voluerunt admittere. PROSPER ALPINVS [t]) Opium pro Veneno declarans, non tamen negandum eſſe dicit, quamplures Ægyptios, Opium quotidie ſumentes, nullam noxam ſentire, eo longa conſuetudine a natura ſuperato, & in alimentum quoquo modo verſo. Refert poſtea, conſuetudine ſervitutem ingigni, ut perpetuo ſumant Opium, ni velint in gravia ſymptomata incidere, aut bibant vinum creticum aromaticum. Sed adnectit tandem, quod probe conſiderandum velim, adſuetos uſui Opii, etſi affirment ſe recte valere, functiones tamen earum corporeas deteriores fieri, ebriosque & torpidos fere perpetuo apparere, reddique comatoſos, veternoſos, & fere ſtupidos. Ita quoque KAEMPFERVS [u]) de Perſarum & Indorum longa adſuetudine, largis doſibus Opium aſſumendi, profitetur, multa hoc abuſu, vel longo ejus uſu, acciri mala, emaciari corpus, laxari vires, contriſtari animum, ſtupeſcere ingenium, inſtarque ſtipitum ſomnolentos, & quaſi elingues ſedere in conviviis Opii liguritores. Neque aliquis mihi occlamet, hæc omnia ſaltem intelligenda eſſe de largis doſibus Indorum, Perſarum, Turcorum, populorumque orientalium. Illi certe iis adſueſcunt, & pro ſoli natalis, corporumque conſtitutione adſueſcere poſſunt. Nobis vero Europæis, paucioribus forte exceptis, doſes grani unius, vel duorum, aut trium, ſæpius repetitæ idem efficiunt, ac illis drachmæ dimidiæ, & integræ. Recte judicat Ill. BÜCHNERVS, [x]) Seriem malorum eſſe, quæ ab Uſu Opii corpori humano inferantur. Candide etiam fatetur SYDENHAMVS, [y]) magnus cœteroquin Opii Fautor, cui non de drachmis, ſed de illis doſibus ſermo eſt, qualibus nos utimur, a laudani repetiti uſu, omnes digeſtiones vitiari, & functiones naturales debilitari, quamvis non credat, laudani uſum ſive cerebro, ſive nervis, ſive facultatibus animalibus immediate nocere. Verum mirum quantum, quod mirari non deſino, fallitur quoad poſterius, Vir integerrimus. Data opera WILLISIVS [z]) exponit mala, ex Opii uſu nimio emergentia, in abdomine, in pectore, & in capite, atque ego in ſuperioribus Sect. I. phœnomena, ab Opii uſu in corpore humano evenientia exponens, luculenter per conſenſum præſtantiſſimorum Medicorum evictum dedi, Opium agere in omnes functiones corporis, vitales, naturales, & animales, omnibusque mutationem inferre. Retrogrediamur una pauliſper Lectores

t) *Med. ægypt. p. 256. 261.*

u) *Amœnit. exot. p. 645.*

x) *diſſ. de Opio §. 60.*

y) *pag. 526.*

z) *Pharmaceut. Rat. Part. I. ſect. VII. c. 2.*

res mei, & perpendamus ſerio, an ſanitatis totius corporis reſpectu poſſit eſſe adiaphorum, Vino & liquoribus ſpirituoſis adſueſcere, atque quotidie iisdem corpus replere, humores continuo exagitare, acrimonia irritante blandam eorum temperiem inquinare, nonne iis læditur tandem omnium vaſorum & cerebrinorum maxime elater, corpusque mille malis ſubjicitur, ipſaque anima in ſuis operationibus impeditur, huiusque commercium cum corpore, præmaturo ſæpe fato diſſolvitur. Sane dum Opium Vino & ſpirituoſis analogum ſomnum inducit, naturalibus cauſis non debitum, dum ſenſum obtundit, efficit apoplexiam leviorem, temporariam, ſimulque ad graviorem, non amplius præterituram diſponit, vel etiam dum circulum per totum corpus & cerebrum accelerat, atque viſiones & deliria parit, febribus acutis, cum gravibus in capite ſymptomatibus, portam aperit. Num vero pruritus venereus, & ultra vires proritata vel voluntaria, vel injuſſa per ſomnia, liquoris genitalis excretio, num languor motuum animalium, num ſudor & liquidorum tenuiſſimorum jactura, num excretionum omnium ſeroſarum, cutanea excepta, perturbatio, & inhibitio perpetua, num tandem appetitus proſtratus, ventriculi digeſtio ſufflaminata, alvi occluſio, motus periſtaltici abolitio, inteſtinorum & Ventriculi inflatio ac expanſio, omnem vim naturalem contractilem deperditam monſtrans, illibatæ ſanitati reſpondet, cumque ea adeſſe poteſt, an minus? Num præter hunc complexum malorum, alia quæ ſigillatim ab immoderato & diuturno uſu procreari dicit GEOFFROY, *) partium omnium relaxatio & debilitas, incuria, languor, deſidia, laboris inertia, corpus torpidum, animus hebes, hydrops, motuum & ſenſuum imminutio, corporis incurvatio, artuum tremor, præmatura ſenectus, ſanguinis acrimonia & depravatio, proſperæ Valetudini adverſantur, aut eam intactam relinquunt? Certe, qui quæ diſputavi hactenus, omnia ſolerter ponderat, clariſſime introſpiciet, ob complexum inſeparabilem effectuum, ab Opio dato evenientium, etiam prudentiſſimum ejus & indicatiſſimum uſum, qui plurimum boni præſtat, ſemper eſſe miſtum malis, quæ tolerari debent interim, modo ſanitas reſtituatur, & mala hæc nimiis præbiis haud invaleſcentia, aut dein ceſſent ſponte, aut corrigi iterum ſeſe patiantur. Magna itaque peritia in arte opus eſt, ne committendo, vel omittendo Medicus in Opii exhibitione peccet, ſed recta inter utrumque vitium, via incedens, non cito nimis ad præſcriptionem convolet, uſuique diutius juſto inſiſtat, non ſero nimis neceſſarium hoc pharmacum porrigat, aut ubi opus erat, id plane intermittat, ſed pro morbi indigentia, & tempus, & doſin, & ejusdem repetitionem dijudicet, ut feliciter collapſæ ægrorum ſaluti benedicente *Deo*, conſulatur.

*) *Mat. med. Tom. II. p. 711. 712.*

CON-

# CONSPECTVS
## TOTIVS OPERIS.

### Sectio I.

Cap. I. *Hiſtoria generalis uſus Opii et fatorum eius in Praxi medica.* p. I
II. *Phænomenorum omnium ſuccincta recenſio, quae Opium aſſumtum in corpore humano inſequuntur.* 49
III. *Analyſis Opii phyſico-chemica.* 149
IV. *Indagatio actionis primariae Opii in corpus ex principio agente cognito, per praegreſſam analyſin.* 169
V. *Phaenomenorum poſt uſum Opii emergentium Aetiologia, deducta ex actione Opii primaria cognita in ſanguinem et neruos.* 194
VI. *Corporis humani diuerſus ad Opium habitus.* 276
VII. *Correctiones Opii inutiles et imaginariae.* 286
VIII. *Doſes Opii.* 355

## Sectio II.

Cap. I. *Hæmorrhagiæ.* p. 1
II. *Febres.* 57
III. *Dolores.* 188

## Sectio III.

Cap. I. *Convulſiones et Epilepſia.* p. 1
II. *Morbi convulſivi.* 35
III. *Dyſenteria et alii fluxus alvini.* 172

## Sectio IV.

Cap. I. *Phthiſis pulmonalis et Hydrops.* p. 1
II. *Morbi mentis, Melancholia et Mania.* 48
III. - *mulierum menſtruatarum et grauidarum.* 88
IV. - *Parturientium et Puerperarum.* 107
V. - *Infantum.* 130
VI. - *Senum.* 160
VII. *Uſus Opii topicus.* 169
VIII. *Opium venenorum antidotum et Opio veneno paranda medela.* 220

INDEX

# INDEX

## Medicorum celeberrimorum, quorum in hoc opere facta eſt mentio.


A.

Aegineta, *Paul.*
Aetius.
Alberti, *Mich.*
Albrecht, *Io. Petr.*
Alleyne, *Iames.*
Alpinus, *Proſper.*
Alſton, *Charles.*
Amatus *Luſitanus.*
Aquinus.
Aretaeus.
Arnot.
Aſtruc, *Io.*
Avicenna.
Aurelianus, *Caelius.*

B.

Baccius, *Andr.*
Baco de Verulamio, *Franc.*
Baglivus, *Geo.*
Ballonius, *Guil.*
Barbette, *Paul.*
Barbeyrac, *Car.*
Baron, *Hyacinth. Theod.*
Bartholinus, *Thom.*
Baſſeville, *Io. Bapt.*
Bateus, *Io.*
Bauer.
Bauhinus, *Caſp.*
Bautzmann, *Io. Chph.*
Bellini, *Laur.*
Bellonius, *Petr.*
Belloſt, *Auguſtin.*
Bennet, *Timoth.*
Benzoni, *Nicol.*
Berengarius, *Iac.*
a Bergen, *Io. Geo.*
de Berger, *Io. Godofr.*
de Berger, *Io. Sam.*
Bernerus, *Gottl. Ephr.*
Berryat.
Bianchi, *Io. Bapt.*
Bierling, *Caſp. Theoph.*
Binningerus, *Io. Nic.*
Blancardus, *Steph.*
de Blegny, *Nic.*
Boerhaave, *Herm.*
Bohn, *Io.*
Bonetus, *Theoph.*
Bontekoe, *Cornel.*
Bontius, *Iac.*
Borbenave.
Borellus, *Petr.*
Borrichius, *Olaus.*
Boulduc.
Boyleus, *Rob.*
Brendel, *Io. Gothofr.*
Brunnerus, *Io. Conr.*
Büchner, *Andr. Elias.*
Burchart.
Burget, *Iames.*
Burlet.
Butini, *Io. Anton.*
Butter, *William.*

C.

Cade, *Salisbury.*
Camerarius, *Rud. Iac.*

Capivaccius, *Hieron.*
Cardanus, *Hieron.*
Cartheuſer, *Io. Frid.*
Caſtell, *Petr.*
a Caſtro, *Roder.*
le Cat, *Claud. Nicol.*
Celſus, *Aurel. Corn.*
Chalmers, *Lionel.*
Charas, *Moſes.*
Chesneau, *Nic.*
Cheyne, *Geo.*
Citois.
Clauderus, *Gabr.*
Claudinus, *Iul. Caeſ.*
Clephane, *Iohn.*
le Clerc, *Dan.*
Cleyerus, *Andr.*
Clutton, *Ioſ.*
Cnoeffelius.
Cockburn, *William.*
Cohauſen, *Io. Henr.*
Colbatch, *Io.*
Condamine.
Coſchwitz, *Geo. Dan.*
a Coſta, *Io. Chph.*
Craanen, *Theod.*
Crato, *Io. a Krafftheim.*
Curaeus.

D.

Degnerus, *Io. Hartmann.*
Dekker, *Fred.*
Delius, *Henr. Frid.*
Deodatus, *Alex.*
Deſault, *Pierre.*
a Deventer, *Henr.*
Didier, *Franc. Mich.*
de Diemerbroeck, *Isbrand.*
Dillenius, *Io. Iac.*
Dioſcorides, *Pedacius.*
Dippelius, *Io. Conr.*
Dodart, *Dionyſ.*
Doeringius, *Mich.*
Dolaeus, *Io.*
Donatus, *Marcellus.*
Douer, *Thom.*
Drelincurtius, *Car.*
Duretus, *Ludov.*
Duverney, *Ioſeph.*

E.

Eraſtus, *Thom.*
Erndelius, *Chriſt. Henr.*
Ettmuller, *Mich.*

F.

Fabricius ab Aquapendente, *Hieron.*
Fabricius Hildanus, *Guil.*
Falckius.
Fallopius, *Gabr.*
Fauchart, *Pierre.*
Febure, *Nic.*
Fernelius, *Io.*
de Fiſcher, *Io. Bernh.*
Fizes, *Anton.*
Floyer, *Iohn.*
Fonſeca, *Roder.*
Fontanus, *Nicol.*
Fontena.
Forbes, *Theodor.*
Foreſtus, *Petr.*
Fracaſtorius, *Hieron.*
Freind, *Io.*
Freitag, *Io.*
Frewin, *Richard.*
Fullerus, *Thom.*

G.

Galenus, *Claud.*

Garnier.
Gehema, *Ian. Abrah.*
Geoffroy, *Steph. Franc.*
Geraudly, *Claud. Iacques.*
Gerbezius, *Marcus.*
Geſnerus, *Conr.*
Ghiſi, *Mart.*
Gieſelerus.
Glaſer, *Chriſtophor.*
Glauberus, *Io. Rud.*
Gmelinus, *Phil. Frid.*
Goelicke, *Andr. Ottomar.*
Goris, *Gerb.*
de Gorter, *Io.*
de Graaf, *Regner.*
Grashuis, *Io.*
Grevinus, *Iac.*
Grimmius, *Io. Caſp.*
Günz, *Iuſt. Godofr.*

H.

de Haen, *Anton.*
Hagendorn, *Ehrenfr.*
Haguenot, *Henry.*
Hahn, *Io. Godofr.*
de Haller, *Albert.*
Hamberger, *Geo. Erhard.*
Hamilton, *Dav.*
Harderus, *Io. Iac.*
Harris, *Gualth.*
Hartmann, *Io.*
Harvey, *Gideon.*
Haſeneſt, *Io. Geo.*
Havers, *Clopton.*
Hazon, *Iac. Albert.*
Hebenſtreit, *Io. Ern.*
Hecquet, *Phil.*
ab Heers, *Henr.*
de Heide, *Anton.*
Heiſter, *Laurent.*
Held, *Gothofr.*
Helmontius, *Io. Bapt.*
de Helwich, *Chr.*
Herrmann, *Paul.*
Heucher, *Io. Henr.*
Heurnius, *Io.*
Heute, *Bernh.*
van der Heyden, *Herm.*
Hildesheimius, *Franc.*
Hippocrates.
Hodges, *Nathan.*
Hoechſtetterus, *Phil.*
Hoffmann, *Caſp.*
Hoffmann, *Frid.*
Hollerius, *Iac.*
Horſtius, *Io. Dan.*
ab Horto, *Garcias.*
Hoyerus, *Io. Geo.*
Hugo, *Aug. Ludov.*
Hummelius, *Io.*
Hunauld, *Franc. Io.*
Hundertmark, *Car. Frid.*
Huxham, *Iohn.*

I.

Ioel, *Franc.*
Iones, *Iohn.*
Iuncker, *Io.*
Iurin, *Iac.*
de Iuſſieu, *Chph.*

K.

Kaau-Boerhaave, *Abrah.*
Kaempffer, *Engelb.*
Kanold, *Io.*
Keil, *Iames.*
Kinneir, *David.*
Kirkpatrick, *Iac.*
Klaunigius, *Godofr.*
Knight, *Thom.*

Kramer, *Geo. Henr.*
Krauſius, *Car. Chriſt.*
Krugius, *Theodor. Chriſtoph.*
Krüger, *Io. Gottlob.*

L.

Lacy, *Nathan.*
Lamberti.
Lambsma, *Nic.*
Lanciſius, *Io. Maria.*
Lange, *Chr. Io.*
Langelottus, *Ioel.*
Laurembergius, *Guil.*
Lazerme, *Iac.*
Ledelius, *Sam.*
Leigh, *Carol.*
Lemery, *Nic.*
Lemnius, *Levinus.*
Lentilius, *Roſin.*
Leonicenus, *Ian.*
Libavius, *Andr.*
Liger, *Charles Louis.*
de Lille, *Chriſt. Everh.*
Lindeſtolpe, *Io.*
Liſterus, *Mart.*
Lobb, *Theoph.*
Loeſcher, *Mart. Gotthelff.*
Lommius, *Iodoc.*
Lorry.
Louis.
Lowerus, *Richard.*
Ludovici, *Dan.*
Ludwig, *Chriſt. Gottlieb.*

M.

Maitre-Ian, *Antoine.*
Malpighius, *Marcell.*
Marcellus.
Mareſchottus, *Caeſ.*
Mariottus, *Edmund.*
Matthiolus, *Petr. Andr.*
Mauchart, *Burc. Dav.*
Mauriceau, *Franc.*
Mazini, *Io. Bapt.*
Mead, *Richard.*
Meibomius, *Henr.*
Mercatus, *Ludov.*
Mercurialis, *Hieron.*
de la Mettrius, *Iulian. Offrai.*
Michaelis, *Io.*
Mindererus, *Raym.*
Miſchelottus, *Petr. Anton.*
Mollenbroccius, *Valent. Andr.*
Monro, *Alex.*
Montanus, *Io. Bapt.*
Moorius, *Barth.*
Morgagnus, *Io. Bapt.*
Morganus, *Thom.*
Morgenbeſſer, *Mich.*
Mortonus, *Rich.*
Mullerus, *Io. Matthias.*
Musgrave, *Guil.*
Muys, *Io.*
a Mynſicht, *Hadr.*

N.

Nenter, *Geo. Phil.*
Neumann, *Caſp.*
Nicolai, *Ern. Anton.*
Nigriſolus, *Franc. Maria.*
Nihell, *Iac.*
Noguez.
Nuck, *Ant.*

O.

Omichius, *Franc.*
Oribaſius.

P.

Pacchionius, *Ant.*
Panarolus, *Dominic.*

Para-

Paracelſus, *Aur. Phil. Theophr.*
Paraeus, *Ambroſ.*
Parſons, *James.*
Paſta, *Andr.*
Pauli, *Simon.*
Pechlinus, *Io. Nic.*
Petermann, *Andr.*
Philo, *Tarſenſis.*
Piens, *Franc.*
Pinelli, *Mich.*
Piſo, *Car.*
Pitcarnius, *Archibald.*
Platerus, *Felix.*
Platnerus, *Io. Zach.*
Polidamus, *Valent.*
Pomet, *Pierre.*
Poterius, *Petr.*
Preislerus, *Chph. Guil.*
de Preſſeux, *Phil. Ludov.*
Preuſſius.
Primeroſius, *Iac.*
Pringle, *John.*

Q.

Quercetanus, *Ioſeph.*

R.

Rammazzini, *Bernardinus.*
Ranchinus, *Franc.*
Raymannus, *Io. Adam.*
Rega, *Henr. Ioſeph.*
a Reies, *Gaſp.*
Reimannus, *Io. Adam.*
Reneaume.
Renodaeus, *Io.*
Reſingius.
Rhaſes, *Abubeter.*
Rhodius, *Io.*
Richter, *Geo. Gottlob.*
Ridley, *Humfred.*
Riedlinus, *Vitus.*
Riolanus, *Io.*
Ritter, *Io.*
Riverius, *Lazar.*
Roederer, *Io. Iac.*
Rolfinck, *Guerner.*
Rondeletius, *Guil.*
Roſen, *Nic.*
van Royen, *Adrian.*
Rudniczky, *Ignat.*
Ruyſchius, *Freder.*

S.

Saar, *Io. Iac.*
Sala, *Angelus.*
Salmuthus, *Phil.*
Sanctorius, *Sanctorius.*
Savanarola, *Io. Mich.*
Savary, *Iacques de Bruslons.*
Saviardus, *Barth.*
Scardona, *Io. Franc.*
Schelhammer, *Gunth. Chph.*
Schenckius, *Io. Theod.*
Schneider, *Conr. Vict.*
Schreiber, *Io. Frid.*
Schroeder, *Io.*
Schultens, *Alb.*
Schultzius, *Io. Henr.*
Schwencke, *Thom.*
Scribonius, *Largus.*
Scultetus, *Io.*
Sennert, *Dan.*
Septalius, *Ludov.*
Serapio, *Io.*
Severinus, *Marc. Aurel.*
Simſon, *Thom.*
Sinapius, *Mich. Aloyſius.*
Sinibaldus, *Io. Bened.*
Slevogt, *Io. Hadr.*

Smellie,

Smellie, *William.*
Springsfeld, *Gottlob. Car.*
Sproegel, *Io. Adrian. Theod.*
Stahl, *Geo. Ern.*
Stahl, *Ivo Io.*
Stalpart van der Wiel, *Corn.*
Stancarius, *Io. Anton.*
Starckeus, *Geo.*
Stedmann, *Iohn.*
Stenzel, *Chr. Gottfr.*
Stoerck, *Anton.*
Strother, *Edw.*
Stuart, *Alexand.*
Stubs.
van Swieten, *Gerard.*
Sydenhamus, *Thom.*
Sylvaticus, *Bened.*
Sylveſter, *Iohn.*
Sylvius, *Franc. de le Boë.*
Sylvius, *Iac.*

T.

Tabernaemontanus, *Iac. Theodor.*
Tachenius, *Otto.*
Talbotius.
Tavernierius, *Iean Bapt.*
Tencke.
Thebeſius, *Io. Ehrenfried.*
Thomſon, *Alexand.*
Thonerus, *Auguſtin.*
Tillingius, *Matth.*
Timaeus, *Balthaſ.*
Tiſſot, *S. A. D.*
Toſetti.
Trallianus, *Alexand.*
Triller, *Dan. Wilh.*
Tronchin, *Theod.*
Tulpius, *Nic.*

V.

Valentini, *Mich. Bernh.*
Valeſius, *Franc.*
Vandelli, *Dominic.*
Vater, *Chriſt.*
Verzaſcha, *Bernh.*
Vigo, *Io.*
de Villars, *Gerard.*
Vogel, *Rudolph. Auguſtin.*

W.

Walaeus, *Io.*
Waldſchmid, *Io. Iac.*
Walther, *Auguſtin. Frid.*
Waſſe.
Wedel, *Geo. Wolffg.*
Welſch, *Geo. Hieron.*
Wepferus, *Io. Iac.*
Werlhoſius, *Paul. Gottl.*
Weſtphal, *Io. Caſp.*
Whytt, *Robert.*
Williſius, *Thom.*
Wintringham, *Cliffton.*
Wurtzius, *Felix.*

Y.

Young, *Georg.*

Z.

Zacutus, *Luſitanus.*
Zaffius, *Rudolph.*
Zimmermann, *Io. Geo.*
Zwelferus, *Io.*
Zwingerus, *Theod.*

# INDEX
## rerum memorabilium.

Prior numerus ſectionem, poſterior paginam indicat.

### A.

*Abortus* IV. 102 ſqq.
*Abſceſſus* cubiti diarrhoea ſolutus III. 251 hepatis III. 252 inteſtinorum III. 250 meſenterii III. 254 veſicae II. 294 ab uſu opii temerario II. 92
*Abſorbentium* uſus in convulſionibus infantum ab acido IV. 151 in diarrhœa a fermentantibus III. 225 in torminibus infantum IV. 143
*Acetum* antidotum opii IV. 238 ſqq.
- - eius uſus in mania plethorica IV. 79 in peſte II. 166. 172 in pleuritide II. 203
*Acida* antidotum opii IV. 237 ſqq
- - non corrigunt opium I. 344
- - horum uſus in febribus malignis II. 183 in peſte II. 167 in vomitu ab ira III. 87
*Acria* an opium corrigant? I. 304 ſqq. in febribus intermittentibus noxia II. 62
*Acrimonia* bilioſa diarrhœæ in febribus acutis cauſſa III. 267
- - - humorum cauſſa ſingultus III. 110 tuſſis III. 139
*Adſtringentium* uſus in diarrhœa a laxitate inteſtinorum III. 226. 229
*Affim* Ægyptiorum I. 93
*Alcalina* an opium corrigant? I. 351
- - volatilia in convulſionibus infantum IV. 152
*Alcohol vini* opio analogum I. 76. 116. 166
*Alexipharmaca* parum in peſte proſunt II. 161 ſqq.
*Alvi fluor*, vid. *Diarrhoea.*
- *ſuppreſſio* ab opio I. 138. 143 cur? I. 268. 273 contraindicans opii in mania IV. 73 in melancholia IV. 57 ſq. quatenus opii uſu in ileo tollatur II. 259
*Ambrae* uſus in vigiliis ſenum IV. 164
*Anaſarca* vid. *Hydrops.*
*Andromachi* ſcopus in concinnanda theriaca I. 93
*Anevrysma* cauſſa palpitationis cordis III. 167 ſqq.
*Anginae varioloſae* opium non convenit II. 139
*Animales vires* debilitat opium I. 105 cur? I. 231 ſqq.
*Animi* commotio cauſſa vomitus III. 87
- - hilaritas et alacritas ab opio I. 92 qua ratione contingat I. 212 ſqq.
*Anodyna* opii vis I. 104 quatenus eam exerceat I. 229
*Anodynorum* uſus in podagra retropulſa II. 346
*Anthelmintica* vis opio vix ineſt I. 149
*Antemeticum Riverii* quid? III. 65 eius uſus in vomitu ab irritatione III. 88
*Antifebrilia medicamenta* quænam? II. 59
- - - an opium tale? II. 60. 67. iis contrariatur opium II. 100 ſq.
*Antimonii vitrum* ceratum in dyſenteria III. 185
*Anxietas febrilis* quid? II. 117
- - - opium non fert II. 119
- - - phthiſicorum ſymptoma non fert opium IV. 31 ſq.
*Aphthae* cauſſa ſingultus III. 118 diarrhœæ febrilis III. 271
*Apii* loco opium ex errore adhibitum mortem induxit I. 115
*Apoplexia* effectus opii I. 114 cur? I. 243

*Apoplexia* arthriticis ab opio metuenda II. 343
- - - ſenibus præcipue contingit IV. 162
*Aqua* an corrigat opium? I. 325
- - menſtruum opii I. 155
- - aquae aromaticae in cardialgia II. 225 in colica II. 235
- - aqua calcis vivae lacte remixta in ſudore phthiſicorum compeſcendo IV. 35 in ulcere pulmonum IV. 17
- - calida in podagra II. 340
- - Carolinarum aquarum uſus in calculo renum II. 286 in malo hypochondriaco III. 40
- - deſtillata opii pollet vi anodyna I. 159
- - frigida in mania plethorica IV. 80
- - martialium aquarum uſus in fluxu hepatico III. 242
- - mineralium inebrians vis I. 218
- - ſelteranarum uſus in diarrhœa purulenta III. 255 in ulcere veſicae II. 298
- - ſpadanarum uſus in diarrhœa ab aphthis III. 271 in diarrhœa cruenta III. 246 in dyſenteria a laxitate III. 228 in ulcere veſicæ II. 210
- - tepida antidotum opii IV. 231 antidotum venenorum IV. 226 eius uſus in arthritide II. 340 in vomitu a veneno III. 72
*Aromata calida* an opium corrigant? I. 304 ſqq. 313
- - in febribus intermittentibus noxia II. 62
- - halitus eorum ſæpius noxii I. 113 ſq.
*Arſenicum* remedium et venenum I. 40
- - venenum eiusque antidota IV. 226 ſq.
*Arteriarum* pulſus aſſumto opio intenditur et acceleratur I. 56
- - - *carotidum* fabrica et habitus ad opium I. 209
*Arteriotome* in cephalalgia II. 221 temporalis in mania plethorica IV. 78
*Arthritis* II. 319 eius cauſſæ II. 320 ſq.
- - eius prophylaxis et curatio radicalis II. 322
- - curatio in paroxysmo an opium poſcat? affirmatur II. 326 negatur II. 329 conditiones, ſub quibus paroxysmus illud exigat II. 313 ſqq. 335
- - curatio topica per varia II. 338 ſqq. per opiata externa IV. 177 quae tamen non probatur IV. 206
- - retropreſſa cauſſa diarrhœæ III. 259
- - Veterum quid? II. 301
*Articulis* opium externe applicatum IV. 177 parum utilitatis præſtat IV. 206
*Aſa foetida* in malo hyſterico III. 48
*Aſcites* vid. *Hydrops.*
*Aſpera arteria* infarcta tuſſis cauſſa III. 126
*Aſthma* ejusque cauſſæ III. 151
- - ei in genere conſiderato adverſum eſt opium III. 152
- - eius cauſſis non quadrat opium III. 154
- - arthriticum quatenus opium ferat II. 343
- - convulſivum III. 160 ſq.
- - pituitoſum III. 155
- - a podagra retropreſſa III. 163
- - ſanguineum III. 156
*Atmoſphæræ* externæ vis circa actionem opii I. 284 ſq.
*Atra bilis* cauſſa mali hypochondriaci III. 36 atrabilaria diarrhœa III. 247
*Auditus* vitiis an topicus opii uſus? IV. 172. 195

B.

*Balnea* an ſint antidotum opii IV. 242
- - eorum uſus in menſibus doloroſis IV. 91
*Bernavi* electuarium opiatum I. 94. eius effectus I. 99
*Bers* electuarium opiatum I. 94
*Boerhaavii* ſudoriferum antipyreticum quid? II. 67

*Bontii* extractum croci I. 345 eius uſus in diarrhœa III. 208 in dyſenteria III. 175 in ulcere pulmonum IV. 17
*Bubones*, an ad ſolutionem peſtilentiae conferant? II. 168

C.

*Calculus* bilis II. 242 renum II. 274. 279 veſicae II. 288 ſenum an opium requirat? IV. 168
*Calor* corporis naturalis opio augetur I. 67 ſqq. cur? I. 201
- - auctus perducit ad frigus I. 203 ſq.
- - febrilis opio non mitigatur II. 103
*Camphoræ* uſus in febribus malignis II. 184 in malo hyſterico III. 48 in mania IV. 70 in peſte II. 167 in pleuritide II. 210 in vomitu arthritico III. 78
*Cancer* an opium expoſcat? II. 198 vel topicam opii applicationem? IV. 182. 218
*Caput* ab opio valde afficitur I. 87 ſqq. cur? I. 208 an topice ei opium ſit applicandum? IV. 171. 194 eius dolor vid. *Cephalalgia*.
*Cardiaca* medicamenta quænam ſint? I. 65 an opium tale? I. 65 eorum uſus in febribus malignis II. 178
*Cardialgia* II. 224 an opium ei medeatur? II. 225
- - ſymptomatica eiusque ſpecies II. 228
- - an ei externus opii uſus conveniat? IV. 176. 205
*Carotidum* tunicae et habitus ad opium I. 209
*Carus* quid? II. 115
*Caſtorei* miſcela cum opio I. 305 uſus in abortu IV. 104 in malo hyſterico III. 48
*Cataplasmata* opiata IV. 170 parum utilitatis habent IV. 216
*Catarrhus* quid? III. 128 cauſſa phthiſis pulmonalis IV. 1 tuſſis III. 128
*Catharticorum* uſus in colica biliosa II. 242 in ileo II. 260 in variolis II. 140
*Cauſtica* opio remixta non ſine dolore agunt IV. 195 eorum uſus in epilepſia III. 28
*Cauteria* in dolore iſchiadico II. 314
*Cephalalgia* II. 212 eius cauſſa II. 213 an opium eidem? II. 214 obiectio opio faventium in eius medela confutata II. 217 ab opio potius oritur II. 219 an opium ei externe adhibendum? IV. 171. 194
*Cerebri* eiusque vaſorum habitus ad opium I. 278 ſq.
- - compreſſio a rarefactione ſanguinis I. 198 ſq. cauſſa debilitatis I. 233 paralyſeos I. 244 ſomni I. 238
- - debilitas cauſſa maniae IV. 71 melancholiæ IV. 56
- - læſio cauſſa ſingultus III. 119
*Chalybis* uſus in malo hyſterico III. 62
*Chemica* opii analyſis I. 155. ſqq.
*Chinæ* cortex vid. *Cortex peruvianus*.
*Chiragræ* quatenus opium? II. 337
*Cicuta* delirium inducit IV. 64 eius uſus in cancro IV. 219
*Circulus* omnis humorum opio exhibito intenditur et acceleratur I. 56 ſqq.
*Clyſmatum* uſus in convulſionibus infantum IV. 151 in diarrhœa colliquativa a mercurialibus III. 258 in dolore colico II. 233 ſq. in dyſenteria III. 177
- - opiatorum uſus generalis IV. 179 limitatus IV. 208 ſq. in diarrhœa phthiſicorum IV. 37. in vomitu III. 66
- - Clyſmata ſtimulantia an ſint antidotum opii ut veneni? IV. 236
*Coctio* in febribus turbatur ab opio II. 96
*Cœliacus* fluxus III. 231
*Colica* quid? II. 233 arthritica II. 248 biliosa II. 239 hyſterica III. 54 piſtonum II. 266 ſaturnina II. 245
*Collyria* varia opiata IV. 174 noxius eorum

eorum uſus IV. 197 Tayloro uſitatum collyrium IV. 199
*Convulſiones* earum indoles, et cauſſæ III. 1 ſqq. effectus opii I. 118 cur? I. 152
- - - hyſtericae III. 57
- - - infantum quatenus opio curentur IV. 148 vel producantur IV. 149
- - - ab inanitione III. 4 harum therapia III. 10
- - - ab irritatione III. 4 harum therapia III. 14
- - - a repletione III. 3 harum therapia III. 5
*Convulſivi morbi* III. 35 ſqq. convulſiva tuſſis III. 146
*Cordis* motus poſt aſſumtum opium intenditur, et acceleratur I. 56. ſqq. 64 ſq.
*Corporis* humani diverſus habitus ad opium I. 277 ſqq.
*Correctio* opii I. 286 per acida I. 344 per acria et aromatica calida I. 304 per alcalina I. 351 per aquam I. 325 per fermentationem I. 341 Hoffmanno laudata I. 312 per purgantia I. 313 Schulzio laudata I. 308 per ſpirituoſa I. 323 per toſtionem I. 319 per varia I. 318 omnis inutilis I. 289 353
*Corticis* peruviani correctio inutilis I. 303
- - miſcela cum opio in febribus intermittentibus II. 70 ſq. cum rhabarbaro II. 71
- - vires II. 69
- - uſus in cephalalgia periodica II. 223 in diarhœa cruenta III. 246 in dyſenteria cum opio iuncti III. 206 in epilepſia III. 27 in febribus intermittentibus II. 58. 70 ſq. in febri phthiſicorum noxius IV. 22 febri ſuppuratoriæ variolarum non conveniens II. 143 in malo hypochondriaco III. 39 hyſterico III. 62 in rhevmatiſmo II. 318 ſq. in ſingultu febrium intermittentium III. 117 in ſingultu a vermibus III. 109
- - Winterani uſus in rhevmatiſmo II. 313
*Cretae* uſus in diarrhœa infantum ab acido IV. 141
*Criſis* febrium quid? II. 97 turbatur opio ib.
*Croci* analogia cum opio I. 114
- exhilarans vis I. 217
- correctio opii inutilis I. 306
- extractum Bontii vid. *Bontius.*
*Cutis* efflore ſcentiæ ab opio I. 136
- excretio ab opio augetur I. 132 cur? I. 259
- habitus ad opium I. 284

## D.

*Debilitas* corporis opium contraindicat I. 282
- - a compreſſione cerebri I. 233
- - a rarefactione ſanguinis I. 232
- - a ſudore ib.
*Delirium* qua ratione differat a ſomniis I. 256
- - effectus cicutae IV. 64 opii I. 122 IV. 63 cur? I. 255
- - febrile quid? II. 165 eius cauſſa II. 110 non fert opium II. 107 ſq. ſed augetur ab eo II. 111
*Dentitio* difficilis IV. 145 an opium ferat? IV. 146
- - convulſionum cauſſa IV. 154 ſq.
*Dentibus* opium topice applicatur IV. 174. 187 vt cauſticum agens IV. 200
*Diaphoretica* opii vis I. 132 cur? I. 259 an maior ſub ſomno? ib.
*Diaphoreticorum* uſus in diarrhœa feroſa III. 237 in peſte II. 164
*Diarrhoea* eius in genere ſpectatae indoles III. 217
- - - quatenus opium ei conveniat? III. 207
- - - interdum cum damno ſiſtitur III. 211

*Diar-*

*Diarrhoea*, interdum cum damno ſibi permittitur III. 215
- - - clyſmatibus opiatis tractata IV. 212 ſq.
- - - eius ſpecies: arthritica II. 346 atrabilaria III. 247 bilioſa III. 238 colliquativa in phthiſi III. 255 critica et ſalubris III. 212 ſq. a cruditatibus III. 220 cruenta III. 243 a dentitione difficili IV. 147 a draſtico purgante III. 218 in febribus acutis III. 259 malignis II. 186 gravidarum IV. 98 hepatica III. 242 hyſtericarum II. 51 infantum IV. 139 a laxitate inteſtinorum III. 225 a mercurialibus III. 256 a mobilitate nervorum III. 230 in morbillis II. 151 a perſpiratione inſenſibili ſuppreſſa III. 230 phthiſi accedens IV. 36 pituitoſa III. 232 puerperarum lochiis ſuperveniens IV. 123 eiusque curatio IV. 126 purulenta et ulceroſa III. 249 a retropulſa materia acri III. 258 ſeroſa III. 234
*Dolor*, quomodo oriatur I. 224 eius ſedes et cauſſæ II. 190 opio ſedatur I. 103 cur? I. 222 ſq.
- - compeſcitur compreſſione ſenſorii communis nervorumque I. 227 relaxatione fibrarum nervoſarum I. 230
- - eius indicatio cauſſalis, curatoria et palliativa II. 191
- - canones generales circa uſum opii in eius ſanatione II. 192 ſqq.
- - eius ſenſus opio tantum minuitur II. 192
- - in dyſenteria compeſcitur opio III. 191
- - vehementior urget opium III. 204
- - inteſtinorum dolores ſanandi methodus II. 270
- - iſchiadicus II. 313
- - partus ſpurii IV. 107
- - poſt partum IV. 112
*Draſtica* purgantia cauſſa diarrhœæ III. 218 ſingultus III. 109 vomitus III. 71
*Dyſenteria* quid? III. 172 eius cauſſæ et ingenium III. 182 curatio per evacuantia III. 184 cui repugnat opium III. 189 curatio per opiata laudatur III. 169 ab aliis rejicitur III. 177 opiata in eius curatione abeſſe vix poſſunt III. 180 quibus ſub conditionibus opium ei proficuum III. 191 limitatus in ea opii uſus III. 193 ſqq. quænam eius conditiones opium valde urgent? III. 201 ſq. an ei clyſmata opiata vel theriacalia? IV. 214
- - gravidarum IV. 99
*Dyſpnoea* effectus opii I. 86. 207

E.

*Ebrietas* effectus opii I. 98 cur? I. 218 cauſſa prædiſponens maniæ IV. 71
*Emetica* an ſint antidotum opii? IV. 230 eorum uſus in aſthmate pituitoſo III. 155 in diarrhœa febrium III. 268 in dyſenteria III. 184 in febribus malignis II. 180 in tuſſi ſtomachali III. 143 in vomitu febrium malignarum III. 76
*Emmenagogorum* connubium cum opio IV. 92
*Emollientium* uſus in podagra II. 341
*Empirici* frequenter uſi ſunt opio I. 16
*Emplaſtra* opiata IV. 171 parum proſunt IV. 216 delirium faciunt I. 124
*Epilepſia* in genere conſiderata III. 16 eius differentia a convulſione III. 17 ei opiata non conveniunt ante paroxyſmum III. 28 nec in paroxyſmo III. 29 nec eo ad finem vergente III. 30 nec vacuis a paroxyſmo temporibus III. 31 ſq. hæreditaria et connata III. 19 hyſterica III. 59 idiopathica III. 20 infantum IV. 148 quatenus ei opium juvet IV. 153
*Equitationis* uſus in phthiſi pulmonali IV. 17
*Eryſipelas* quid? II. 90

*Europæi* quandoque largiorem opii doſin per conſuetudinem ferre diſcunt I. 362 ſqq. largioribus opii doſibus necantur I. 366
*Exanthemata* ab opii uſu I. 132 ſqq.
*Excretio* cutanea opio augetur I. 132 cur? I. 259 reliquæ opio ſupprimuntur I. 138 cur? I. 264
*Extractum* opii aquoſum I. 156 effectus eius mitior I. 160. 166 eius præparatio I. 328 mitius opio crudo I. 330 cur? I. 337
- - ſpirituoſum vehementioris effectus I. 162 aqua coctum mitius fit I. 163

F.

*Faciei* rubor effectus opii I. 88
*Fatuitas* effectus opii I. 126 cur? I. 256
*Febrifugum Talbotii* quid? II. 70
*Febris* theoria et praxis generalis II. 76 ſqq.
- - eius ingenio opium non quadrat II. 80
- - abitum in ſanitatem retardat opium II. 88
- - mutationi in alios morbos favet opium II. 89
- - mutationem in mortem iuvat opium II. 92
- - indicationibus veris contrariatur II. 94
- - coctionem et criſin turbat opium II. 96
- - veris remediis opium contrariatur II. 100
- - in phthiſi pulmonali, an ab opio ei palliatio? IV. 21
*Febrilis* anxietas opium reſpuit II. 117
*Febrium* acutarum in curatione ab opio abſtinendum II. 119 earumque diarrhoea III. 259 ſq.
- - continuarum therapia II. 73 an opium iis? II. 74 ſqq.
- - intermittentium cauſſæ II. 59 earum curationi an opium conveniat? II. 57 in paroxyſmo opium noxium II. 59 extra earum paroxyſmum interdum proficuum II. 64 ſqq.
- - malignarum curatio per opiata II. 173 an iis opiata conferant? II. 176 ſqq. ad curationem ſecuriora et efficaciora dantur quam opiata II. 182 ſqq.
- - diarrhoea caute opiatis tractanda II. 186
- - ſingultus curatio III. 105
*Femellis* cur opium periculoſum I. 282
*Fermentatio* inutilis ad correctionem opii I. 341
*Ferri* correctio inutilis et otioſa I. 298 ſqq. eius effectus et uſus I. 302
*Fluor alvi* vid. *Diarrhoea.*
*Fluxus* coeliacus III. 231 hepaticus III. 239 menſium doloroſus IV. 88
*Foetui* uſus opii noxius IV. 94
*Fronti* opium topice adhibitum IV. 172 an conveniat? IV. 194
*Fulleri* decoctum ſacrum II. 179 electuarium adſtringens III. 209 emplaſtrum nephriticum IV. 176 julapium puerperarum IV. 116 linimentum hæmorrhoidale IV. 177

G.

*Gangræna* topico opii uſu non cohibetur IV. 217 ſq. ſingultu coniuncta III. 120
*Gonagræ* an opium conferat? II. 337
*Gravidarum* morbis an opium? IV. 93 ſqq.
- - cardialgia II. 229
- - diarrhoea IV. 98
- - nauſea et vomitus IV. 95 tuſſis IV. 101
*Gravitas* capitis effectus opii I. 88 cur? I. 208
*Guajaci* uſus in rhevmatiſmo II. 313
*Gummoſum* opii extractum I. 156 eius effectus I. 163

H.

*Habitus* corporis ad opium qualis? I. 280 ſqq.

*Hæmoptyſis* II. 20 ab opio oriri poteſt II. 26 a tuſſi plethorica III. 141
*Hæmorrhagiarum* ingenium et indicationes II. 4
- - iis opium a practicis commendatur II. 1 ſqq.
- - an eas coerceat opium? confutatur II. 7 ſqq.
- - eas ſiſtendi vis opii limitatur II. 13
*Hæmorrhagiæ* narium an opium conveniat? II. 15 ſqq.
- - ſenum IV. 163
- - vteri caſus III. 13 ei perperam opium commendatur II. 41 ſqq.
*Hæmorrhoides* nimiæ II. 37 opio magis promoventur II. 38 earum curatio II. 39 iis tamen interdum opium prodeſt II. 40 an iis topicus opii uſus? IV. 177 cur noxius? IV. 207
- - ſuppreſſæ cauſſa ſingultus III. 107 vomitus III. 87
*Hahnius* mictu cruento obiit II. 34. 290
*Halitus* aromatum noxii I. 113
- - opii ſoporem pariunt I. 113
*Hecquetus* opii ſummus encomiaſtes I. 7
*Hemicrania* opio curata II. 215
*Hemiplegia* ab opio I. 244
*Hepar* an ſit ſedes fluxus hepatici? III. 241 eius abſceſſus III. 252
*Hepatica* diarrhœa ſeroſa III. 242
*Hernia* II. 265
*Hilaritas* animi effectus opii I. 92 cur? I. 212
*Hirudinum* uſus in convulſionibus a dentitione IV. 154 ſq.
*Hoffmannus* liquorem ſuum anodynum opio ſubſtituit I. 48
- - eius correctio opii notatur I. 312
*Hydrops* quid? IV. 46 in eius ſanationem opium ab aliis laudatur IV. 39 ab aliis vituperatur IV. 42 uſus opii in ea limitatus IV. 44 idea hydropis cum opio comparata IV. 46
- - anaſarca IV. 40. 44
- - aſcites IV. 40. 44
*Hypercatharſis* III. 218 ſq.
*Hypochondriacum* malum eiusque ingenium III. 35 ſqq. eius therapia III. 39 ab opii uſu quandoque enaſcitur III. 43
*Hyſtericum* malum III. 44 in eius medela opium laudatur III. 48 ſqq. quoad eius ſymptomata cautiones circa opii uſum III. 51 ſqq. caute eidem opium exhibendum eſt III. 61 ſqq.

I.

*Icterus* a calculis II. 243
*Ileus* II. 253 ſedes morbi et curatio reſpectu opii II. 256
*Imaginatio* cauſſa vomitus III. 87
*Infantum* morbi IV. 130
- - diarrhœæ quatenus opium? IV. 139
- - vomitus opium indicat IV. 137
- - corpora opium ægre ferunt I. 283 IV. 130
*Inflammatio* quid? II. 76 eius ingenio non quadrat opium II. 80 neque particulari convenit opium II. 123
*Inquietudini* maniacorum opium non convenit IV. 65
*Inſomnia* effectus opii I. 120 cur? I. 254
*Inteſtinorum* dolores varii II. 233 ſqq. chronici II. 269 iis medendi methodus II. 270
- - inflammatio II. 248
*Iones* panacea liquida I. 327 ſolida ib.
*Ipecacuanhæ* uſus in dyſenteria III. 184 in tuſſi ſtomachali III. 143 in vomitu febrium malignarum III. 67
*Ira* cauſſa vomitus III. 87
*Irritabilitas* actionem opii in neruos non declarat I. 184
- - cauſſa motus cordis I. 201. 249
- - nervorum vomitus cauſſa III. 90
*Iſchidiacus* dolor eiusque therapia II. 313 ſqq.
*Iſchuriæ* ſenum quatenus opium conveniat IV. 167

L.

## L.

*Lac* antidotum venenorum IV. 226 ſq.
- eius uſus in abſceſſu hepatis III. 255 in diarrhoea gravidarum IV. 101 phthiſicorum IV. 36 puerperarum IV. 129 in dyſenteria III. 198 in hypercatharſi III. 219 in ſingultu a draſticis et veneno III. 72 in tuſſi phthiſicorum IV. 27 in ulcere inteſtinorum III. 250 in vomitu a veneno III. 72
- cum aqua calcis remixti uſus in ſudore phthiſicorum IV. 35
- - cum aquis mineralibus in mania plethorica IV. 81
- ebutyrati uſus in diarrhoea bilioſa III. 249 in phthiſi I. 147 eaque pulmonali IV. 11. 17 in ulcere pulmonum IV. 17

*Lactea* puerperarum febris opium non fert IV. 114

*Langelotti* laudanum opiatum cydoniatum I. 341

*Languor* effectus opii I. 108 ſq.
- - febrilis in morbillis an opium ferat? II. 148

*Laudanum* unde originem? I. 354
- - plures medici ſibi vario modo pararunt I. 318
- - liquidum Sydenhamii an ſit cardiacum? I. 66
- - eius uſus in abortu IV. 106 in anaſarca IV. 41 in colica hyſterica III. 54 in convulſionibus a dentitione IV. 156 in diarrhoea III. 208 febrium acutarum III. 265 infantum IV. 141. 147 in dyſenteria III. 174 in ileo II. 255. 260 in malo hyſterico III. 50. 52 in mania IV. 60 in nephritide calculoſa II. 258 ſq. in partus doloribus ſpuriis IV. 109 iisque poſt partum IV. 117 in tuſſi III. 124 in vomitu III. 65 infantum IV. 138 a veneno III. 73

*Laxis* corporibus opium ægre convenit I. 283

*Lethargus* effectus opii I. 115

*Lienteria*, eiusque therapia III. 230

*Lindeſtolpe* ſyrupus cardiacus I. 66

*Lithontriptica* remedia an vere exiſtant? II. 285 ſq.

*Lochia* opii uſu moventur IV. 115 ſq.
- - eorum fluxus nimius IV. 120. quatenus opio ſanetur IV. 120. 122
- - eorum ſuppreſſio a doloribus poſt partum IV. 116

*Lyſimachiæ* uſus in diarrhoea a laxitate inteſtinorum III. 229

## M.

*Malignitas* febrium in quo conſiſtat II. 177

*Mania* IV. 49 eius cauſſæ IV. 71 ad eius curationem commendatur opium IV. 59 limitatus opii uſus IV. 61 opii uſu magis intenditur IV. 63 ſq. ſymptomatibus eius opium non convenit IV. 65 a vehementi animi affectu & nervoſa opium expoſcit IV. 86
- - ab inanitione fert opium IV. 74
- - ex prægreſſa melancholia, eiusque curatio IV. 73
- - plethorica, huic contrariatur opium IV. 76
- - ſanabilis, ſine opio poteſt curari IV. 83
- - quænam eius ſpecies opium ferat? IV. 86 confertne ei topicus opii uſus? IV. 171 quod negatur IV. 194

*Mannæ* uſus in dyſenteria III. 188. 201

*Martis* correctio eſt inutilis I. 298 ſqq.
- - effectus I. 302
- - uſus in malo hypochondriaco III. 39 hyſterico III. 63

*Maslac* a Turcis dicitur opium I. 93

*Meconium* quid? I. 3

*Medicamentum* quid? I. 37

*Melancholia* IV. 49 ad eius curationem opium laudatur IV. 50 ultra meritum tamen IV. 52

*Memoriæ* defectus poſt opium aſſumtum ſæpius remanet I. 138 cur? I. 256

*Menſium* fluxus doloroſus IV. 88
- - nimius II. 41 eius cauſſæ II. 46


ei

ei ad curationem opium perperam commendatur II. 41 ſqq. limites opii arctiores in eius curatione II. 46 circa eius finem opium non convenit II. 53 ſq. neque vetularum II. 55
- - ſuppreſſio cauſſa ſingultus III. 107 vomitus III. 92 ſq.
*Menynx* cerebri dura ad motum ſanguinis nil refert I. 210
*Mercurialia* cauſſa diarrhoeæ colliquativæ III. 256
- - eorum vſus in ulcere veſicae II. 245
*Mercurii crudi* correctio inutilis I. 291. 297 ſqq.
- - uſus in pilulis I. 293
*Mercurius ſublimatus* quatenus remedium & venenum I. 41
- - venenum eiusque antidota IV. 226
- - eius uſus in cancro II. 199
*Meſenterii* abſceſſus, diarrhoeæ purulentæ cauſſa III. 254
*Meſpilorum* uſus in diarrhoea a laxitate inteſtinorum III. 228
*Mictus cruentus* eiusque therapia II. 32 ſqq.
*Mithridatium Damocratis* a veteribus frequenter uſurpatum I. 19
- - eius uſus in aſthmate III. 152 in malo hyſterico III. 49
*Morbilli* eorumque therapia II. 146. quatenus opium iis conveniat II. 144 ſqq. eorum ſymptomatibus quatenus opium II. 149
*Morbus* niger *Hippocratis* quid? II. 29
*Mors* effectus opii I. 115. 367
*Motus* animales opio minuuntur I. 105 cur? I. 197. 231
- - vitales opio augentur I. 56. 65 cur? I. 197
*Mulierum* morbi IV. 88 ſqq.
*Mynſichti* tinctura antodontalgica IV. 175 eius uſus IV. 203
- - trochiſci de alumine IV. 175
*Myrrhæ* uſus in malo hyſterico III. 49

N.

*Naribus* an opii uſus topicus conveniat? IV. 171. 194
*Nauſea* gravidarum quatenus opium ferat. IV. 95 ſqq.
*Nephritis* eiusque cauſſæ II. 272. in ea culpatur opium II. 273. ab aliis laudatur IV. 278 ſqq.
*Nervi* primariam actionem opii cum ſanguine ſimul experiuntur I. 177. 192 ratio in explicabilis I. 180
*Nervorum* cordis & reſpirationi inſervientium origo I. 200
- - compreſſio cauſſa ſomni I. 239 ſq.
- - conſenſus cauſſa ſingultus III. 111 vomitus III. 90
- - læſioni quatenus opium conveniat III. 15
- - mobilitas cauſſa aſthmatis III. 157 diarrhoeæ III. 230
*Nervoſæ* ſyntaxeos habitus ad opium I. 229

O.

*Oculorum* rubor effectus opii I. 88
*Odontalgia* an opium requirat II. 348 eius cauſſæ & ingenium cum opio collatum II. 349 ſqq. curatio per opium topica IV. 175. 194. 200
*Olea* antidotum venenorum IV. 226
*Ophthalmiæ* an topicus opii uſus conveniat? IV. 174 quod negatur IV. 197
*Opiata* remedia a veteribus medicis frequenter uſurpata I. 18 eorum vis a ſolo opio I. 18 ſqq.
- - an chirurgicis operationibus ſint præmittenda? I. 98
*Opium* quid I. 3 exoticum & europæum an inter ſe differant? ib.
- - alvi libertatem inhibet I. 143 cur? I. 273 ſq.
- - animum exhilarat, alacrem & audacem reddit I. 92 cur? I. 212 ſqq.
- - antidotum venenorum IV. 220 ſqq.
- - calorem corporis naturalem auget I. 67 cur? I. 201
- - excretionem cutaneam auget, alias ſeroſas compeſcit I. 132 ſqq.

*Opium* antifebrilibus remediis contrariatur II. 100 ſqq.
- - inſomnia dormientibus, vigilantibus phantaſmata parit I. 120 cur? I. 253 ſqq.
- - medicamentum quatenus ſit I 36
- - motus animales debilitat I. 105 cur? I. 231 vitales auget I. 56. 65 cur? I. 197
- - pulſum cordis & arteriarum omnemque circuitum humorum intendit & accelerat I. 56 ſqq. cur? I. 194
- - reſpirationem citatiorem & difficiliorem reddit I. 85 cur? I. 205 ſq.
- - ſanguinem determinat ad caput I. 87 cur? I. 208
- - ſanguinem rarefacit, attenuat eiusque volumen auget I. 78 cur? I. 173 ſqq.
- - ſenſuum naturale acumen obtundit & dolores ſedat I. 101 cur? I. 222
- - ſomnum invitat, interdum in altum ſoporem extenſum, qui ſi ingraveſcat, accedente apoplexia & convulſionibus necat I. 110 cur? I. 235 ſq.
- - temulentiam, torporem & ebrietatem inducit I. 98 cur? I. 217 ſq.
- - inter venena a magnis medicis fuit relatum I. 33 ſq. quousque venenum? I. 36
- - ventriculi functioni eſt inimicum I. 140 cur? I. 259 ſq.
- - venereos ſtimulos infert I. 129 cur? I. 257
- - a veteribus medicis parum fuit adhibitum I. 15

*Opii* actio in nervos I. 177 eius modus eſt inexplicabilis I. 180 ſq. incipit in ventriculo I. 186 actio in ſanguinem I. 171 hæc ſola ad primariam actionem non ſufficit I. 175 ſqq. actio primaria producit & rarefactionem ſanguinis & mutationem nervorum I. 192 actio topica quomodo fiat IV. 185. 190 ſqq.
- - analyſis, quæ falſa ſit, quæ genuina I. 149 in partes veras conſtituentes I. 153 ſqq.
- - antiquitas eſt incerta I. 15
- - antiſeptica virtus dubia II. 182
- - aphrodiſiaca vis I. 129 cur? I. 257
- - correctiones vid. *correctio*, omnes inutiles I. 353
- - doſes largiores ferunt orientales populi I. 355 europæi etiam interdum per conſuetudinem ferre diſcunt I. 362 iis tamen etiam necantur I. 366 medicæ I. 369
- - effectuum cauſſa eſt principium vaporoſum & volatile I. 163
- - elementum, in quo conſiſtat I. 166 eſt blandius quam reliquorum narcoticorum I. 168
- - emmenagoga virtus II. 43
- - extractum vid. *extractum*.
- - iſchæma virtus II. 13
- - oleaginoſa ſubſtantia eiusque effectus I. 159. 167
- - partium conſtituentium effectus gradu diverſi in corpore humano I. 159
- - tincturæ vid. *Tinctura*.
- - vapores graveolentes eorumque effectus I. 155. 159
- - uſus generalis hiſtoria I. 1 ſqq. a Paracelſi temporibus in praxi frequentior I. 24 a quibusnam auctoribus ſit diſcendus I. 43 ſqq.
- - uſus ſpecialis in abortu IV. 103 in arthritide II. 319 in aſthmate III. 151 in cardialgia II. 223 in cephalalgia II. 212 in colica eiusque ſpeciebus II. 233 in convulſionibus III. 5 infantum IV. 148. 153 in convulſivis morbis III. 35 in delirio febrili II. 107. 111 in dentitione difficili IV. 146. in diarrhœa III. 207 eiusque variis ſpeciebus III. 220 ſqq. infantum IV. 139 lochiis ſupervenientes IV. 126 in doloribus in genere II. 192 in dolore iſchiadico II. 313 in doloribus partus ſpuriis IV. 107 iisque poſt partum IV. 112 in dyſenteria III. 172 in epilepſia III. 19 in

febribus

febribus intermittentibus II. 57 continuis II. 73 malignis II. 173 in fluxu cœliaco III. 231 hepatico III. 239 menſium doloroſo IV. 88 in gravidarum morbis IV. 93 in hæmoptyſi II. 20 in haemorrhagiis in genere II. 2 narium II. 13 uteri II. 41 in hæmorrhoidibus nimiis II. 37 in hernia II. 265 in hydrope IV. 39 in hypochondriaco malo III. 35 in hyſterico malo III. 44 in ileo II. 253 in infantum morbis IV 130 in inteſtinorum inflammatione II. 248 in lienteria III. 230 in lochiorum fluxu nimio IV. 120 eorumque ſuppreſſione IV. 116 in mania IV. 59 eiusque ſpeciebus IV. 73 in melancholia IV. 48. in mictu cruento II. 32 in morbillis II. 144 in mulierum morbis IV. 88 ſqq. in nephritide II. 272. 279 in odontalgia II. 348 in otalgia II. 356 in palpitatione cordis III. 164 in parturientium morbis IV. 107 in peſte II. 156 in phrenitide II. 108 in phthiſi pulmonali IV. 1 in pleuritide II. 201 in podagra II. 319 in rhevmatismo II. 301 in ſenum morbis IV. 160 in ſingultu eiusque ſpeciebus III. 100 ſqq. in ſpasmo veſicæ urinariæ II. 288 topicus IV. 169 in tuſſi eiusque ſpeciebus III. 123 in variolis II. 125 in vomitu eiusque variis ſpeciebus III. 64 cruento II. 28

*Orientales* populi largiorem opii doſin ferunt I. 356 ſqq.

*Otalgia* an opium ferat? II. 355 an topice opium applicatum poſcat? IV. 172. 195

## P.

*Palpitationis* cordis curatio per opium III. 174

- - cauſſæ & actio opii cum iis comparata III. 165

- - ab anevrysmate III 169 ſq.

- - hyſtericarum III. 170

*Palpitatio cordis* a polypo III. 169

- - a terrore III. 171

*Papaver* veteribus notum fuit I. 13 eius ſeminum differentia ab opio I. 13. IV. 132

*Paracelſus* opiato laudano uſus fuit I. 24

*Paralyſis* effectus opii I. 235 cur? I. 243

*Paraplegia* effectus opii I. 244

*Parturientium* morbi IV. 107 ſqq.

*Pavor* ab opio I. 88

*Pediluviorum* uſus in febre quartana II. 68

*Peripnevmonia* arthritica reſpuit opium II. 344

*Pervigilium* febrile opio non tollitur II. 104

*Peſtis* natura & curatio II. 160 ſqq. ab omni ævo theriacalibus & opiatis fuit tractata II. 156 quo iure id fiat, inquiritur II. 158 maxime intuitu ſolutionis morbi II. 164 genuinam ad ſolutionem an faciat opium? II. 167 an ad ſymptomata? II. 170 an ad prophylaxin? II. 171

*Petechiæ* effectus opii II. 164 curantur acidis II. 185

*Phantaſia* opio inducitur I. 125 ſq. cur? I. 255

*Philonium* medicamentum opiatum I. 19

*Phlegmone* quid? II. 90

*Phrenitis* quid? II. 105 an ei opium? II. 107 ſqq. vel topicus opii uſus IV. 171. qui vero rejicitur IV. 194

*Phthiſis* hepatica ſeu icteritia quid? II. 239

- - pulmonalis quid? IV. 1 curationem aliquando indirecte adiuvat opium IV. 17 ſymptomata non ſemper tuto palliat opium IV. 20

- - a catarrho IV. 1 eius therapia IV. 6

- - ab inflammatione ſuppurata & ulcere IV. 4 eius therapia IV. 12 a tuberculis IV. 2 eius therapia IV. 10

*Pilulæ Aſclepiadis* quid? II. 57

- - *Stahlianæ* & *Becherianæ* lochia promovent, nimia non coërcent IV. 122

*Pilulæ* de Cynogloſſa a *Tralliano* primum deſcriptæ I. 21 earum uſus in aſthmate convulſivo III. 161. in tuſſi III. 123

*Placentæ* avulſio ab utero abortus cauſſa IV. 104

*Plethora* cauſſa maniæ IV. 76 tuſſis III. 140

*Pleuritidi* an conferat opium II. 201 eius ad ſolutionem opium nihil facit II. 206. 249

*Podagræ* ſedes II. 319 prophylaxis & curatio radicalis II. 322 curatio in paroxyſmo an opium poſcat? affirmatur II. 326 negatur II. 329 paroxyſmus quibus ſub conditionibus opium exigat II. 333 ſqq. curatio topica II. 338 per opiata IV. 177 quæ rejicitur IV. 206

- - anomalæ ſeu retropreſſæ eiusque ſymptomatum urgentium medela II. 342

*Polypus* cauſſa palpitationis cordis III. 167

*Pruritus* effectus opii I. 137

*Puerperarum* morbi IV. 107 ſqq.

*Pulſus* cordis & arteriarum opio intenditur & acceleratur I. 56

- - languidus a compreſſione cerebri & cerebelli I. 198

- - ſub ſomno artificiali ab opio qualis? I. 251 ſub ſomno naturali I. 248

*Puncturæ* nervorum an opium? III. 15

*Purgantia* antiphlogiſtica antidotum opii IV. 236

*Purgantium* miſcela cum cortice peruviano in febribus intermittentibus II. 71 cum opio I 313 in ileo II. 261

- - uſus in aſthmate pituitoſo III. 155 in convulſionibus infantum IV. 151 ſq. in dyſenteria III. 187. 194. 201 in epilepſia III. 23. 32 in febre ſecunda variolarum II. 135 in ileo II. 254 in mania plethorica IV. 76 in ſingultu III. 102. 104 in tuſſi pectorali humida III. 135 plethorica III. 141 ſtomachali III. 143

*Pus* per alvum evacuatur III. 249 eius reſorptio in variolis an opium poſcat? II. 134

*Putredini* an opium reſiſtat? II. 181 ſq.

## Q.

*Quercetanus* theriacæ emendator I. 23

## R.

*Rarefactio ſanguinis* ab opio I. 78 ſqq. eius cauſſa & modus I. 173

- - cauſſa apoplexiæ I. 246 debilitatis I. 232 ſomni I. 238

- - an ſit primaria opii actio I. 170. ad quam tamen non ſufficit I. 175

*Refrigerium* cauſſa ſingultus III. 114

*Reſinoſum* opii extractum I. 156 eius effectus I. 162 fortius agit opio crudo I. 330 cur? I. 331 ſq.

*Reſpiratio* citatior & difficilior ab opio redditur I. 85 cur? I. 205

*Rhabarbari* miſcela cum cortice peruviano in febribus II. 72 ſq. cum opio in diarrhœa III. 210

- - uſus in diarrhœa a cruditatibus III. 222 gravidarum IV. 100 puerperarum IV. 126 ſeroſa III. 236 in dyſenteria III. 187 in fluxu hepatico III. 242

*Rhevmatiſmus* quo modo ab arthritide differat II. 301 ſq.

- - univerſalis febrilis reſpuit opium II. 305 ſqq. eum ſanandi methodus II. 310

- - particularis eiusque therapia II. 311 ſq.

*Riverii* antemeticum quid? III. 65 eius uſus in vomitu III. 88

*Rob ſambuci* uſus in febribus intermittentibus II. 68 in peſte II. 167 in rhevmatismo II. 312

## S.

*Sacchari* ſaturni periculoſior uſus II. 246


*Sal*

*Sal volatilis* verus an opio inſit negatur I. 150 ſqq.
*Salia volatilia* inter antidota opii vix pertinent IV. 243
- - an corrigant opium? I. 307
- - opio analoga I. 76
*Sanguis* opio attenuatur I. 81
- - ad caput opio aſſumto congeritur I. 87 ſq. cur? I. 208
- - eius circulus opio acceleratur I. 56. 65 cur? I. 194
- - per caput difficilius circulatur I. 209
- - an ſiſtatur opio? II. 13
*Sapo* an calculum ſolvat? II. 285 eius uſus in rhevmatiſmo II. 313
*Scammonium* nativum an præſtet præparato? I. 349
*Schulzii* correctio opii notatur I. 308 ſqq.
*Secretio* ſeri cutanei opio augetur I. 138 cur? I. 264
*Senii* differentia IV. 162
*Senſibilitas* nervorum opio minuitur I. 230
- - actionem opii in nervos non explicat I. 184
*Senſus* partium topico opii uſu non minuitur IV. 187 ſqq. potius augetur IV. 190
*Senſuum* acumen opii uſu obtunditur I. 101 cur? I. 222 ſqq.
*Senum* morbi IV. 160 ſqq. eorumque cauſſæ IV. 162
- - apoplexia ab opio extimeſcenda IV. 162
- - hæmorrhagia quatenus opium ferat IV. 163
- - tuſſis IV. 166 vigiliæ IV. 164
- - vitia viarum urinariarum IV. 167
*Sinapiſmi* antidotum opii IV. 237
*Singultus* eiusque indoles III. 97 curatio per opiata III. 100
- - ab acrimonia humorum III. 110 ab acrimonia ingeſtorum III. 108 ab aphthis III. 118 a denudata cruſta villoſa III. 117 a dolore & mobilitate nervorum III. 111 ab excretionibus ſuppreſſis III. 107 febrium intermittentium III. 113 malignarum III. 105 ab inanitione III. 121 inflammatorius febrilis III. 103 a læſione cerebri III. 119 a pure ib. a refrigerio III. 114 a repletione III. 101 a veneno III. 109 a vermibus III. 108 a vitio oſſium III. 116 a vomitu violento III. 112
*Somnus* effectus opii I. 110 eius aetiologia I. 235
*Sopor* opio inducitur I. 111 ſq. cur? I. 243
*Sotirella* parva electuarium opiatum IV. 175
*Spaſmus* vaſorum ventriculi cauſſa vomitus III. 81
- - veſicæ, eius cauſſæ & curatio II. 288 ſqq.
*Sphaceloſa* materia cauſſa ſingultus III. 120
*Spirituoſa* ſoporem inducunt I. 116 cur? I. 241
- - an opium corrigant? I. 323
*Spiritus rector* plantarum quid? I. 185
- - opii eſt in volatili I. 164. 166 ſolvitur aqua & ſpiritu I. 331
*Spiritus* vini menſtruum opii I. 156 ab opio abſtractus anodynus I. 159
*Sputatio* ſolvit pleuritidem II. 206
*Stahl*, ſummus opii vituperator I. 7
*Stranguriæ* ſenum an opium conveniat? IV. 167
*Stupor* effectus opii I. 113 ſqq.
*Sudor* effectus opii I. 133 cur? I. 259
- - cauſſa debilitatis I. 232
- - phthiſicorum opio non inhibetur IV. 33
*Sudorifera* ante paroxyſmum febrium intermittentium proficua II. 64
*Suffimigiorum* uſus in tuſſi pectorali humida III. 137
*Suffocatio* a peregrinis in aſpera arteria hærentibus III. 126
*Sulphur* narcoticum opio ineſſe negatur I. 153 ſq.

*Suppoſitoria* opiata IV. 178 noxius eorundem uſus IV. 208
*Suppuratio* variolarum an opium ferat II. 135 ſq.
*Surditati* an topicus opii uſus? IV. 173 negatur IV. 196
*van Swieten* epiſtola conſultatoria de vomitu a ſuppreſſione menſium III. 93 ſq.
*Syncope* arthritica quatenus opium ferat II. 344
*Syrupus* cardiacus *Lindeſtolpii* I. 86

## T.

*Talbotii* febrifugum quid? II. 70
*Tamarindorum* uſus in dyſenteria III. 188
*Taylori* collyrium IV. 199
*Temulentia* effectus opii I. 98 cur? I. 218
*Terebinthinæ* oleum in dolore iſchiadico II. 318
*Terror* cauſſa febris intermittentis II. 66 vomitus III. 87
*Tetanus* quid? III. 2 eius curatio III. 7. 14
*Theriaca Andromachi* I. 93 an ſit antidotum venenorum? IV. 220 cœleſtis *Quercetani* quomodo differat? I. 23
- - eius uſus in aſthmate III. 152 an in clysmatibus adhibenda? IV. 213 in diarrhœa III. 208 224. 257 infantum IV. 141 in doloribus partus ſpuriis IV. 109 in dyſenteria III. 208 in febribus intermittentibus II. 66 in fluxu menſium dolorifico IV. 93 in hydrope IV. 40. 44 in hypercatharſi III. 219 in hyſterico malo III. 49 in ileo II. 254 in mania ab inanitione IV. 75 in peſtilentia II. 157. 161 eiusque prophylaxi II. 172 in torminibus infantum IV. 144 in vomitu III. 47 infantum IV. 138 umbilico & ventriculi regioni externe applicatæ IV. 176. 205
*Tinctura opii* aquoſa I. 156 eius effectus I. 162
- - *Ludovici* eiusque præparatio I. 346
- - ſpirituoſa I. 156 eius virtus I. 162
*Torminibus* infantum an conducat opium? IV. 142
*Torpor* effectus opii I. 98 cur? I. 218
*Toſtio* an corrigat opium? I. 319
*Tracheæ* ſiccitas cauſſa tuſſis III. 122
*Trallianus* maſſæ pilularum de cynogloſſa primus mentionem fecit I. 21
*Tuſſis* indoles III. 124 circa eius medelam cautelæ III. 149 curatio per opiata III. 123
- - ab acrimonia humorum III. 139 artificum III. 125 cachectica III. 144 catarrhalis III. 128 convulſiva III. 146 epidemica III. 137 gravidarum IV. 101 hæmoptoica II. 24 hypochondriaca III. 141 infantum convulſiva IV. 157 morbilloſa II. 149 pectoralis humida habitualis III. 133 a peregrinis in aſpera arteria hærentibus III. 126 in phthiſi pulmonali IV. 22. 29 plethorica III. 140 rhevmatica III. 148 ſenum IV. 166 a ſiccitate tracheæ III. 127 ſtomachalis III. 142

## V.

*Variolæ* an opio ſanandæ? II. 125 ſqq. earum inſitio probatur II. 126 earum eruptioni non convenit opium II. 128 ſq. an in febre ſuppuratoria opium requirant? II. 129
- - confluentes quatenus opium requirant II. 130 ſqq.
*Variolarum* diarrhœa cruenta peſſimum ſymptoma III. 247
*Vaſorum* cerebri fabrica & habitus ad opium I. 278
*Venæſectio* antidotum opii IV. 233 ſq.
- - eius uſus in abortu IV. 103. 105 in aſthmate III. 154 in cephalalgia II. 221 in convulſionibus III. 8 hyſtericis III. 58 in dolore iſchiadico II. 314

in

in doloribus partus ſpuriis IV. 111 in dyſenteria III. 194 in epilepſia III. 23. 32 hyſterica III. 59 in febribus acutis II. 100 in ileo II. 254 in infantum convulſionibus a dentitione IV. 154 in malo hypochondriaco III. 40 in mania IV. 60. 76 in melancholia IV. 57 in morbillis II. 146 in nephritide II. 283 in odontalgia II. 352 in palpitatione cordis III. 168 in peſtilentia II. 161 in pleuritide II. 203 ſq. in podagra retropreſſa II. 344 ſq. in rhevmatiſmo II. 308 in ſpaſmo veſicæ II. 293 in tuſſi plethorica III. 141 in vomitu III. 80. 82
*Venenum* quid? I. 37 an ſit opium tale? I. 33 ſq.
- - cauſſa ſingultus III. 109 vomitus III. 71
*Ventriculi* functioni inimicum eſt opium I. 140. cur? I. 269
- - in membrana nervoſa incipit actio opii I. 186
- - dolor vid. cardialgia.
- - inflammatio cauſſa vomitus III. 81
- - vitium vomitus cauſſa III. 91
- - regioni uſus topicus opii an conveniat? IV. 176. 205
*Venereos* ſtimulos infert opium I. 129 cur? I. 257
*Venus* intempeſtiva cauſſa epilepſiæ III. 32
- - denegata cauſſa melancholiæ IV. 55
*Vermes* cauſſa ſingultus III. 108
*Vertigo* effectus opii I. 88. II. 218
*Veſicatoria* an opii antidotum? IV. 237
- - eorum uſus in aſthmate pituitoſo III. 155 in dolore iſchiadico II. 314 in pleuritide II. 210
*Veſicæ urinariæ* abſceſſus II. 294
- - calculus cauſſa ſpaſmi II. 288
- - ſcabies II. 292
- - ſpaſmus quatenus opio ſanetur II. 288 ſq.
- - ulcus II. 296
*Vigiliæ* febriles opium non ferunt II. 106
- - neque maniacorum IV. 65
- - neque ſenum IV. 164
*Vinum* inter antidota opii non referri poteſt IV. 241
- - eius actio primaria in nervos I. 191
- - eius analogia cum opio I. 74. 362
- - aphrodiſiaca vis I. 258
- - delirium aliquando excludit IV. 64
- - infantibus caute eſt exhibendum IV. 134
- - eius ſtupefaciens vis I. 116
- - eius uſus in epilepſia noxius III. 31 ſq. in mania ab inanitione ſalubris IV. 76 in melancholia præcedit opio IV. 50. 52
- - hungarici uſus in vomitu III. 67
- - rhenani in febribus malignis II. 183
*Vitales* vires opio augentur I. 56. 65. cur? I. 197
*Vitri* antimonii cerati uſus in dyſenteria III. 184
*Vitrioli* martis ſolutio in hæmorrhagia uteri II. 50
*Vlcus* inteſtinorum III. 250
- - pulmonum IV. 16 eius curationem adiuuat opium, ſymptomata non ſemper tuto palliat IV. 20
- - veſicæ urinariæ II. 294. 296
*Vlceribus* an opii topicus uſus conducat? IV. 181 parum iuvat IV. 216
*Vnguenta* opiata IV. 171. noxia IV. 217
*Volatilia* remedia an ſint antidotum opii? IV. 243
*Vomica* pulmonum quid? IV. 4 eius therapia IV. 12 ſqq.
*Vomitoria* vid. *Emetica.*
*Vomitus* effectus opii I. 272 cur? I. 332
- - quatenus topico opii uſu ſanetur IV. 176. 205
*Vomi-*

*Vomitus* ab arthritide retrocedente III. 77 a calculo veſicæ felleæ II. 244 a conſenſu nervorum III. 90 criticus III. 97 cruentus II. 28 ſqq. febrium acutarum ſymptoma III. 75 gravidarum IV. 95 ſq. hyſtericarum III. 51. in ileo II. 257. ab imaginatione III. 87. infantum IV. 137 ab inflammatione ventriculi III. 81 ab ira III. 87. a mœrore III. 88 nimius quatenus opio compeſcatur III. 64 a ſpasmo vaſorum ventriculi III 81 a ſuppreſſione menſium III. 92 a terrore III. 87 a variolis & morbillis III. 75 a vaſis ventriculi oppletis III. 79 a vectione in curru III. 86 a veneno orti curatio III. 71 a vitio ventriculi III. 91

*Vrinæ* ſuppreſſio effectus opii I. 138 cur? I. 268

- - viarum vitiis ſenum an conducat opium? IV. 167

*Vteri hæmorrhagiæ* an conveniat opium? II. 41 ſqq. ſine opio curatæ caſus III. 13

- - chronicæ cauſſæ & therapia II. 51 ſqq.

- - vetularum cura II. 55

*Vulneribus* an conducat opii topicus uſus? IV. 181 parum prodeſt IV. 216